196
2

DE SACRIS RITIBVS

IVXTA ROMANAM REGVLAM
vſui Fratrum Minorum S. Franciſci,
qui vulgo Capuccini nuncupantur accommodatis.

LIBRI TRES.

QVIBVS ACCESSIT APPENDIX,
de externis quibuſdam Ritibus, ad Religionis politiam pertinentibus,

Iuſſu omnia, ac mandato

ADMODVM REV. PATRIS

FR. IOANNIS MARIÆ DE NOTO,
EORVMDEM FRATRVM GENERALIS
Miniſtri in lucem edita.

NEAPOLI, Typis Scorigianis. M.DC.XXVI.

Digitized by Google

REVERENDIS, AC VENERABILIBVS OMNIBVS

SACRAE HVIVSCE NOSTRAE,

Minorum Capuccinorum familiæ Fratr. ac Filijs,

FR. IOANNES MARIA DE NOTO GENERALIS MINISTER.

Plurimam in Domino salutem.

DIVINIS rebus, atq; ijs præsertim, in quibus publica, ac communis Dei cultus institutio elucet, eam à Deo Opt. Max. legem sancitã esse, vt quamuis rerum inter se varietate, ac natura disiunctæ sint, in vnam tamen cultus vniformitatem, & cultorum in ijsdem administrandis concordiam conspirent, Apostoli vox est, his verbis ad Ephesios scribentis. *Solliciti seruare vnitatem spiritus in* Ephes. 4.

Digitized by Google

vinculo pacis, vnum corpus, & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ, vnus Dominus, vna fides, vnum Baptisma, vnus Deus, & Pater omnium. Id enim profecto diuina vnitas postulat, vt quemadmodum vnus est Deus, in quẽ Religio fertur: sic vna sit Religionis vniformitas, qua vnus Deus probè, ac ritè colatur, vt qui in vnum Deum Religionis auctorem respiciunt, in vnum quoque, ac vniformem ipsius cultum coalescant.

Hinc non immerito Paulus tam sollicitè admonet, vt hic vniformitatis spiritus integer ab omnibus vndequaque seruetur. Nam, qui in vnum Religionis corpus sub Christo compacti sumus, atque in vnam religiosæ vocationis spem, velut fratres in vnum iucundè habitantes coadunamur, id præsertim curare debemus, vt vnanimes (iuxta eiusdem Apostoli consilium,) & vno ore honorificemus Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi. Hęc quippè perfecta, & Deo gratissima laus est, quæ ex vno religiosæ multitudinis ore, ac cultus vniformitate proficiscitur.

Rom. 15.

Digitized by Google

tur. Quid enim (obsecro) ea vnitate sublata, quæ multos in vnum Dei cultum, & Religionem cogit, ijs reliquum esse potest, qui se Dei cultores esse profitentur, præterquam varium, & confusum quoddam murmur, quo non Deum colant, sed eidem potius obmurmurent? Neq; enim ij vno ore Deum honorificare censendi sunt, qui nulla cultus vniformitate sibi inuicem respondentes, quod proprij spiritus, ac sententiæ sensus ministrat, id tantummodo Deo obstrepunt: ex quo fieri necesse est, vt tot diuersa, ac inter se dissonantia ora soluant, quot deformes, ac dissonantes cultus Deo exhibent.

At verò eam Dei Opt. Max. mentem esse iampridem compertum est, vt summopere rerum vnitate delectetur: inde enim factum est, vt tametsi hominem ex anima, & corpore compositum, ac plurimis membrorum sectionibus præditum condiderit, vnico tamen spiritu regi, ac gubernari voluerit. Et quidem cum vniuersi in vnum corpus, velut membra co-

Digitized by Google

lescentes, vnius Religiosi corporis formam simus assequuti, qua ratione, & recte operandi regulam, atque in diuinis rebus sanctè administrandi gratiam, quæ tantoperè Deo placet, & rectè placet, nos adiri isci posse speramus, nisi vno spiritu rogamur, quo ad vniformem diuini cultus, ac Religiosorum rituum concordiam compellamur? Habet corpus spiritum suum, quo ductore, ac Magistro operatur, & quo impellente cunctos membrorum motus ad vnum sibi propositum finem dirigit. Habeat & religionis corpus suum vniformitatis spiritum, quo rogatur, quo instruatur, quo ad superna feratur, quo cultus, cœremoniasque Deo offerat, quo tandem se, suosque cultores vniformes, ac Deo gratos exhibeat.

Atque inde Rotæ illæ, quæ apud Ezechielem describuntur, tam fixo, ac stato ordine gradiebantur, vt nullum ne minimũ quidem motum sibi arriperent, nisi ad quem vnius, ac superni spiritus ductus, ac imperium eas compulisset: sic enim

Ezech. 1.

scri-

Digitized by Google

scribitur. *Quocunque ibat spiritus, illuc eunte spiritu, & rotæ pariter eleuabantur, sequentes eum.* Id planè eos, & sentire, & præstare æquum est, qui Rotarum instar totam Religionis molem in orbe circumferentes, ad perfectum Dei cultum anhelant. Hi enim non sui spiritus impetum sequi debent; non proprios, ac sibi tantum arridentes, non peregrinos, non alienos ritus, tamquam ignē alienum Deo offere debent, ne fortè seueras Dei vlciscentis pœnas experiantur; sed quo sanctæ vniformitatis spiritus ducit; eò sequantur: quò vniformis religionis spiritus præit, illuc, & ipsi gradiantur necesse est: Profanum enim est, nec crimine vacat, si quis præter sacros, ac religiosos ritus semel communi totius religionis consensu acceptos, ac constitutos, alienum sibi ritum accersat, aut quocunque titulo intrudat, vt ex sententia D. Augustini apud sacros Canones relati dist. 12. c. *illa*; & ex Concilijs Cartaginens. Brauar. & Tolet. distinct. 41. cap. *quis-* 12. c. illa. 41. c. quisquis.

Digitized by Google

Psalm. 67. quis. Satis perspicuum est. Deus enim est, qui, vt vates ait, inhabitare facit vnius moris in domo. Atque in sacræ Religionis domicilio non discrepantes, sed concordes in eadem cultus consuetudine suorum animos postulat. Deus est, qui sui cultus vnitatem tantopere cõmendat, vt nihil à veteris legis cultoribus magis expetijsse videatur, quàm vt sacras cæremonias, non eas quidem, quas sibi ipsis pro arbitrij libertate confixissent, sed quas Deo dictante à Moyse accepissent, vnanimes custodirent. Deus est, qui vt hanc nobis vnitatem commendatam relinqueret, Ecclesiam vnam ex multis fidelibus compactam, vnam fidem ex pluribus dogmatibus constantem: vnum Baptisma, in quo vniuersi (vt ait Apostol.) in vnum corpus baptizaremur, siuè Iudei, siuè Gentiles, siuè serui, siuè liberi, in orbe instituit. Quidni eum ipsum vna quoque Religione, ac vniformi suorum cultu summoperè delectari

Digitized by Google

ri credendum erit, quo omnis tum à diuinis rebus, tum etiam à Religiosis ritibus deformitas expellatur. Deus tandem est, qui per os Sophoniæ se huius religiosæ vniformitatis auctorem esse pollicetur, his verbis. *Tunc reddam populis labium electum, vt inuocent omnes in nomine Domini, & seruiant ei humero vno.* Sophon. 3. Quid labium electum? quid humerus vnus; præterquam vniformem in Deo colendo spiritum, ac consensum indicant?

Quid plura? certè cum Apostolus Corinthios tam impensè orat, atq; obtestatur, his verbis. *Obsecro vos fratres per nomen Domini nostri Iesu Christi, vt idipsum dicatis omnes, & non sint in vobis schismata, sitis autem perfecti in eodem sensu, & in eadem scientia:* 1. Cor. 1. eo planè demonstrat, quàm vtilis, ac necessaria sit hæc in diuinis rebus administrandis animorum consensio, atque vniformitas; neque enim in primis tàm obnixè Paulus à fidelibus peteret, vt eundem sensum, ac scientiam in ijs amplectarentur: nisi in hac cultus vniformitate maximam Christianę Religionis

Digitized by Google

nis perfectionem collocatam censeret? Deinde non frustra per Christum, ac ipsius nomen fideles obsecrat, vt idipsum dicant omnes: nam cum vnus sit Christus verè, ac perfectè Religionis auctor; vnumque ipsius nomen, in quo (teste Petro) omnes homines oportet saluos fieri, vnus tandem Christi spiritus, planè æquũ est, vt quicunque sub hoc vno Christi nomine, ac spiritu, Deo militant, verique ipsius cultores haberi volunt, vno Christi spiritu ducantur, vnumq; religionis cultũ omnes dicant, sentiant, doceant, sequãtur. Non eum quidem, quem quisq; apud se dixerit, aut excogitauerit: sed quem spiritus Christi, ac Religionis Patres, ac rectores senserint, docuerint, ac amplectendũ statuerint. Deniq; id apud legitimos quosque nostri Ordinis filios perpetuum, ac inuiolabile esse debet; vt nihil præter Patrum scita, scire; nihil præter tradita tradere, aut custodire velint. Hinc enim plurima non tam inutiles, quam perniciosæ quæstiones exoriri solent, dum sciendi stu

dio,

Digitized by Google

dio, ac libidine quisque scita sua aliorum scitis anteponere gestit, & quæ à communi cæterum sensu dissentanea sunt, velut idola sibi colenda proponit. Quamobrem Sanctæ Religionis Alumnis ea primum lex sancita sit, vt nunquam ab vniuersorum sensu recedant: singulares ritus, ac cæremonias, quæ nulla Patrum contentione obsignata sunt, diligentissimè caueant, ac si quas fortè huiusmodi, longa licèt annorum seriè, inueteratas, minus tamen legitimas sibi vendicarint, quàm citissimè abijciant. Demùm summo studio horum rituum, qui accuratissima diligentia, nec minori nostrorum labore collecti sunt, perpetui obseruatores, ac integri custodes existant: ita fiet, vt Apostoli gaudium impleant, qui idipsum Philippensibus inculcat, his verbis. *Implete gaudium meum, vt idem sapiatis, eandem charitatem habentes vnanimes idipsum sentientes; nihil per contentionem, neque per inanem gloriam.* Quis obsecro, Pauli gaudium leue, aut vulgare esse existimet? Profecto cum grauissimus, & sapien-

Philip.

ſapientiſsimus vir eò tam obnixè perfrui cupiat, nihil in hac rituum concordia, præterquam grauiſsimum Religioſæ perfectionis pondus latere ſuſpicandum eſt, ex quo vberrimi in totius Religionis ſinum lætitiæ riui exundare debeant. Atque inde non abſque ingenti omnium exultatione id nobis fœliciter obueniſſe, vniuerſi aſpectabimus, quod Chriſtus
Ioan. 17. apud Ioannem ſummis precibus à Deo nobis afflagitauit, cum his verbis ad Patrem oraret, *Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis, qui credituri ſunt per verbum eorum in me, vt omnes vnum ſint: ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint.*

Quapropter cùm nemini ad huius perfectiſsimæ cum Deo vnionis, qua nihil optabilius, faſtigium conſcendere, & vnũ in Deo, & cum Deo fieri liceat, niſi Dei Opt. Max. ſpiritum, qui vniformitatis eſt; Ducem, ac rectorem ſequatur, à quo ſe regi, ac gubernari ſinat: Nos verò vniuerſæ Religionis noſtræ Alumnos primum in perfecta charitate fun-

Digitized by Google

fundatos, ac radicatos, tum in præstantissimo Dei cultu in vnum consummatos, ac conspirantes esse quàm maximè optemus; in eo cum primis magnopere elaborauimus, vt diu expectatus liber de sacris ritibus, externisque cæremonijs à R. Patre Fratre Zaccaria Bouerio salutiensi nostri Ordinis Theologo, de mandato Reuerendi admodum Patris Fratris Clementis à Noto prædecessoris nostri elucubratus, iam tandem in lucem erumperet, his potissimum consilijs à nobis excogitatus, & in lucem editus. Primo, vt humilis hæc nostra religio pijs summorum Pont. præsertim Bonifacij VIII. Eugenij IV. ac Leonis X. mãdatis, nedum hortationibus insistens, vniformes suos ritus habeat, quibus Deum Opt. Max. colat, atq; in diuinis ministerijs vtatur. Deinde, vt communi omnium venerabilium huiusce nostri Ordinis fratrum, à quibus in pluribus Capitulis Generalibus, hæc sacra rituum vniformitas summis precibus efflagitata fuit, postulationi semel satisfieret, Patrumque

De-

Decretum in postremo, vt recognitus, & approbatus typis euulgaretur, executionem obtineret. Demum vt Religiosorum nostrorum familia hac sãcta rituum vniformitate, tanquam preclaro armorum genere munita, velut castrorum acies optimè instructa Dæmonum Phalangis formidanda, qua in Dei cultu incedendum, qua sistendum sit, non ignoret: & quasi alter Dei populus ducem, & præeuntem columnam habeat, qua in rectum diuinorum obsequiorum iter dirigatur.

Concil. Trid. sess. 7 can. 13. Inter hæc quandoquidem à Sacrosancta Tridentina Synodo sub anathematis pœna cautum est, ne recepti, aprobatique ab Ecclesia ritus vllo modo contemnantur, aut pro libito omittantut, vel etiam in nouos, ac inusitatos commutentur; ea propter in hoc rituali nostro instituendo, ea diligentia, & studio vsi sumus, vt in his, quæ ad Dei cultum, ac sacrorum administrationem pertinent, neq; à rubricis Breuiarij, aut Missalis, neq; à Romano rituali (pro status nostri tenuitate) ne latum quidem

Digitized by Google

dem vnguem discesserimus. Veruntamen cùm plurima ab humilis nostri instituti vsu, iampridem ab Ecclesia approbato, dissentanea ab his passim reperiantur, velut quæ de sacrarum vestium varietate, de Missis solemnibus, Diaconorum, & Subdiaconorum ministerio celebrandis, de Cantu tam in Missis, quàm diuinis Officijs seruando, ac alijs quibusdam cæremonijs, quæ hos ritus consequi solent, tradũtur. Ab his quidem quę instituti nostri humilitas ferre non potest, plerisque summis Pontificibus annuentibus, ac præsertim Paulo V. à quo nostri Ordinis constitutiones sunt approbatæ: velut nostræ humilitati minus consentaneis abstinendum duximus, reliqua verò sacrorum rituum capita ita studiosè amplexi sumus, vt ea, & maximo honore prosequenda, ac summa religione obseruãda esse velimus.

Tandem in his sacris ritibus explicandis is ordo Institutus est, vt primo loco quædam vniuersalia, quæ tùm ad distinctionem, & institutionem ministrorum

Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiæ, tum ad communem rerum diuinarum diſciplinam ſpectant, præmitterentur. Secundo loco ſingillatim de diuinis officijs, in quibus potiſsimum Dei cultus elucet, & ritu in eorum vnoquoq; ſeruando ageretur. Tertio loco de ſacramentorum, & rerum ſacrarum recto vſu, & adminiſtratione, ex quibus illuſtriſsimus Religionis actus ſeſe effert, præcepta traderentur. Poſtremo in Appendice certos ritus, ac cæremonias hactenus nullo ſcripto, aut lege proditas: iampridem tamen in Religione, vſu ipſo, ac conſuetudine approbatas, colligendas curauimus, atq; vbi opus fuit, iuxta ſanctorum Patrum inſtituta, ad præſtantiorem formam reuocandas iudicauimus, quibus religioſa noſtri Ordinis politia ſuis ſplendoribus aucta, in dies clarior, & illuſtrior euadat, vt iuxta Apoſtolum, omnia honeſtè, & ſecundum ordinem fiant in nobis.

Nos

Digitized by Google

Nos Fr. Io. Maria à Noto Generalis Miniſt. Ord. Fratr. Min. S. Franciſci Capuccinorū opus inſcriptum, De ſacris Ritibus iuxta Rom. Regul. vſui Fratr. Min. S. Frāciſci, qui vulgo, Capuccini nuncupantur, accōmodatis &c. cum ſuo Appendice, de externis quibuſdam Ritibus &c. à nōnullis Patribus noſtri Inſtituti iuſſu noſtro reuiſum, & approbatū, ad communē totius noſtri Ord. vsū, & vtilitatē, mandauimus imprimendum, ſi tamen videbitur ijs, ad quos attinet. Dat. Tarenti die tertia Aprilis 1626.

FR. IO. MARIA GEN. MIN.

Locus ✠ Sigilli.

Digitized by Google

Rituale vsui Fratrum Minorum Capuccinorum accomodatum, cum Appendice de externis quibusdam ritibus, ad Religionis politiam, & domestica munera recte obeunda, de mandato Admodum Reu. Patris Fratris Ioannis Mariæ à Noto nostri Ordinis Generalis Ministri accuratè legi, & non solum nil sanæ doctrinę aduersari, sed omnia iuxta Romanam Ecclesiam, ac Sanctorum Patrum regulas reperi esse dispositа, ad Dei gloriam, & honorem; Idcirco vt typis mandetur dignissimum censeo. Neapoli in nostro loco Sanctissimę Conceptionis. Die 20. Mensis Aprilis. 1626.

Fr. Bernardus à Neapoli Minister Prouincialis Capuccinorum in Prouincia Neapolitana Professione Theologus.

Ego

Digitized by Google

Ego Frater Bonauentura Neapolitanus Sacerdos Ord. Minorum S. Franciſci Capuccinorum, & in Prouincia Neapolitana Diffinitor (licet immerito) de mandato admodum R. P. F. Ioannis Mariæ à Noto, dicti Ordinis Generalis Miniſtri, vidi ac perlegi Rituale vſui Fratrum Ord. noſtri accomodatum, nec non Appendicem de externis quibuſdam ritibus ad religionis politiam pertinentibus: nec quicquam ab Ortodoxa fide diſſentaneum in eo reperi: immò præcipua commendatione, multis nominibus digniſſimum cenſui, cum honeſtis religioſisque moribus plurimum conſonam omnia reperiantur. Idcircò ad noſtræ Religionis vſum vtilitatemque typis mandari poteſt. Dat. in loco noſtro Nolæ Kalendis Nouembris 1625.

Ego Fr. Bonau. qui ſup. manu prop.

Quæ de ſacris Ritibus iuxta Romanam Regulam vſui Fratrum Min. Capuccinorum accomodatis, tribus libris complexa ſunt; nec non Appendicem de externis quibuſdam ritibus ad Religionis politiam, & domeſtica munera rectè obeunda ſpectantibus, de mandato Adm. R. P. Fr. Ioannis Mariæ à Noto noſtri Generalis Miniſtri, qua potui diligẽtia, & obſeruatione perlegi: & in eis nihil repugnans Fidei Catholicæ, & bonis moribus reperi; Immò mira Eccleſiaſticæ eruditionis, & rerum pulcherrimarum varietate contexta deprehendi, vt periucundum, & perutile, non ſolum nobis, ſed & omnibus fore exiſtimem, ſi in lucẽ prodeant, omniumque manibus terantur. Dat. Neapoli in Conuentu noſtro Conceptionis B. Virg. Calendis Nouembris. 1625.

Fr. Hieronymus Nolanus Theologus Capuccinus.

Digitized by Google

INDEX

Capitum primi libri.

1 DE *Officio superioris præsidentis in Ecclesia* fol. 19.
2 *De officio Sacristæ.* 22.
3 *De officio Clericorum coadiutorum Sacristæ.* 27.
4 *De officio inseruientium altari in Missa priuata.* 32.
5 *De officio Clericorum inseruientium altari in Missa solemni.* 38.
6 *De officio Sacerdotis celebrantis Missam priuatam.* 44.
7 *De modo, quo Missa debet celebrari.* 51.
8 *De officio Sacerdotis Missam solemnem celebrantis.* 52.
9 *De officio Sacerdotis, & Ministri, cum Missa celebratur coram Episcopo in loco suæ iurisdictionis.* 56.
10 *De officio Hebdomadarij.* 60.
11 *De officio Acolythorum in diuinis officijs ministrantium.* 71.
12 *De officio Concionatoris, cum Dei verbum in Ecclesia proponit.* 80.
13 *De loco Superioris in choro, & disciplina in eo seruanda.* 89.
14 *De tempore, quo standum, vel sedendum est in choro.* 93.
15 *De prostrationibus, seu humi deosculationibus.* 95.
16 *De genuflexionibus.* 98.
17 *De inclinatione profunda.* 101.
18 *De inclinatione capitis.* 105.

19 *De*

Digitized by Google

19 *De tempore, quo formari debet signum Sanctæ Crucis.* 107.
20 *De pectoris tunsionibus.* 109.
21 *De coniunctione, disiunctione, & contectione manuum.* 111.
22 *De brachiorum extensione.* 112.
23 *De mutuis conuersionibus, ad inuicem & ad altare.* 115.
24 *De vsu superpellicei.* 118.
25 *De vsu thurificationis.* 120.

Index Capitum secundi libri.

1 *DE statis horis, quibus horæ canonicæ singulis anni temporibus sunt persoluendæ,* 122.
2 *De varijs signis campanæ dandis tam diebus ferialibus, quam festiuis.* 129.
3 *De ritu, & tono vocis, quo apud nos diuina officia sunt celebranda.* 135.
4 *De ritu diuinorum officiorum in diebus ferialibus, semiduplicibus, Duplicibus, & Dominicis seruando.* 143.
5 *De ritibus duplicium primæ, & secundæ Classis.* 145.
6 *De nonnullis alijs circa diuinorum officiorum celebrationem obseruandis.* 148.
7 *De ritu, quo celebrari debent quædam officia propria nostri ordinis.* 151.
8 *De officio, & Missa Conceptionis B. Virg. in Sabbatho.* 153.
9 *De Missa Sanctissimi Nominis Iesu, & Sancti Gabrielis Archangeli.* 154.
10 *De officio & Missa in festis aliquorum Sanctorum nostri*

Digitized by Google

stri Ordinis. 155.
11 *De officio B.V. Defunctorum, Gradualibus, & septem Psalmis pœnitent.* 156.
12 *De ritu officiorum in quibusdam diebus solemnioribus, ac primum in die Commemorationis omnium defunctorum.* 158.
13 *De tempore Aduentus, & ritibus in eo seruandis.* 163.
14 *De ritu in officio, & cantu Martyrologij in Vigilia Natiuitatis Domini seruando.* 166.
15 *De ritu in officio noctis Natiuitatis Domini, ac diei.* 168.
16 *De ritu in officio diei Epiphaniæ seruando.* 172.
17 *De ritu in Dominicis Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ seruando.* 173.
18 *Forma Tabulæ eorum, qui in officijs Maioris Hebdomadæ sunt ministraturi.* 174.
19 *De ritu officij feriæ quintæ, sextę, & Sabbathi maioris Hebdomadę.* 176.
20 *De ritu in mandato, seu lotione pedum in feria quinta Maioris Hebdomadæ seruando.* 179.
21 *De Processionibus publicis, & ritu in eis seruando.* 182.
22 *De Processionibus priuatis.* 186.
23 *De ritu Processionis in festo Portiunculæ.* 188.
24 *De Processione tempore Capituli post electionem Generalis, vel Prouincialis ministri.* 189.
25 *De Oratione mentali, & ritu in eo seruando.* 192.
26 *De publica flagellatione & ritu in eo seruando.* 195.

In-

Digitized by Google

Index Capitum tertij libri.

1 De *supellectile Ecclesiæ necessaria.* 198.
2 De *quantitate cuiuslibet supellectilis.* 204.
3 De *qualitate supellectilis.* 207.
4 De *ornatu altaris.* 209.
5 De *benedictione, & aspersione aquæ benedictæ in qualibet Dominica die.* 213.
6 De *Pacis osculo.* 215.
7 De *benedictione, & consperſione Cinerum in feria quarta Cinerum.* 216.
8 De *Missa Conuentuali.* 218.
9 De *Missa solemni.* 220.
10 De *Missis votiuis.* 229.
11 De *orationibus in Missa recitandis.* 223.
12 De *Præfatione, & Canone Missæ.* 224.
13 De *Missa, benedictione Candelarum, & Processione in festo Purificationis B. V.* 225.
14 De *Missa, benedictione Ramorum, & Processione in Dominica Palmarum.* 229.
15 De *Missa, & processione in feria V. Maioris Hebdomadæ.* 233.
16 De *Missa, & Processione in feria sexta Paraſceue.* 237.
17 De *Missa, & Processione in Sabbato Sancto.* 243.
18 De *Missa in Vigilia Pentecostes.* 249.
19 De *Missa solemni tempore Capituli Generalis, seu Prouincialis.* 250.
20 De *oratione quadraginta horarum, quæ tempore Capituli Generalis, aut Prouincialis, siue alia graui de causa celebrantur.* 252.
21 De *modo, quo Sanctissimum Sacramentum in Altari exponi*

Digitized by Google

exponi debet, & recondi. 256.
22 *De prima Missa sacerdotis solemniter celebrantis.* 259.
23 *De ritu, quo Sacramentum pœnitentiæ est administrãdum.* 262.
24 *De ritu, quo Fratres accedere debent ad Sacramentum Pœnitentiæ.* 265.
25 *Instructiones quædam Confessarijs necessariæ quoadmodum absoluendi Pœnitentes.* 267.
26 *Probatiores formulæ absolutionum, quibus Confessarij pro temporum, ac criminum exigentia uti debent.* 268.
27 *De minorum Hostiarum consecratione, & ritu in Communione Fratrum seruando.* 277.
28 *De ritu administrandi sacram Eucharistiam fratribus infirmis.* 283.
29 *De ritu, quo extrema unctio administrari debet fratribus infirmis.* 293.
30 *De cura erga fratres morientes agenda.* 330.
31 *Testamentum animæ in morte ab ægroto condendũ.* 306.
32 *Post egressum animæ de corpore.* 317.
33 *De ritu, quo Corpus defuncti in Ecclesiam deferri, & illius exequiæ celebrari debent.* 318.
34 *De ritu Benedicendi res sacras.* 327.
35 *Ritus coniurandi nubes ad expellendas tempestates.* 331.

DE

Digitized by Google

DE SACRIS RITIBVS

IVXTA ROMANAM FORMAM vsui Fratrum Minorum Capuccinorum accommodatis.

Liber Primus.

IN QVO DE MINISTRIS ECCLESIAE, & disciplina generali in rebus diuinis seruanda agitur.

PROLOGVS.

RELIGIOSAM Rempubliçam non solùm legibus, ac constitutionibus instructam, verùm & externis ritibus, ac Cæremonijs, decet esse ornatam; vt & legum colligatione diuturna, ac sacrarum Cæremoniarum splendore illustris esse possit. Etenim si legibus careat, quibus velut vinculis in sui ipsius vnitate continetur, planè necesse est, vt

Digitized by Google

neceſſaria partium inter ſe compage diſſoluta, proprio inordinationis tandem pondere obruta, ad ſupremum interitum rapiatur. Si vero certis cæremonijs orbata fuerit, quibus tanquam cœleſtibus quibusdam coloribus depicta, ſe hominum aſpectibus decoram præbere ſolet: turpis,ac deformis cuiusdam Babyloniæ potiùs effigiem, quam Religionis formã præſeferre videbitur.

Sit igitur ſacrę Religionis noſtræ Reſpublica,velut altera Dei Domus,in qua varia mũnerum diuerſitas, multiplex miniſteriorum Ordo, atq; ordinata Miniſtrantium ſeries, ſuisq; Claſsibus diſtributa, ac certis officijs diſtincta appareant: in eaq; tam ſapientiſsima rerum omnium compoſitio,ac venuſtas elũceat,vt ipſos quoq; incompoſitos animos, ad ſui admirationem,& commendationem rapiat.

DE

Digitized by Google

DE OFFICIO SVPERIORIS PRÆSIDENTIS in Eccleſia;

CAP. I.

CVM varia Miniſtrorum, ac Miniſteriorum genera in Eccleſia à Spiritu ſancto, teſte [a] Apoſtolo, inſtituta ſint, quibus ea, velut Chriſti ſponſa Regio apparatu ſtipata ad ſupremum Dei cultū procedit; à ſacra procul dubio Miniſtrorum Eccleſiaſticorum Hierarchia neceſſario nobis exordiendum eſt, vt quibus de Sacroſanctis Eccleſiæ ritibus agere propoſitum eſt, ſacrorum Miniſtrorum numero, ac munere cuiuslibet perſpecto, facilior nobis ad ipſa diuina Miniſteria explicanda, via ſternatur. Igitur inter Eccleſiæ Miniſtros procul dubio apud nos principem locum obtinet quilibet Religioſæ familiæ ſuperior, ad quem tanquam ad cæterorum caput ſpectat, ſuos Eccleſiæ Miniſtros conſtituere, propria cuique munera obeunda committere, ac velut præpoſitum Domus, ac familiæ Domini, vniuerſis ſacris actionibus præſidere.

[a] 1 Tim. 3.

Superior itaq; cuiuslibet Domus ex ſua familia cuiuſque ratione, prius apud ſe mature habita, [a] aptos tantummodò, ac idoneos ſuæ Eccleſiæ Miniſtros deligat, qui nouerint, quomodo illos oportèat conuerſari in domo Dei, & ad diuina Miniſteria incumbere. [b] Ele-

[a] Cœrem. Epiſt. l. 1. c. 5

[b] Acta. Eccl Med. p. 1. fo. 28.

Digitized by Google

ctos verò, sui ipsorum officij, grauiter admoneat, ne quid in rebus diuinis inconcinnè, aut inordinatè fiat.

Is, quandoquidem Magistri Cæremoniarum apud nos officium gerit, id in primis curare debet, vt ipse in ministerio Ecclesiastico, & sacris actionibus sit apprimè eruditus, vt cæteris in Ecclesiasticis muneribus obeundis, & cæremonijs exercendis, Dux esse queat: qua propter cunctas, ac singulas noui Missalis, Breuiarij, ac Ritualis Romani Clementis VIII. Pontificis iussu editi (quod quilibet superior apud se habere debet) rubricas, demum vniuersa, quæ in hoc nostro cæremoniali adnotata sunt, sedulo studio prosequatur, atque eorum obseruationi inuigilet.

[c] Cærem. Bon. l. 1. c. 2.

Tum [c] verò studeat, vt festis præsertim, ac solemnioribus diebus, atque ijs potissimùm, in quibus singularis aliqua functio in Ecclesia, vel in Choro peragenda est: vniuersa, quæ vel ad Diuinorum officiorum, vel ad Missarum celebrationem spectant, prius à Ministris diligenter sint præuisa, excogitata, ac præparata. Altaria, sacra suppellex, & quecũque proprio illius diei Ministerio necessaria sunt, suo ordine, ac loco sint dispositа, vt cũ res postulauerit in promptu sint omnia.

Cum plura munera obeunda sunt, propria cuique munera distribuat, ac singulos opportuno tempore de singulis, quæ ab his peragenda sunt, sollicitè admoneat; ne incaute aliquid fiat. [d] Si quempiam Ministrorum errare contigerit, error non ab alio quàm à superiore, nec cum tumultu, ac strepitu (à quo summopere cauẽdum est) sed cum silentio (vt decet) corrigatur. Quod vbiq; obseruandum est, vt scilicet quotquot errores, aut actus minus legitimi, vel in diuinis officijs, vel in Missarum celebratione acciderint, non clarè, & tumultuosè reprehendantur; sed omni perturbatione semota placide,

[d] Cærem. Cler. Reg. lib. 1. c. 1.

Digitized by Google

eide, ac modestè, vel nutu tantum à superiore (si fieri potest) emendentur, vel post sacra peracta emendandi referantur.

e Quod si interdum superior huic muneri vacare minimè potuerit, aliquem ex sacerdotibus maturum, ac cœremoniarum peritum eligat, quem cœremonijs exercendis præfectum instituat, ne aliqua Diuinis ministerijs iniuria irrogetur. e Acta Eccl. Med. p. 1 fo. 28.

f Superioris quoq; munus erit, semel Hebdomadarios, & Acolythos quo ordine sibi ipsis succedere debeant, constituere; & si quando eorum aliqui absint, qui nam ipsorum locum supplere debeant, præscribere: ne Chorus aliquando necessarijs suis Ministris careat, ac diuinum officium interturbetur. Sacristam moribus optimum, ac rebus sacris pertractandis idoneum instituat, cui si opus fuerit, præsertim in amplioribus vrbibus socium vnum, vel plures adiungat, qui eidem in Ecclesiæ ministerio, diebus potissimum solemnioribus præsto sint, ac in omnibus suam operam præbeant. f Acta Eccl. Med. p. 1 fo. 31.

Ad ipsius quoq; officium pertinet, singulis saltem mensibus Sanctissimæ Eucharistiæ, & olei Sancti loca inuisere & qua reuerentia, ac diligentia custodiantur cum primis animaduertere. Is denique cum primum ad ministerij regimen accessit, omnium Sanctorum vasorum, sacrorum linteaminum, quæ altaris vsui deseruiunt, sacerdotalium indumentorum, ornamentorum altaris, ac totius sacræ supellectilis numerum, & qualitatem prorsus perspectam habere debet, vt si quid in his superfluū, aut curiosum, aut nimis pretiosum, quod humilem paupertatis nostræ statum minimè deceat, offenderit, iuxta nostrarum constitutionum præscriptum protinus amouendum curet. g Si quæ verò Ecclesiæ ministerio necessaria desunt, mature prouideat. g Constit. cap.

Digitized by Google

In id verò totus insistere debet superior, ac summo studio incumbere, vt tam in sacris vasis quæ optimè deaurata, & decentis formæ esse debent, [c] quàm in sacerdotalibus indumentis, ac sacris linteaminibus, quæ nec lacera, nec nimis absoleta sacris ministerijs adhibenda sunt, ac cæteris omnibus, quæ Altaris ministerio dicata sunt, nitor, ac munditia vbique effulgeat.

[c] Acta Eccl. Med. p. 1.

DE OFFICIO SACRISTAE.

CAP. II.

SAcrista in qualibet nostrarum Ecclesiarum, vel e Sacerdotum, vel Clericorum numero [d] probus moribus, atq; ad diuina pertractanda idoneus à superiore instituatur, qui sacrorum vasorum, vestimentorũ Ecclesiasticorum, ac cæterarum rerum, quæ ad Ecclesiam pertinent, custos sit diligentissimus. [e]

[d] Cœrem. Epis. l. 1. c. 6.

[e] Acta Eccl. Med. p. 1 fo. 28.

Eius prima, ac præcipua cura erit, vt [f] Eucharistia, quæ in Altari ex Ecclesiæ decreto asseruatur, decenter vt par est, intra argenteam Pixidem auro optimè illitã, ac panno serico albo contectam, in tabernaculo custodiatur: [g] in quo nihil præter sacram Eucharistiam recondatur, eaque octauo quoq; die à Sacerdote celebrante renouetur: [h] Tabernaculi verò fores propter mures, & nefarios homines claue obfirmari, [i] lampasque ante Eucharistiam perpetuo lucere debet: vt eam diuino prorsus honore prosequendam esse nemo ignoret.

[f] Concil. Later. sub Innoc. 3. c. 20.

[g] Acta Eccl. Med. p. 1 fo. 136.

[h] Burchar. decret. lib. 3 c. 10.

[i] Cœrem. Epis. li. 1. c. 6.

Secundum ipsius munus est, vt Vasa sacra, Sanctorũ reliquiæ, si quæ sunt; & sanctum Oleum decenti loco sub sera seruentur; Indumenta [k] sacerdotalia, ornamenta Altaris, linteamina, quæ tam ad sacrosancti sacrificij ministerium, quàm ad Altaris, ac sacrum Ministrorum

[k] Concil. Later. sub Innoc. 3. c. 39.

vsum

Digitized by Google

vſum pertinent, veluti Corporalia, purificatoria, Albæ, Amictus, Cinguli, Altarium Mappæ, ac præſertim ſuperiores, ſuperpellicea, manutergia pro manibus Sacerdotum abſtergendis, ſudariola tam Altari quàm narium neceſſitati deſeruientia, & ſi quæ alia huiuſmodi ſunt, quæ ad Eccleſiæ miniſterium ſpectant, munda ſint, ac nitida.

a Idcirco Corporalia, vbi octo, vel decem Sacerdotes Miſſam celebrant, tertia quaque hebdomada, vbi verò minor fuerit numerus ſacerdotum, quolibet ſaltem mẽ ſe munda adhibeat: demum ea toties amoueat, quoties nigra, aut immunda apparuerint, caueatque, ne, quæ vna iam ex parte nigredinem contraxerunt, in alteram vertantur. Indecorum enim eſt, vt, quæ ex Corporis Chriſti attrectatione ſingularem quandam ſanctimoniam, & venerationem ea parte acceperunt, eadem map pas contingant.

a Acta Eccl. Med. p. 4 fo. 641.

b Purificatoria bis in hebdomada, albę decimo quinto quoque die mundæ apponantur, Cinguli alternis menſibus, ſudariola ſingulis diebus Dominicis, ſuperpellicea ter in anno, ternæ Altarium Mappæ ſuperior quidem ſingulis menſibus, inferiores verò quater in anno, Amictus, & manutergia octauo quoque die, vel ſępius, prout nitor in his omnibus neceſſarius requiret, mutentur.

b Acta Eccl. Med. p. 4 fo. 641.

c Hæc verò cum remouentur, vt alia munda adhibeãtur, Corporalia quidem, & purificatoria ſeorſim ponantur in arcula, vel Caniſtro ad eum tantum vſum deſtinato, & antequam alicui dentur ad lauandum, ab eo qui in ſacris eſt, lauentur, d in vaſe nitido ad id diſtinato, lexiuia, & ſapone adhibitis, & mox bis aqua ſola abluãtur: quod ex lotionem ſupereſt, in ſacrarium fundatur.

c Acta Eccl. Med. p. 4 fo. 642.

d Ilarden. de conſec. diſt. 4.

Cætera verò linea, videlicet Albæ, Amictus, Cingu-

Digitized by Google

li, superpellicea, Mappæ Altaris, manutergia, & si quid aliud est, diuini cultus gratia paratum, [e] separatim ab alijs domesticis pannis lauandum locetur, vt sanctum à profano, & pretiosum à vili separetur.

[e] Acta Eccl. Med. p. 4 fo. 642.

[f] Calices verò vt mundi, ac nitidi seruentur, sæpius per annum, ac maxime in præcipuis festiuitatibus lixiuio, vel aqua feruida, & sapone meliori, vel etiam mica panis, ac vino calido adhibitis, si in sacris, est, accurate abluat, alioquin alteri in sacris constituto abluendos tradat, ablutionisque aquam in sacram piscinam projiciat. Poterit tamen Sacrista, & quilibet alius Clericus, tametsi sacris minime initiatus, siue etiam laicus, ex indulto Sixti Quarti Calices, & corporalia, & alia paramenta attrectare, [g] modo id cum reuerentia præstent, quod tamen passim, absque necessitate ab ijs fieri non debet.

[f] Eadem p. 4 fo. 641

[g] Comp. Priuil. V. Corporalia.

Calices in suis armarijs bene ornatis conseruet: ipsa verò Armariola sua habeant ostiola, quę clauibus claudantur. Si quis inter Calices pretiosior fuerit, eum pro diebus solemnioribus pro Missa Conuentuali & pro aduenientibus Prelatis seruet: quibus etiam venustiora paramenta sacerdotalia ministrare debet.

Præterea cuilibet Sacerdoti suum in Sacristia pro tergendis naribus strophiolum assignet ligneis paxillis pendens, ac proprij cuiusque Sacerdotis nominis inscriptione distinctum. Alia quoque strophiola ibidem pro exteris sacerdotibus hac inscriptione affixa (Pro aduenis sacerdotibus) apponantur, quę octauo quoque die, si immunda sunt, mutare debet.

Tertium quoque ipsius munus est, [h] vt aqua benedicta quolibet die Dominica ante Missarum solemnia ab Hebdomadario fiat in vase nitido, ex quo deinde in labrum lapideum in Ecclesia ei vsui destinatum, atque alia

[h] Cœrem. epis. 61. c. 6 i Bruch. decret. l. 2. c. 52. 53.

Digitized by Google

alia vaſcula influatur: quę verò ex alia hebdomada in labro, atque alijs vaſculis ſupereſt ſpongia colligatur, atque in ſacrarium, vel in decentem locum fundatur: [k] ipſum verò labrum præter accuratam fricationem, bene etiam lauetur ſcopula, & ſpongia tergatur; Vinum quoque, hoſtię, candelę, ac Cerei, cęteraq; vel ad diuinum officium, vel ad Miſſæ celebrationem neceſſaria, opportuno tempore, tam in choro, quàm in Altaribus ſint parata.

[k] Acta Eccl. Med. p. 4 f. 640.

[l] Quartum eiuſdem munus eſt, vt Altaria pro temporum, officiorumque ratione decenter, & opportunè florum vaſculis, aut veris, aut fictis ornentur: linteamina, ſacerdotalia indumenta, atque alia Eccleſiæ ſupellex [m] integra ſeruentur, & cum opus fuerit, reficienda curet; vel ſi nimis attrita ſint, & lacera ſuperiorem admoneat, vt maturè alia comparari poſſint; [a] ea verò quę ob vetuſtatem ab Eccleſia remouentur, nullo [illegible]cto domeſtico vſui deſeruiant: ſed vel ad alia reſarcienda recondantur, vel ad alterum Eccleſiæ vſum ſeruentur, vel ſi nulli Eccleſiæ vſui prodeſſe valent, iuxta Eccleſiaſtica decreta comburantur: [b] Atque, vt nihil earum rerum, quæ ſuę fidei creditæ ſunt, depereat. Libellum apud ſe habeat, in quo vniuerſa Eccleſię ſupellex, tum precipuè vaſa ſacra ſint deſcripta.

[l] Cœrem. Epiſc. l. 1. c. 6.

[m] Rub. gen. Miſſ.

[a] Act. Eccl. Med. p. 2 fo. 129.

[b] Clem. ep. 21

Quinto omnem diligentiam adhibeat, [c] vt Eccleſiæ pauimentum ſit mundum; quapropter pridie omnium feſtorum dierum, antequam paramentorum mutatio fiat; tum poſtridie, ſi magnus fuit populi concurſus; præterea in media hebdomada, demum quoties opus fuerit, [d] Eccleſiæ Chori, facellorum, & Sacriſtiæ pauimentum ſcopis mundandum curet; & eodem tempore copula arundinea purgentur gradus, & ſuppedanea Altarium, ſcamna, cancelli, ſubſellia chori, legile, valuapariе-

[c] Act. Eccl. Med. p. 4 fo. 640.

[d] Cœrem. Epiſc. l. 1. c. 6.

Digitized by Google

parietes. Ab Iconis verò, & sanctissimæ Eucharistiæ tabernaculo caudis vulpinis puluis leuiter excutiatur. Curet denique, vt omnia diligenter emundentur à pulPsal. 25. uere, operibus aranearũ, & omni sorde, Dominus enim dilexit decorem domus suæ.

e Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 28. f Cœrem. Epis. l. 1. c. 6.

Sexto, e eius quoque cura erit, Missarum seriem prescribere, f &, vt sacerdotes Missas celebraturi opportuno tempore, & ordine exeant. Vbi verò plures sacerdotes celebrant, Missas ita disponat, vt nec Altaria sacerdotibus sint vacua, nec celebrantes eodem tempore, sed distantia aliqua inter prioris, & posterioris egressum e Sacristia procedant in Sacristia duas tabellas habeat; vnam, in qua Missæ, vel pro Defunctis, vel aliæ votiuæ celebrandę adnotentur. Alteram in cuius vtraque parte tabellę mobiles inserantur, in quibus nomina Sacerdotum à dextris à sinistris verò inseruientium sint scripta, vt quo tempore, & ordine quilibet, aut celebrare, aut, Missæ inseruire debeat, non ignoret. Verum id prȩcipuè curet, vt in Ecclesia (presertim cum diuina officia, aut Missæ celebrantur) g nemo alta voce loquatur, aut strepitum edat, Canes latrantes ab Ecclesia expellat: h in Sacristia verò prohibeat, ne vllus sermones misceat, sed silentium ab omnibus seruetur.

g Triden. Conc. sess. 22. h Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 129. i Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 28. k Cœrem. Epis. li. 1. c. 6.

Postremò ad ipsius curam spectabit, quo tempore i Campana, vel pro Missarum celebratione, vel pro diuinis officijs, tam diurnis, quam nocturnis recitandis iuxta varia anni tempora, k ac prȩterea pro matutino, meridiano, ac vespertino Angelicę salutationis signo, atq; alijs temporibus pulsanda sit, diligenter inuigilare; ac statis horis pulsare, vel, vt pulsetur coadiutores Clericos admonere. Ad ipsum quoque pertinebit signum Campanæ pro oratione mentali, vt nostri moris est, suo tempore dare. Horologium pulueris apud se seruare,

&

Digitized by Google

& elapſo horę ſpatio iterum ſigno Campanę orationis tempus decurſum ſignificare.

DE OFFICIO CLERICORVM *coadiutorum Sacriſtæ.*

CAP. III.

SAcriſta, ſiue ſacerdos ſit, ſiue Clericus, quando ſolus ea omnia efficere non poteſt, quæ ad Eccleſię miniſterium pertinent, [l] ſocium vnum, vel plures iuxta ocorum exigentiam Clericos habere debet, [m] quorum)pera, & auxilio ad ea omnia, quę neceſſaria ſunt pera- ;enda, adiuuetur horum opus erit imprimis Sacriſtæ ollicitè in omnibus inſeruire, ac vnanimes in Eccleſię miniſterio laborare. [a] Secundo Eccleſiaſtica indumenta, ſacramque ſupellectilem tempore opportuno ex armarijs depromere, & ne vllum, vel ex tineis, vel ex loci umiditate detrimentum patiantur, ſereno tempore ieri exponere, puluerem, & ſi quę ipſis armarijs ſordes idheſerint, diligenter extergere, ſi dies ſolemnis fuerit, thuribulum, nauiculam, & ſi quę ſunt aenea vaſa Eccleſiæ vſui dicata, etiam arenula adhibita expurgare. Si Dominicus dies inſtet, ſabbato labrum aquę benedictæ abſtergere; ſalem, & aquam, pro noua aqua die Dominico ex ritu benedicenda, præparare, ac recenter)enedictam in labrum, ac alia vaſcula infundere. Fonē pro manuū lotione nitidum, ac mundum conſeruare, & quotidie abſtergere, Sacriſtiam, Chorum, & Eccleam bis ſaltem in hebdomada, & quoties opus fuerit, :opis mundare, telas aranearum delere, inherentem-)arietibus puluerem euerrere. [b] Capſulas, quę ad con-)uendum tam in Choro, quam circum Altare ſunt, plu ries

[l] Cœrem. Epiſc. li. 1. c. 6.
[m] Cęrem. Cler. Reg. l. 1. c. 3.
[a] Act. Eccl. Med. p. 1 fo. 641. Cœr. Cler. Reg. lib. 1. c. 3.
[b] Act. Eccl. Med. p. 4. f. 640.

Digitized by Google

ries in hebdomada ligneo instrumento euersas mundare & sępe soli exponere, rudiori panno fricare, singuloque bimestri aqua feruida mundare, ac sordida amota, nouam calcem imponere.

Tertiò ad ipsos quoq; spectabit lampadarum cura: vt silicet [c] lampas ante Eucharistiæ Sacramentum perpetuo die noctuque ardeat: oleumque oliuarum pro lampadibus optimum adhibeatur: Ellychnia ex bombice tenuiori, & optimo componãtur, vt clarius diutiusque lampades eluceant: lampades quoque à sordibus purę seruentur, quas parata sibi ad id forfice, seu emunctorio ante primam, in meridie, vespere, & cum primũ ad matutinas horas surgitur, emungere debent. Cum verò lampas emungitur, elychnium tantillum extra lampadem producatur, quod ad extremam elychni partem, quæ exusta est, prędidendam, atq; in paratum vas proijciendam, ipsumq; elychnium rursus accendendum sufficiat: ne vel tera, vel eo, quod emunctum est, in oleum cadente, lampas sordescat. Quapropter armarium ad id paratum habeant, in quo vas olei, lecythus, emunctoria, seu forfices, linteamina ad detergendas forfices recõdantur [d] lampades verò singulis saltem quindecim diebus furfure, & aqua calida à sordibus mundẽtur Ijdem quoque lucernam quæ in noctu ante legile ad diuina officia decantanda lucere solet, & alteram lucernulam tempore orationis seruandam in vespere parare debent, vt vtraque suo tempore in promptu esse valeat.

Quartò ipsorum curę etiam erit, maiores hostias pro Missis celebrandis [e] singulo quoque quintodecimo, vel ad summum vigesimo die ex farina triticea, optimè à furfure expurgata, parare: ea propter vnum, vel duo ferrea instrumenta ad eum vsum apta habeant, [f] in quibus

[c] Concil. Aquisgra. c. 29. Cœr. Epis. l. 1. c. 6.

[d] Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 641.

[e] Act. Eccl. Med. p. 2. fo. 407.

[f] Burch. Decret. l. 5. c. 29.

Digitized by Google

ius ſola imago Crucifixi, nõ alia ſit inſculpta; g Oſtias verò opportuno tempore congrue, & ſeruata delineatione inciſas, in cribro e retibus confecto à fragmentis expurgent, tum decente in vaſculo ligneo, panno ſerico aptè veſtito cuſtodiant, atq; ad ipſas comprimendas plumbeum integumentum panno ſerico decorè obuolutum adhibeant; cauentes maximè, ne maculoſas, aut infractas, aut non perfectè orbiculares hoſtias apponant; ſed omnes ſint puræ, candidę, & à fragmentis puratę: Minores quoq; hoſtias pro diebus communionis, & alijs ſolemnioribus, quę ſufficere queant, opportuno tempore pręparabunt: Omnes verò tam minores quã maiores hoſtias ad ſummum vigeſimo quoque die renouabũt, ac recentes apponant antiquis omninò ab Altaris vſu reiectis. Cum verò ſuum in incidendis hoſtijs munus exequi voluerint, prius manus lauent, ac nteamina munda ſibi adhibeant: & ſiue forfice, ſiue rrõ inſtrumento, formam rotundam imprimente vtantur, illud nulli vnquam pręter quam illi vſui deſeruiat.

Quintum horum quoque munus erit, ea quæ tum ad rnatum Altarium, & Miſſę celebrationem, tum ad diuina officia perſoluenda neceſſaria ſunt, ſollicitè adminiſtrare. a Altarium ornatus pro temporum, & officiorum mutationem, iuxta Romani Miſſalis rubricas mutare, ipſaque Altaria per omne anni tempus floribus veſtire, cum per tempus licet, aut fictitijs, ſi vera deſint ornare. b Verum antequam huic muneri manus admoueant, ad Altare accedentes, in quo Sacroſanctum Chriſti Corpus aſſeruatur, prius flexis genibus, atque humo oſculata Venerabile Sacramentum adorent, ac breui oratione ad Deum fuſa omni reuerentia omnipotenti deo inſeruiant, & quamdiu in ipſius Altarius ornatu os inſeruire contigerit, vel ſilentium obſeruent, vel

ſub

g Act. Eccl. Med. p. 4. f. 47.

a Cærem. Epiſc. li. 1. c. 12.

b Cærem. Cler. Reg. li. 1. c. 6.

Digitized by Google

ſubmiſſa voce ſi opus fuerit, ſe inuicem de agendis admoneant.

Cum verò ad alia Altaria miniſtraturi accedunt, prius quidem ante Altare genuflectant, tum opus ſuum reuerenter perficiant.

e Rub. gen. Miſſ. Acta Eccl. Med. p. 4. fo. 640

e Ampullas vitreas, binas inter ſe pares, optimè lotas ſummo mane panno lineo, vel laneo ſuppoſito, quotidie ex ordine in feneſtella Altari proxima aptabunt; vnam vino, alteram aqua pura, ac recenter hauſta implentes, quas ſuis operculis operient. Vinum verò, quod in Miſſę ſacrificio adhibendum eſt, qualibet die in mane guſtabunt, aut alicui guſtandum præbebunt, ne forte acidum ſit, d tum lineo panniculo omni diligentia colabunt, vt omni ſorde careat; pari diligentia peluiculas lauabunt, & abſtergent. Tum Altaris oppertorium decorè complicabunt, tabellam ſecretorum in ore tabernaculi, vel à latere ponent, Candelabra ſuis candelis ornabunt, Puluinum in cornu epiſtolæ, campanulam eadem ex parte in gradibus altaris ſtatuant.

d Burch. Decret. l. 5. c. 29.

Si dies Dominicus fuerit, cęlatam, vel depictam tabellam ad pacem dandam in Altari collocabunt, e & ſi quas ſordes, vel in Altari, vel circa Altare animaduerterint, ſcopulis mundabunt. Hoc modo ſingula Altaria qualibet die præparabunt. Peracta verò Miſſarum celebratione Ampullas, e peluiculas lauabunt, ſuisque locis reponent, Altaria operient, & cętera ſuis locis diſponent, lampadem emungent, & breui oratione flexis genibus ante Altare effuſa, vniuerſa ad Dei laudem referent. f At, prętер hac die Sabbati Ampullas diligenter purgabunt, adhibitis ouorum putaminibus bene contritis, & ligneo aliquo bacillo ſeu calamo ad ſordes bene eluendas accommodato, atque iterum aqua bene lotas, panno lineo abſtergent, g Candelabra quoque lignea

e Act. Med. Eccl. p. 4. fo. 641.

f Cœrem.

g Eadem p. 4. fo. 641.

Digitized by Google

gnea à cera diligenter expurgata laneo panno oleo inerdum illito confricabunt.

Cum verò Altaria ornanda ſunt, & preſertim tabernaculi in quo ſanctiſſima Euchariſtia aſſeruatur, Velum ro temporum exigentia mutandum; diſcant D. Bonauentura teſte, qua reuerentia, ac religione ad Altare ccedere debeant, [a] Altaris (inquit) miniſterium, ob euerentiam corporalis preſentię Saluatoris, munditię, euerentię, diligentia, honeſtatis, & circumſpectionis ludium ſpeciale requirit. Idcircò caueant, ne ſuper udum Altare vnquam pedibus aſcendant, ac ſanctum ocum, in quo tremendum Sacramentum conficitur, pelibus conculcent id enim valde indecorum eſt, & proanum: ſed ſcamnis vel ſcalulis ad latera Altaris adhibitis curent ſuum circa tabernaculi ornatum munus obire. Quod ſi his tabernaculi ornatus commodè pergi nequeat, & omnino aſcendendum ſit, prius quidem Altare panno aliquo oblongo, qui tam Altaribus quàm à facie Altaris ad terram vſque fluat, operiant, tum ligneum operculum, quod huic tantum vſui paratum habere debent, ex leuibus lignis fabrefactum, quo totum Altare tegatur, eidem ſuperponant, ne vlla ſacri Altaris ars à pedibus contingatur. [b] Accedentes verò prius flexis genibus, & labris inhumum defixis in profundæ euerentiæ ſignum venerandum Sacramentum adorēt; um verò nonniſi nudis pedibus aſcendant, & circa tabernaculi ornatum ſuum opus eſpleant, profundis inerea tam in acceſſu, quàm in receſſu; ac tranſitu ante ores tabernaculi inclinationibus iteratis; itaut ſumma n ea actione obloci ſanctitatem, & Diuini Sacramenti reſentiam reuerentia elucat.

[a] D. Bona. in ſpec. diſcip. c. 11.

[b] Cœrem. Cler. Reg. lib. 1. c. 6.

Eorum Poſtremum munus eſt, hiemali tempore ante rimam carbones in tripode extra Sacriſtiam ſubdio ſuccen-

Digitized by Google

succendere,& succensos in Sacristia collocare,vt & qui antelucanas Missas celebrant, eorum beneficio vti possint: & purificatoria calicum extersione madida exsiccari queant.

DE OFFICIO INSERVIENTIVM ALTARI in Missa priuata.

CAP. IV.

NOn leue, aut vulgare est, Sacrosancto Missæ sacrificio Inseruientium opus,cum enim Deo ipsi,qui in Eucharistiæ Sacramento præsens est, ministrent. [e] Angelorum planè ministerium implent, qui ministrantes ante omnium Conditorem Deum assistunt; quapropter ijs, qui ad præstantissimum hoc munus vocati sunt,id imprimis perspectum esse debet eos Angelicam, si fieri posset animę puritatem, Angelicos mores, Angelicam vitam, angelicum incessum, angelicos gestus, angelicam totius Corporis compositionem, Angelica tandem omnia decere: Atque id semper quidem, tum maximè,cum ad hoc ministerium accedunt, in quo nihil nisi graue, ac modestum, omni pietate refertum prę-seferre debent.

[e] D. Bonauent.

Igitur Sacerdoti ministraturus. Cum primum tanti ministerij consideratione imbutus fuerit, [a] manus lauet,tum diligenter prouideat,ne in ampullis vinum,vel aqua, aut in Altari Candelę desint, deinde Sacristiam ingressus genuflexus, aliquantulum oret, & celebraturum sacerdotem expectet, aduenientemque reuerentia excipiat. [e] Cum verò sacerdos ad celebrandum accesserit, Pallium ex illius humeris accipiat, & complicatū decenti loco reponat, tum genuflexus, atque humum deos-

[a] Cærem. Cong.cass. c.6.

[e] Cærem. Cler. Reg. lib.1. c.16.

Digitized by Google

deosculans benedictionem ab eo petat, qua exorata, amictum vtraque manu accipiens Sacerdoti reuerenter porrigat, deinde Albam vsque ad collum complicatam pari modo sacerdotis capiti imponat, dextra manica primum, *f* deinde sinistra aliquantulum eleuata, quò sacerdos commodè ijs indui possit: manicarum rugas, ac complicationes ad humeros vsque contrahat, Mox cingulum à tergo vtraq; manu porrigat, Alba circumcirca duorum digitorum spacio à terra eleuet, curetq; vt æqualiter ex omni parte fluat, sudariolum à dextra parte pendentem intra cingulum collocet, tum Manipulum, ac stolam offerat, cuius mediam Crucem colli medio aptet, Casulam denique ita sacerdotis humeris componat, vt crux, quæ in stola supra casulam eminet, saltem media appareat. *f* Rit. Miss.

Vbi verò procedendum fuerit ad Altare, ministraturus *a* Missale accipiat, & vtraque manu ante pectus paululum eleuatum gestans, factaq; profunda reuerentia, imagini, quę in Sacristia principalis est, tum celebranti; *b* Vbi ad fontē aquę benedictę peruenerit, illa seipsū aspergat, *c* tum ante sacerdotē oculis demissis, incessu graui, ac omni reuerentia ad Altare procedat: *d* quod si ante Altare maius, vel aliud Altare, vbi Sacramentum adest, vel eleuatur, eū transire cōtigerit, vterq; & sacerdos, & ipse genuflectant, neq; prius se erigant, quo vsq; celebrans, tā hostiæ, quàm Calicis eleuationē perfecerit. *a* Rit. Miss. *b* Cæremo Cler. Reg. li. 1. c. 16. *c* D. Bona. in spec. discip. c. 11. *d* Rit. Miss.

Cum ad Altare peruenerit, *e* facta reuerentia Cruci, Missale super puluino deponat, candelas accendat, & mox à sinistris sacerdotis in infimo gradu genuflexus, humo præreuerentia deosculata sacerdoti Introitum inchoanti iunctis manibus grauiter, ac maturè respondeat, ita vt, nec sacerdotis vltima verba intercipiat, nec nimis morosè responsum protrahat; sed maturè respon- *e* Rit. Miss.

Digitized by Google

dendo clara, ac distincta verba depromat, eundem semper cum sacerdote vocis tonum, quoad fieri potest, obseruans.

Quod ad reliquum Missæ ministerium spectat, Missalis noui rubricę ab omnibus sacerdotum ministris, tam Clericis, quàm laicis ad amussim obseruetur; neq; ij vllo pacto sanctissimo Missæ sacrificio inseruiant, qui ob aliquod corporis impedimentum, vel genuflectere nequeunt, aut verba distincta pronunciare non valent *f* si plures in Altari sint gradus, Minister in infimo gradu post sacerdotem genuflectat; *g* si solum sit super pedaneum, seu Bradellà, in plano post sacerdotem seipsum statuat, Confessionem capite, ac corpore versus Altare inclinato proferat, nisi cum dicit. *tibi Pater*, & *te Pater*, *h* tũc enim aliquãtulũ versus sacerdotẽ se inclinare debet.

f Rit. Miss.

g Cærem. Cler. Reg. lib. 1. c. 16. Cærem. Cõg. Cass. c. 9.

h Rit. Miss.

Confessione peracta, humo in contritionis, & humilitatis signum deosculata, in eodem loco stet, nec in suppedaneo genuflectat. In principio introitus se ipsum signo crucis muniat: Cum celebrans conuerso ad populũ vultu dicit. *Dominus vobiscum* demisso paululum capite respondeat, *& cum spiritu tuo*. Tempore quadragesimæ cum à celebrante dicitur *Flectamus genua* eodem modo ab eo respondeatur *leuate*. Dum dicitur Graduale, vel tractus, ante Euangelium surgat, & accedens ad Altare à cornu epistolę, expectet, donec, eo peracto, accipiat Missale cum puluino, & modestè gradiens per planum, vel gradus non autem per suppedaneum Altaris, maturè transferat illud ad cornu Euangelij, ea parte apertum, qua illud accepit. Transiens verò caueat, ne sacerdotem, vel sacerdotalia indumenta contingat; *i* sed cum ad medium peruenerit, profundè se inclinet, & si sanctissimum Sacramentum in Altari expositum fuerit, genuflectat: Tum redeat ad cornu epistolæ, & vsque ad

i Rit. Miss.

Digitized by Google

ad finem Euangelij rectus stet facie versa ad latus Euangelij.

Cum lectum fuerit Euangelium, genuflectat: [a] Sacerdote verò pronunciante simbolum; in illis verbis; *& Homo factus est*, genuflectat, & humum præ tanti misterij reuerentia deosculetur: tum dicto offertorio antequam ad ministeriũ pergat, ex profunda cordis humilitate humum deosculetur; se eo ministerio indignum existimãs: & mox surgens ijs reuerentijs, vel genuflexionibus in recessu adhibitis, quæ pro temporum ratione adhibendæ sunt, ad Altaris fenestellam accedat, atque inde ambas ampullas amotis operculis accipiens, ac per pedes eleuans cum osculo, ac debita inclinatione prius vini, deinde aquæ ampullam celebranti porrigat: Mox verò deposita vini ampulla, ac suo loco collocata, Peluiculam siniſtra, & Ampullam aquę dextra accipiẽs, manutergio interim per medium aliquantulum eleuate, debita reuerentia adhibita, aquam celebrantis manibus infundat, reuerentiamque iterum corporis inclinatione celebranti reddat; tum vtraque Ampulla suo loco collocata, ac suis operculis tecta, manutergio quoq; decenter composito ad priorem locum rediens à latere epistolæ genuflectat. [a] Rit. Miss.

Vbi ad præfationem ventum fuerit Sacerdote dicente *Sanctus*, [b] *Sanctus*, *Sanctus*, ipse ter tintinabulum pulset, nec pectus percutiet, cum id nec ratio, nec verba ferant, sed potiùs profunda animi reuerentia Diuinę Trinitatis Maiestatem cum Angelis adoret. [c] Vbi verò celebrans dixerit; *Et omnium circumstantium*, surgens ipse vnum tantum accendat intortitium, præterquam in Missa Conuentuali, aut solemni: in quibus vtraque accendenda sunt: [d] nec ante extinguat, quàm celebrãs [b] Rit. Miss. Acta Eccl. Med. p. 1. fo. 151. [c] Rit. Miss. [d] Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 807.

Digitized by Google

sanctissimum Sanguinem sumpserit; tum post profundam reuerentiam ad supremum gradum Altaris infra suppedaneum à latere epistolæ se conferat, atque ibi genuflectat. cum sacerdos hostiam eleuaturus genuflectit, ipse siniſtram manum Casulæ supponens, eam aliquantulum eleuet, ne celebranti brachia eleuaturo sit impedimento, e atque interim dextera tintinabulum ter leuiter pulsans eleuationis Hostiæ signum edat, mox profundè inclinatus, ac humum deosculans pari animi reuerentia Sacrosanctum Sacramentum adoret, f eundemque ritum seruabit in eleuatione Calicis. Qua peracta ad priorem locum retrocedat.

e Greg. IX. apud Stephanus. Duran. de ritu Eccles. Cath. lib. 4. cap. 40.

f Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 807.

g Cum à Sacerdote ter pronunciatur *Agnus Dei*, ter quoque ipse pectus ad Dei misericordiam pro suis, ac aliorum peccatis exorandam percutiat, nisi Missa celebretur pro defunctis, in qua abstinendum est à tunsione pectoris: cum non pro viuis; sed pro Defunctis oretur, quibus non culparum, sed pœnæ tantum remissionem deprecamur. Tum spiritualem communionem simul cum celebrante intus in animo curet perficere, ac diuini sacrificij particeps fieri: Cæterum cum primum celebrans genuflectit, vt sanctum Sanguinem sumat, ipse fixis prius, ex profunda cordis reuerentia in humum labijs, h mox surgat, & ambas vini, & aquæ Ampullas accipiens, genuflexus in latere epistolæ expectet, donec Sacerdos sanctum Sanguinẽ sumpserit: tũ gradus ascendens primum vini tantum, quod ad Calicis purificationem sufficiat, in Calicem infundat, prælibato ampullæ osculo, ac debita reuerentia celebranti reddita: statim verò ad digitos Sacerdotis abluendos prius vinum, deinde aquam ad ipsius libitum immota manu in Calice ministret; caueatque ne

g Rit. Miss.

h Rit. Miss.

Digitized by Google

ne dum aquam, aut vinum fundit ampullas nimium supra Calicem attollat, ne guttę vini, aut aquę extra Calicem resiliant. Tum [a] reuerentia iterum capitis demissione sacro Altari reddita, Ampullas suis operculis tectas in suum locum reponat. Intortitium operculo stamneo extinguat, librum ad latus epistolæ transferat simul, cum puluino, non per suppedaneum, sed per infimum Altaris gradum, seu per planum gradiens, ac demum in latere Euangelij genuflectat. [b] Cum celebrãs populo benedicit, ipse humo præ reuerentia deosculata surgat, & ad latus epistolæ se conferat, profunda in transitu reuerentia Altari exhibita, quam toties iterare debet, quoties per medium ante Altare illi transire contigerit.

[a] Cær. Cl. Reg. li. 1. c. 16.

[b] Rit. Miss.

[c] Si aliud Euangelium pręter solitum Ioannis in fine dicendum sit, post benedicamus, vel ite missa est, accedat ad cornu epistolę, ac debitis reuerentijs adhibitis librum cum puluino ad latus Euangelij transferat: ipse verò stet à latere epistolę; lecto Euangelio postquam respondit *Deo gratias* statim librum accipiat puluinum in latere epistolę collocet, & genuflectens ante Altare, Missale vtraque manu gestans graui incessu, ac demissus oculis Sacerdotẽ ad Sacristiam reuerentem præcedat.

[c] Rit. Miss.

[d] Sacristiam ingressus, profundè se prius imagini, tum Sacerdoti inclinans, repositio in suum locum Missali, Casulam prudenter ab humeris ipsius, & cautè accipiat, ne fortè ipsius vultum offendat, stolam, deinde manipulũ, & cingulum ab eo accipiens singula super tabulam decenter reponat. Albam complicatam super eam collocet. Pallium celebrantis explicatum, ipsius humeris imponat, ac mox genuflectens benedictionem ab eo petet. Atq; hęc de ministerio in Missis priuatis exhibendo dicta sint.

[d] Rit. Miss.

Digitized by Google

DE OFFICIO CLERICORVM *inseruientium Altari in Missa solemni.*

CAP. V.

e Const. c. CLerici tantumodo, non alij in Missis solemnibus sacro Altari inseruire debent. Cum enim solēnes Missæ apud nos eæ tantum nuncupentur in quibus vel pax danda est, vel thus in Missæ ministerio adhibendum eo verò tempore minister Altaris superpelliceo indutus in eo ministerio procedat: *f* Hinc manifestum est ad solos clericos huiusmodi ministerium spectare, quibus tantum hoc munere fungi, ex officio licet quapropter Conuentuales Missæ, quę quolibet dominico die celebrantur, apud nos solemnes censentur, cum in his pax dari soleat, & minister superpelliceo indutus Altari deseruiat.

f Cær. epis. lib. 1. c. 23. Rit. Miss.

Clericus igitur in solemni Missa ministraturus, omnibus ritè seruatis, quę hactenus de his dicta sunt, qui priuatis missis inseruiunt, præterea id obseruare debet, *g* Vt cum primum ad Sacristiam accesserit superpelliceū induat, & decenter sibi Caputium super illud aptet, atque hoc modo indutus, si dies Dominicus fuerit, cuncta sacerdotalia indumenta pręter manipulum, & casulam, quę in altari in cornu Euangelij collocare debet, sacerdoti celebraturo ministret, eumque ad Altare procedentem, modo quo iam dictum fuit, pręcedat.

g Rit. Miss.

b Rit. Miss. *b* Cum ad Altare peruenerit debitis reuerentijs adhibitis, ac Missali suo loco collocato: quatuor, vel sex, iuxta dierum maiorem, vel minorem solemnitatem, vt inferius explicabitur, candelas accendat: si Dominicus dies fuerit, Aspersorium accipiat, & à latere epistolę genuflexus primum quidem ipsum aspersorium, mox dex-

teram

Digitized by Google

teram sacerdotis deosculans, illud eidem porrigat, qui inchoato versiculo *Asperges me*, vel *vidi aquam*, iuxta temporum rationem, & aspersо Altari dum à parte epistolæ ad Chorum pergit, vt Clerum aspergat Minister ipse, vel ostium aperiat, vel cortinã ante ostiũ, si ad fuerit pendentem attollat, donec Chorum ingressus fuerit; tum post ipsum vasculum aquæ benedictæ deferens celebrantem sequatur, & cum peruenerit ad medium Chori cum Sacerdote genuflectat, deinde cum ipso rediens ad gradus Altaris, genuflexus ab eo aspersorium recipiat: accipiens verò primum sacerdotis manus, deinde aspersorium ipsum osculetur, ac suo loco reponat; statim verò librum Missalis de Altari accipiens celebrãti ante gradus Altaris ministret, qui versiculos, & orationem decantabit, cum celebrans orationem perfecerit, Missali in altari collocato, manipulum, & casulam ei porrigat.

a Si verò aquę benedictæ aspersio facienda non sit: Celebraturus cum manipulo, & casula precedente Ministro superpelliceo induto ad Altare procedat; Iam verò absoluta Confessione, ac dicto *Dominus vobiscum* à celebrante, mox surgens pergat ad ostium à latere epistolę situm, & ibi thuribulum cum igne, & Nauiculam incenso paululum contuso, non autem contrito refertam ab alio clerico si fuerit, sin minus ab alio fratre per superiorem, aut Sacristam deputando sumat; b tum ad cornu epistolę conuersus, solita reuerentia adhibita, nauiculam cum cocleari apertam super Altare coram celebrante statuat, mox genuflectens, annulumque maiorem thuribuli sinistra sustinens, mediamque catenulam, quæ thuribuli operculo annexa est, parumper eleuans, operculum ad medias vsque catenas attollat: deinde dextera manu thuribuli pede apprehenso illud eo

a Rit. Miss.

b Cær. Epis. l. 1. c. 23. Rit. Miss. Cærem. Bonon. l. 1, c. 11.

Digitized by Google

vsque eleuet, quo celebrans commodè ter incensi grana in illud immittere valeat, & tamdiu eleuatũ teneat: quoad grana incensi in thuribulum immissa à celebrãte benedicta fuerint. [c] Antequam verò thus imponatur, minister dicat clara voce *Benedicite Pater Reu.* postea verò thuribulum clausum celebranti tradat, prius summitate catenarum, deinde ipsius sacerdotis manu deosculata; quod semper obseruare debet, quoties thuribulum, vel celebranti prębet, vel illud de illius manu accipit.

[c] Cærem. Episc. lib. 1. c. 23. Rit. Miss.

[d] Id præterea obseruari debet, vt in nauicula purum tantummodo thus boni odoris imponatur, vel si aromata, aut thimiamata cum thure miscentur, ea tanta non sint, quin quantitas thuris illa longe superet. [e] Interea verò dum sacerdos Altare, vel oblata incensat, ipse in supremo gradu stans infra suppedaneum à tergo Casulam paululum eleuet, atque hoc modo ipsum thurificantem comitetur, eadem cum celebrante reuerentias perficiens, & cum ipso cum opus est, genuflectens.

[d] Cærem. Episc. l. 1. c. 25.

[e] Rit. Miss.

Cum verò peracta iam incensatione celebrans ad medium Altaris redierit. [f] Mox ipse ad cornu epistolæ se conferens, thuribulum cum osculo summitatis catenarum, & manus celebrantis ab eodem accipiat, deinde paululum retrocedens, sinistra maiorem thuribuli annulum tenens, dextera verò catenas circa medium apprehendens, facta prius profunda reuerentia ter ducto ictu grauiter celebrantẽ incenset, ac denuo eandem reuerẽtiam iterans thuribulum Ministro reddat ad ostiolum epistolæ expectanti, Nauiculamque in feneſtella Altari proxima, in qua ampullæ asseruantur reponat, tum demum in vltimo Altaris gradu ad latus Euangelij genuflectens celebranti respondeat, cuncta vsque ad Euangelium, eo ordine, ac modo peracturus, quo in superiori

[f] Rit. Miss. Cærem. Episc. l. 1. c. 23.

Digitized by Google

periori capite sunt explicata.

[a] Cum ad Euangelium peruentum fuerit, Clericus ministrans præmissis reuerentijs Missale ad latus Euangelij transferat, mox se ad ostiolum conferens thuribulum à ministro recipiat, cum quo ad cornu epistolæ accedens Nauiculam in Altari collocet, ibique celebrantẽ genuflexus expectet, qui vbi incensum benedixerit, ac in thuribulum iniecerit, eo modo, quo in introitu dictũ fuit; protinus ad cornu Euangelij cum thuribulo se conferat, vt cum primum celebrans dixerit, *Sequentia Sancti Euangelij &c.* genuflexus [b] thuribulum dextra per summitatem catenarum, sinistra verò per medium sustentans celebranti porrigat: qui cum apud nos, qui nec Missas cantatas, nec diaconi, aut subdiaconi ministerio vtimur; Diaconi officio fungatur, ter librum incensat, deinde ministro in supremo gradu Altaris genuflexo, & thuribulum, ac manus ipsius deosculanti reddit. [c] Minister verò statim ad latus epistolæ retrocedẽs, stans à tergo celebrantis thuribulum morosè ducat, vsque ad finem Euangelij; quo peracto rediens ad cornu Euangelij præmissa reuerentia, eo modo, quo in principio Missæ dictum fuit, ter ducto thuribulo celebrantẽ incenset, ac thuribulum, vt prius ad ostium epistolæ custodiendum tradat.

[a] Rit. Miss.

[b] Cærem. Episc. li. 1. c. 23.

[c] Rit. Miss.

Absoluto à celebrante offertorio, & ampullis vini, & aquæ cum osculo, ac reuerentijs debitis celebranti à Ministro oblatis, Minister statim thuribulum ex eodem ostiolo repetat, Nauiculam in Altari componat, & genuflectens, vt priùs dicat [d] *Benedicite Pater Reu.* & ijs omnibus obseruatis, quæ supra in introitu dicta sunt, thuribulum cum osculis celebranti porrigat, à quo dum incensantur oblata, ipse genuflexus à tergo casulã vtraque manu paulisper eleuet, ac eundem reliquum Altaris

[d] Cærem. Epis. lib. 1. c. 23. Rit. Miss.

Digitized by Google

ris incensantē, vt dictu fuit, Casula paululum eleuata prosequatur, ab eo thuribulum in cornu epistolæ recipiat, ac eundem de more in cornu epistolæ ter incenset; Mox reddito thuribulo peluiculam cum ampulla aquæ pro digitorum celebrantis ablutione accipiens, celebrāti debitis reuerentijs ministret, & ea omnia vsque ad Præfationem seruet, quæ in primo cap. dicta sunt.

e Cærem. Episc. lib. 1. c. 23. Præfatione à celebrante peracta e Minister sumpta Nauicula, & thuribulo per ostiolum epistolæ Chorum ingressus, cum peruenerit ad medium facta genuflexione, ante superiorem, vel seniorem, qui in Choro est, eundem ter ducto thuribulo incenset, quem, & ante, & post thurificationem profunda capitis inclinatione prosequi debet, superior verò stans aperto capite dum thurificationem excipit, nulla Ministro capitis inclinatione respondeat, postea minister vnumquemque sacerdotem stantem nudo capite, minori capitis inclinatione bis incenset: qui & illi leuem capitis nutum reddere debent, deinde cæteris vno tantum, ac sine mora thuribuli ductu excipiat.

a Cærem. Episc. li. 1. c. 23. a Si Episcopus, aut Metropolitanus, aut Nuncius Apostolicus, aut Cardinalis, aut Princeps magnus sit in Choro, iuxta cuiusque dignitatem, prius incensandi sunt, qui maiori dignitate sunt prediti, de quibus consulendum est Cæremoniale Episcoporum lib. 1. c. 23. si in Choro sit minister Generalis, aut Visitator Generalis simul cum Prouinciali, & Guardiano eiusdem loci prius incensandus est Minister Generalis, vel Visitator Generalis triplici ductu, postea Prouincialis etiam triplici ductu, deinde Guardianus, omnes triplici ductu duplici tamen, si adsit Cardinalis, vel Nūcius &c. vt sup. Alij verò, si qui adsunt Superiores, duplici tantum ductu incēsētur reliqui Sacerdotes semel dum taxat ducto thu-

Digitized by Google

huribulo, cæteri promiscuè. Quilibet verò cum incensatur stet detecto capite, cogitetque ea thurificatione ab eo fragrantium orationum apud Deum incensa requiri.

Incensato Choro Minister dimisso tantisper thuribulo ei, qui illius curam gerere debet, per ostium Euangelij ad Altare redeat; [b] & facta profunda reuerentia Altari, vtrumque cereum accendat, genuflexionibus in medio iteratis, tum sumpto thuribulo, & thure in illud absque benedictione impositro genuflexus in supremo Altaris gradu Celebrantis casulam siniſtra eleuet, ac dextera thuribulum tenens trino ductu, tam in hostiæ, quam in Calicis eleuatione Sacramentum thurificet, humum per singulas quasque eleuationes deosculans: eleuatione peracta, redditaque in medio genuflexione; in ostiolo, qui est in latere epistolæ thuribulum reddat, & ad Altare reuersus in infimo gradu genuflectat. [b] Rit. Miss.

[c] Si danda sit pax cum primum à celebrante dictum fuerit Agnus Dei, Minister sumpta pacis tabella, in dextera celebrantis genuflectat dexteraque manu eleuatam tabellam teneat super Altare, donec à celebrante dicta fuerit prima oratio. Domine Iesu Christe &c. qua expleta, & Altari à celebrante deosculato eidem tabellam deosculandam porrigat, illique dicenti pax tecum, respondeat ipse, & cum spiritu tuo, Protinus surgens, atq; ante Sacramentum genuflectens, pacis tabellam ijs, qui in Choro sunt, eo ordine, quo inferius explicabitur, osculandam præbeat; quam tandem ad cornu epistolæ reuersus super Altare collocabit. [c] Rit. Miss. Cærem. Episc. lib. 1. c. 24.

[d] Peracto Missæ sacrificio eodem modo, & ordine, quo superius explicatum fuit, Celebrantem ad Sacristiam reuertentem præcedat; super pelliceum exuat; ac [d] Rit. Miss.

suo

Digitized by Google

suo loco reponat; & aliquantisper orans pro peracto ministerio Deo gratias agat.

DE OFFICIO SACERDOTIS CELEBRANTIS Missam priuatam.

CAP. VI.

e Concil. Trid. sess. 23. in Decret.

e CVm ex Tridentino Concilio id omnibus exploratum sit, nullum opus tam sanctum, ac diuinum hominibus relictum esse, quàm Sacrosanctum, ac tremendum Altaris misterium, in quo viuifica illa hostia, qua Deo Patri olim reconciliati sumus, incruenter à Sacerdotibus immolatur, inde quanto Religionis studio, ac pietate, quanta cordis puritate, & munditia, qua denique singulari, ac perfecta interioris, atque exterioris hominis compositione, sacerdotem ad res adeo diuinas accedentem præditum esse oporteat, haud facile explicari potest. Quapropter illud sufficiat, quod Dionysius de Sacerdotibus scribens, ita proloquitur. a *Hos qui ad Sacramenta cœlestia conficienda procedunt, ea oportet esse munditia, vt ipsas quoque animæ extremas imagines purgatas habeant, sicque ad reuerenda Mysteria, quantum fas est, similitudine puritatis accedere.*

a Dionys. de eccles. Heroni. p. 3 c. 3.

b Concil. Trid. sess. 13. c. 7.

b Idcirco sacerdotem celebraturum non obiter, ac perfunctorie, sed profundè, ac morosè in tanti Mysterij consideratione versari oportet, & Sacramentali confessione, si opus fuerit, præmissa; maiori quoad fieri poterit animi præparatione adhibita, ad omnem prorsus morum grauitatem, ac mentis recollectionem, eo præsertim tempore seipsum componere; ita ut nihil leue, nihil puerile, imò neque vllum humanum negotium eo tempore cum aliquo tractet.

Si

Digitized by Google

Si conuentualem Missam sit celebraturus, opportuno tempore captato, vel cum cellarum valuæ pulsantur, vel paulo ante quam pulsentur, ad Chorum pergat; ibique iuxta parata sibi mentis exercitia, cor Domino præparet: in id præsertim vim mentis intendens, vt intelligat, grande illi opus incumbere, cum non homine, sed Deo Opt. Max. animi habitationem præparandum assumit: diuinamque Christi personam in Altari repræsentare, & diuinissimum sacrificium, quod dignè tãtum à Christo in Cruce offerri potuit, conficere, & incruente immolare: Denique Deum ipsum sacramentalibus signis velatum in cordis sui domicilium recipere festinat. Hinc S. Germanus grauissime celebrantes monet, his verbis, *Agnoscite* ait *omnes sacerdotes, qui sacro Altari accediti, & incruentam victimam sacrificatis, quod viuas Christi passiones annunciatis*: Vt hinc diuinis planè donorum, & virtutum opibus se indigere non ignoret, quisquis ad sacram Aram celebraturus accedit, itaut cum vniuersa, quæ homini possibilia sunt, ad tanti operis ministerium attulerit, nihil se præstitisse fateatur, ac propterea tanto munere se indignum existimet. c S. Germanus i thes. Rerum Eccles.

Ante tertiam, si sexta dicenda non sit, vel post tertiã si sexta recitanda sit, e Choro exiens seorsum horam persoluat, vt promptiorem ad Missæ celebrationem se exhibeat: tum verò maturè ad Sacristiam accedens, d manus abluat dicens Da Domine &c. deinde genuflexus in Oratorio mentem ad Deum erigat, ac diuinum opus quod perfecturus est, eidem comendet: tùm maturè surgens Pallio deposito, crepidas induat, Missale accipiat, ac Missalem perquirens signacula suis locis disponat Calicem præparaturus prius eundem purificatorio tergat, ac purificatorium super os ipsius decorè cõplica- d Rit. Miss.

Digitized by Google

e Rit. Miſſ. plicatum extendens patenam ſuper ipſum ſtatuat. e Hoſtiam verò leuiter manibus prius circum circa ipſam ductis, à fragmentis purgatam in medio patenę collocabit, Animulã, ſeu pallam, ſuper ipſam reponẽs, Velũ deinde congrui coloris ſuper Pallã ita extẽdat, vt nõ nihil ante Calicem pendeat, vt poſtea ſuper burſam eiuſdem coloris, quæ ſuo corporali munita velo ſuper imponi debet, paululum complicari valeat.

f Rit. Miſſ. f Cunctis hoc ordine diſpoſitis profundè ſe Imagini, quæ in Sacriſtia principalis eſt, inclinans; tum à ſuperiore (ſi prẹſens fuerit) benedictionem cum genuflexione petita, ac ſe ſigno Crucis muniens paratum Amictum cruce prius in ipſius medio deoſculata capiti imponat, dicens, *Impone Domine* &c. eumque ante frontẽ tam longè perducat, vt non ſolum caput, ſed etiam frõtem obumbret; eundem quoque ſub mento ita contrahat, ac pendentibus vinculis circa lumbos conſtringat, vt nihil habitus, vel Capuccij extra illum erumpens appareat.

a Cærem. Cler. Reg. lib. 1. c. 6. a Albam deinde ad Collum vſq; complicatam capitis inclinatione à Miniſtro accipiat, ac protinus dextrã habitus manicam propè manus complicans Albæ manicam induat; parique modo ſiniſtram induendam porrigat: Tum verò manicarum rugas dextro prius poſtea ſiniſtro brachio aliquantulum extenſo, ſupra humeros miniſtro præbeat contrahendas: Mox Albæ anteriori parte vtraque manu vſque ad extremam habitus oram eleuata, ac ſuſtentata; palmasque vſque ad lumbos apertas porrigens, cingulum à miniſtro accipiat, ſudariolum cingulo appendat, poſtea manipulum, deinde ſtolam prælibatis cruci oſculis quę vtraque inſignita ſunt, tandem Caſulam illius coloris, quæ Miſſæ congruat, iuxta b Act. Eccl. Med. p. 3. fo. 467. Rom. Miſſ. rubricas induat. b Dum verò ſacris ſe veſtibus

bus sacerdos induit, prescriptam vnicuique indumento orationem, quæ in Missali habetur, recitet.

Hoc modo paratus sacerdos Calicem sinistra manu ante pectus eleuatum gerens, dextraque supra bursam extensa, ante Imaginem principalem se ipsum inclinet; tum incessu graui, atque oculis in Calicem defixis Ministro precedente ad celebrandum procedat, si aliquē magnatem in itinere obuiam habuerit, nec caput detegat, nec eum verbis salutet, sed caput tantum inclinet. Cum ad fontem aquæ benedictæ venerit, ea seipsum aspergat, vbi ad Altare peruenerit, in medio Altaris seipsum sistat; atque in infimo gradu genuflectat, caput detegat, & per medium Altaris ascendens Calicem reponat in cornu Euangelij, Amictum sibi circa collum componat, extrahat de bursa corporale, & illud extendens in medio Altaris, super illud Calicem velo operto statuat.

a Rit. Miss.

d Cærem. Cler. Reg. lib. 1. c. 16.

c Rit. Miss.

Si ob visus imbecilitatem conspicilijs vtatur, illa ita in naribus firmet, vel tenui filo ad vtramque aurem ligato, vel vti melius iudicauerit, componat; vt nullatenus e naribus excidere valeant, & quod si ea deponere contigerit, nunquam ea super corporale, sed extra corporale deponat.

f Act Eccl. Med. p. 4. fo. 739. Cærem. Cler. Reg. lib. 1. c. 26. *g* Ibidem.

Aperto Missali in cornu epistolæ, & signaculis suis locis pro Missæ qualitate dispositis, iterum ad medium Altaris reuersus, facta reuerentia Cruci, descendat ad infimum gradum Altaris: vbi, si opus fuerit, genuflexus expectet, nec antea Missam incipiat, donec luminibus accensis minister à sinistris post ipsum genuflexus Missæ initium prestoletur. Tunc surgens, facta profunda Cruci reuerentia iunctis manibus Missam grauiter, ac deuotè inchoet.

b Rit. Miss.

i Postquam Missam inchoauerit, neque ipse, neque mi-

i Rub. miss.

Digitized by Google

minister ad alterius Missam animum intendat, etiamsi Sacramentum eleuetur: sed vterque proprio tantum illius Missæ ministerio vacet.

Cum illa confessionis verba pronunciat, *& vobis fratres* &c. ad Ministrum minimè se conuertat: sed eodem modo, vt reliqua prosequatur. [k] Quoties in Missa nomen *Iesus* pronunciat, toties caput versus Crucem inclinet, præterquam in Euangelio, in quo tantum illud versus librum inclinare debet. Si Mariæ, aut sancti de quo celebratur Missa, aut Pont. Max. nomen in Missa, exprimi contingat, caput paululum demittat. [l] Si Altare ita dispositum fuerit, vt celebret facie ad Populum conuersa, cum dicit *Dominus vobiscum*, vel *Orate Fratres*, aut *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, non vertat humeros ad Altare; sed osculato Altari in medio expansis manibus Populum salutet, aut benedicat.

k Rit. Mis.

l Rit. Mis.

[a] In missaque nihil addat, nihil minuat, nihil immutet, præter ea, quæ in Rubricis correctionis Missalis habentur. [a] Si in Altari, in quo celebrat, Sanctissimum Sacramentum expositum fuerit, iuxta Romanas rubricas, semper cum ad medium Altaris accedit, vel ab eo recedit, genuflectat. [b] Cum verò faciem ad Populum vertit, dicturus, *Dominus vobiscum* &c. aut *Orate fratres* &c. aut aliquem communicaturus, nunquam se sistat in Medio Altaris, ne terga vertat Sacramento: sed paululum secedens à latere Euangelij, ibi dicenda pronunciet; dicturus hoc modo *Orate fratres*, aut *Ite Missa est* non circulum compleat; sed eadem via ad medium Altaris reuertatur, quoties versa facie ad Populum dicturus est. *Dominus vobiscum*, aut Populo in fine Missæ benedicturus, prius ante Sacramentum genuflectat, & eandem post benedictionem quoque genuflexionem repetat. Discessurus ab Altari non recta per medium, sed

a Concil. Trid. sess. 22. de ref.

a Ru. mis.

b Ru. mis.

Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 4.

Acta Eccl. Med. p. 4. fo. 749.

Rub. Mis.

Digitized by Google

sed à latere Euangelij descendat, & antequàm caput cooperiat, genuflectat in infimo gradu Altaris, atque inde ad Sacristiam ministro precedente reuertatur.

Vbi autem Sacramentum non fuerit expositum, cæteris iuxta Romani Missalis rubricas de more peractis, dicta præfatione. Memento longius quàm par est, non protrahat; ne tedio assistentes afficiat. [e] Benedicens oblata Cruces non inflexa, sed extensa manu grauiter perficiat, presertim cum manum à dextra ad sinistram ducit. [d] In Canone nomen Papæ, & Proprij Episcopi exprimat, panem, & vinum consecraturus verba consecrationis proferat secreto, & distinctè, ita vt solus ipse seipsum intelligat.

[e] Rit. Miss.

[d] Cæremon. Cler. Reg. lib. 2. c. 26. Rit. Miss.

[e] In Hostię verò, & Calicis eleuatione id obseruet, vt nec in genuflexione, neque in eleuatione Hostiam, aut Calicem extra Corporale super caput producat, sed recta via à medio corporalis inchoata, vtrumque super Corporale ita erigat, vt ab omnibus rectè videri, & adorari queat. [f] Genuflexiones verò corpore aliquantulum ab Altari seiũcto, & erecto grauiter, ac morosè peragat, quę profundam animi sacra Mysteria venerantis reuerentiam indicent.

[e] Rit. Miss.

[f] Rit. Miss. Acta Eccl. Med. p. 4. fo. 735.

[g] Post sanguinis sumptionem, vbi prius vino, deinde vino, & aqua Calicem, & manus purificauerit, aliam aquæ purificationem manibus abluendis non adhibeat, sed manus purificatorio tergat; dicto *ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, iuxta Missarum exigentiam. Si aliud Euangelium, quàm Sancti Ioannis, legendum sit; Minister, non Sacerdos librum deferat ad cornu Euangelij, Missa peracta; Sacerdos si in minori Altari celebra uerit ante quam gradus Altaris descendat, caput amicto tegat, si verò in Altari in quo Sanctissimum Sacramentum asseruatur, Missam perfecerit; statim amicto ca-

[g] Rit. Miss.

Rit. Miss.

Digitized by Google

put non tegat, sed amictum circa collũ obuolutũ vtraq; manu paululũ e collo extrahens. Missa peracta siniſtra Calicem accipiat, dexteraq; super bursã extensa descẽdat ante infimũ gradũ Altaris, atq; ibi caput tegens amicto genuflectat demissisq; oculis, atq; incessu graui, precedente Ministro, in Sacristiam reuertatur Deum benedicens Hymno trium puerorum. *Benedicite omnia opera* &c. Vbi ad Sacristiam peruenerit, Calice suo loco collocato, adiuuante Ministro, prius Casulam deponat, deinde Manipulũ, & stolã, osculis in singulis crucibus impressis, decenter super Casulam reponat, tum soluto cingulo, atq; Alba exuta amictus cordulas colligens eum super Albam collocet. Tum Pallio à Ministro accepto

a Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 749. a ad aquę fontẽ pergat, manus abluat, ac Deo omnipotẽti gratias acturus solitariè in aliquem locum secedat.

Cum verò sacerdos non Conuentualem, sed aliam priuatam Missam est celebraturus, eidem cõsultum est,

b Const. c vt in Conuentuali Missa, b quam cuncti conuentus fratres non legitimè impediti iuxta nostrarum Constitutionũ prescriptũ, deuoti audire debent, seipsũ ad Missæ celebrationẽ prępparet, vt ingruẽs interdũ celebrãdi necessitas ipsum imparatum non offendat, Mox verò cum signum Campanę eum ad celebrationem vocantis audierit, mentem ad Deum erigens, maturè ad Sacristiam se conferat, atque vniuersa, quę prius dicta sunt, omni diligentia, ac pietate peragat.

c Rit. Miss. Dum ad celebrandum pergit, c si eum ante Altare transire contigerit, in quo Sanctissimum Sacramentum asseruatur, aperto capite genuflectat; si Sacramentum expositum fuerit, aut communio fiat, genuflectens caput detegat, vbi verò eleuatur Hostia detecto capite genuflectat, nec ante surgat, quam Calix à celebrante super Corporale depositum fuerit,

Reli-

Digitized by Google

Reliqua omnia iuxta ea, quæ hactenus dicta sunt, peragenda curet.

DE MODO QVO MISSA debet celebrari.

CAP. VII.

QVod verò ad celebrandi modum spectat, [d] Sacerdoti imprimis cauendum est, vt non nimis festinanter, nec nimium morosè Missam legat, ne nimia festinatione diuinis Mysterijs, quæ summa cum religione, ac veneratione perfici debent, iniuria fiat, aut nimia tarditate audientes tedio afficiantur; sed ita mediocritatem seruet, vt nec vltra dimidiam horam, vel circiter comunem Missam protrahat, nec dimidia hora breuior sit omnia tamen clarè, & distinctè (interiectis, ad puncta morulis breuibus) pronunciet. [e]

[f] Eadem quoque mediocritas seruanda est, in tono vocis; ita vt Missam legat, voce non nimium submissa, ac depressa, quę diebus præsertim Dominicis, ac festiuis intelligi non possit, nec nimium clamorosa, quę, vel audiẽtiũ aures offendat, vel alios celebrantes impediat: sed graui, ac decora, vt tantum Mysterium decet, omnemq; affectationem legendo vitans, pietati tantum studeat: quæ clara, ac intelligibili voce dicenda sunt; quæ etiam secreto, prout in Missali notata sunt, clarè, ac submissè pronũciet. [g] Missę verò cum in diuersis Altaribus eodẽ tempore celebrandæ sunt, eo vocis tono dicantur, vt alter Sacerdos ab altero minimè perturbetur. Omnia semper ex libro, vel tabella secretorum legat, nonnullis exceptis, quæ memoriæ dici debent; cuiusmodi sunt *Iudica me Deus*, & *Confiteor*, & quedam alia, quæ vsus

[d] Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 737. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 26.

[e] Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 737.

[f] Cærem. Cler. Reg. l. 2. c. 26.

[g] Act. Eccl. Med. ibid. Cærem. Cler. Reg. ibidem.

Digitized by Google

ipſe docet eſſe memoriæ commendanda.

Cum dicturus *Dominus vobiſcum*, aut *Orate fratres*, aut Populo benedicturus, ſeipſum ad Populum conuertit, non repente, aut feſtinanter, ſed grauiter, ac de core id præſtet: neque oculis per Eccleſiam euagetur, ſed demiſſis in terram luminibus, munus ſuum honeſtè, ac modeſtè perficiat. Denique tam grauiter, tam mature, ac deuotè in toto Miſſæ miniſterio ſe ipſum gerat, vt nulla prorſus ipſius actio ſit, quæ pietatē, ac Religionē non præſeferat. Cętera, quę vel ad variam Miſſarū celebrationem, vel adorationes in Miſſa dicendas, vel etiā ad Miſſæ partes ſpectant, in tertio libro explicabuntur.

DE OFFICIO SACERDOTIS MISSAM ſolemnem celebrantis.

CAP. VIII.

EXplicatis, quę à celebrante agenda ſunt, in Miſſa priuata, ea conſequenter tradenda ſunt, quę in Miſſa ſolēni ab eodē obſeruari debent. Quid verò inter Miſſam priuatā, & ſolemnē diſcriminis ſit, in tertio libro indicabimus, interea hic ſolemnem Miſſam appellamus, in qua thus in Altaris Miniſterio adhiberi ſolet.

Sacerdos igitur in ſolēni Miſſa celebraturus, vbi ſacris veſtibus indutus fuerit, [a] præcedente Clerico cū ſuperpelliceo per oſtiū epiſtolæ ad Altare accedens in medio genuflectat, deinde per medium aſcendens vbi ad Altare peruenerit, facta profunda reuerentia Sacramento, & ſi illud in Altare expoſitum fuerit genuflectens, Calicem ſuper corporale ſuo loco diſponat, & dum accenduntur luminaria, ipſe reuerentia iterum Sacramento facta, transferat ſe ad Cornu epiſtolę Miſſa-

[a] Rit. Miſs.

Digitized by Google

Missale aperiat, & Missam suis iam signaculis distinctam inueniat, tum ad medium Altaris rediens, facta iterum reuerentia, conuersus ad Cornu epistolæ, ad infimum gradum descendat, in eoque paulisper orans genuflectat, [b] Deinde surgens post profundam corporis inclinationem iunctis manibus peractam, seipsum signo Crucis muniens, clara voce incipiat. *In nomine Patris* &c. ac reliqua vsque ad introitum iuxta Romani Missalis rubricas prosequatur.

[b] Rit. Miss.

[c] Absoluta Confessione celebrans per medium Altaris ascendens, vbi Orationes *Aufer* &c. & *oramus te* &c. deuotè dixerit, & Altare osculatus fuerit; conferat se ad cornu epistolæ, vbi antequam Missam inchoet, Thuriferario ministrãte thuribulum, & Nauiculam, cochleari ter incensũ, ex Nauicula sumens mittat in Thuribulum, moxque illud signo Crucis benedicens, dicat, *Ab illo benedicaris* &c. statimque thuribulum à Ministro accipiens [d] sinistra quidem manu summitatem catenarum amplectens, dextera autem easdem catenas simul iunctas propè Thuribulum constringens, ad medium Altaris procedat, & facta profunda reuerentia Cruci, & si Sacramentum in Altari fuerit, ante illud genuflectẽs, ter thuribulo grauiter, ac morosè ducto, Crucem thurificat, tum repetita reuerentia, vertat se ad latus epistolę, vbi à medio ter æquali distantia ducat thuribulum, prout distribuuntur Candelabra vsque ad Cornu epistolæ, vbi demissa manu prius inferiorem Altaris partem, postea superiorem, bis ducto thuribulo incenset: Mox verò manum eleuans thurificet eius planiciem, seu mensã anteriorem, ter ducens thuribulum vsque ad medium. Ibi facta Cruci reuerentia, procedens ad latus Euangelij triplici ductu, vt prius, thurificet aliud latus Altaris vsq; ad Cornu Euangelij; cuius inferiori prius, tum superiori

[c] Rit. Miss.

[d] Cærem. Episc. li. 1. c. 23. Rit. Miss.

Digitized by Google

ri parte triplici ductu incensata, parum à Cornu Euangelij recedens, ter quoq; thurificet superiorem Altaris tabulam vsq; ad medium: tum manu paululum demissa incenset frontem anteriorem Altaris ex eodem latere Euangelij, ter ducens thuribulum vsq; ad medium Altaris, vbi facta Cruci reuerentia, reliquam partem anteriorem triplici ductu incensabit, vsq; ad Cornu epistolæ, vbi reddens thuribulum Ministro, ab eo incensabitur.

[a] Cærem. Episc. li. 1. c. 23.

[a] Dum celebrans incensat Altare, cauere debet, ne personam, aut caput moueat cum thuribulum ducit, aut reducit, sed rectus stãs, grauiter tot passus moueat, quot thuribuli tractus perficit; atque interim sinistram, qua summitatem catenarum tenet, immobilem propè pectus collocet.

Peracta incensatione statim Missam inchoet, in qua ea omnia seruare debet, quæ à Missali Romano præscribuntur. [b] Cum ad Euangelium ventum fuerit, in Cornu epistolæ, incensum ponat in Thuribulum, & nihil dicens signo Crucis benedicat, Mox postquam in medio Altaris dixerit munda cor meum &c. ad Cornu Euangelij, se conuertens dicat *Dominus vobiscum* &c. *Sequentia Sancti Euangelij* &c. & thuribulum accipiens de manu Ministri, ter librum Euangeliorum incenset, redditoque thuribulo, Euangelium clarè, ac distinctè legat, quo lecto, & libro exosculato, versa facie ad Ministrum iunctis manibus stans in ipso Cornu Euangelij trinam à ministro incensationem expectet: tum cætera de more iuxta Missæ rationem perficiat.

[b] Rit. Miss.

[c] Cærem. Episc. lib. 1. c. 23. Rit. Miss.

[c] Deniq; facto offertorio, ac dicto *Veni sanctificator* &c. Sacerdos trãsferat se ad cornu epistolæ, vbi cocleari ter sumat incensum ex Nauicula, terque in thuribulũ immittat dicens, *Per intercessio* &c. ac illud deinde signo Crucis

Crucis benedicens, thuribulum à Ministro accipiat, & procedens ad medium Altaris, nulla facta Cruci reuerentia dexteram manum cum thuribulo eleuans, incenset oblata, ter ducens thuribulum supra Calicem, & Hostiam simul in modum Crucis; & circa Calicem, & Hostiam, bis scilicet à dextra ad sinistram, & semel à sinistra ad dextram: in qualibet incensatione ita verba dispensans, vt in prima Cruce dicat *Incensum istud*, in secunda *à te benedictum*, in tertia *ascendat ad te Domine*, in quarto, & qninto ductu thuribuli circa oblata à dextra ad sinistram, *& descendat super nos* &c. in sexto à sinistra ad dextram *misericordia tua.*

[d] Deinde facta cruci reuerentia eodem modo, quo in introitu Missæ dictum fuit, incenset Altare, primum à latere epistolæ, deinde in cornu Euangelij ita dispensãs illa verba: *Dirigatur* &c. vt simul cum thurificatione compleantur. Postremò reddens thuribulum Ministro in Cornu epistolæ dicat. *Ascendat in nobis* &c. ab eo ibidem, vt ter incensetur, iunctis manibus expectet, statimque lauet manus, & reliqua suo ordine vsque ad Agnus Dei prosequatur.

[d] Cærem. Epis. ibid. Rit. Miss.

[e] Dicto verò Agnus Dei, cum primum orationem Domine Iesu Christe, quæ ordine prima est, compleuerit, si danda sit pax exosculato Altari in medio, tabellã quoq: pacis, quæ illi à Ministro in Cornu epistolæ porrigitur, deosculetur dicens *Pax tecum*. Quomodo verò se gerere debeat in communione administranda, cum ad sunt communicandi, in tertio libro exponendum erit. Reliqua vsque ad finem Missæ eo modo prosequatur, quo superiori capite explicatum fuit.

[e] Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 1. c. 24.

Digitized by Google

DE OFFICIO SACERDOTIS,
& Ministri cum Missa celebratur coram Episcopo in loco suæ iurisdictionis.

CAP. IX.

SI interdum accidat, vt ex nostris sacerdotibus quispiam coram Episcopo Archiepiscopo, aut Cardinali in loco iurisdictionis eorundem vel etiam in nostris Ecclesijs celebret, vbi vel Visitatoris Apostolici, vel legati à latere munere funguntur: æquum est, vt quæ in huiusmodi celebratione necessario obseruanda sunt, ab ijs non ignorentur.

Quapropter id imprimis Domus superiori curandũ est, vt cum primùm huiusmodi Prelatum certo nuntio venturum esse resciuerit: [a] Oratorium intra Presbyterium tapeto aliquo, prout status nostri paupertas fert, ornatum cum puluinis, tum ad genuflectendum, tum ad procumbendum, parandum satagat, [b] caueat tamen, ne ijs rebus vllo pacto vtatur, quæ Altaris Ministerio deseruiunt. Deinde Sacerdotem eligat, huic muneri idoneũ, qui prius omnes cæremonias in ea celebratione obseruandas perfectè didicerit, ac perspectas habeat. Altare paramentis congrui coloris solemnioribus plus solito ornetur.

[a] Pontif. Rom.

[b] Concil. Med. 2. Decret. 9.

[c] Prælato adueniente superior simul cum fratribus hinc inde dispositis, eundem ante fores Ecclesiæ cum aspersorio prestolabitur, quò cum Prælatus peruenerit, superior genuflexus Aspersorium cum osculis Prælato porrigat, à quo omnes genuflexi asperguntur, interea pulsetur Campana, & sex luminaria in Altari accendãtur, si Prælatus Legatus fuerit, aut Catdinalis superiore inchoante decantetur sequens Resp. ℟. *Homines magni virtu-*

[c] Pontif. Rom.

Digitized by Google

virtute, & prudentia ſua præditi, imperantes in præſenti populo, & nunciantes virtute prudentia populis ſanctiſſima verba Homines diuites in virtute pulchritudinis ſtudium habentes, pacificantes in Domibus ſuis ℣. Sapientiã ipſorum narrent populi & laudem eorum nunciet Eccleſia Homines diuites. Gloria Patri. Homines &c.

Si verò tantum Archiepiſcopus aut Epiſcopus fuerit; cantetur Reſp. quod ſequitur ℟. *Ecce ſacerdos magnus, qui in vita ſua ſuffulſit domum, & in diebus ſuis corroborauit templum. Qui præualuit amplificare Ciuitatem: & adeptus eſt gloriam in conuerſatione gentis ſuæ ℣. Fidelis ſeruus, & prudens, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, vt det illi in tempore tritui menſurã. Qui præualuit* &c. *Gloria Patri* &c. *Qui præualuit* &c. Deinde intonetur *Te Deum laudamus*, vel Pſalmus *Laudate Dominum omnes* &c. vel Pſal. *Memento Domine Dauid* &c. & ordinate ad Altare procedentes, vltimus omnium ante Prælatum ſuperior incedat. Vbi ad Altare ventum fuerit, expleto Hymno, aut Pſalmo ceſſabit Campana: & omnes genuflexi medium habentes Prælatum, cum ipſo paulisper orabunt. Cærem. Gler. Reg. li. 2. c. 15.

Si Prelatus ipſe celebrare voluerit, præparatis ſuper Altare paramentis, & parua Credentia in Cornu epiſtolæ ſtatuta proprios capellanos, iuxta cæremonialis Epiſcoporum ritus, eidem inſeruire ſinent. Cer. Epiſ. l. 1. c. 29.

Si verò Miſſæ ſacrificio tantum intereſſe voluerit. Celebrans præcedente Miniſtro ſuperpelliceo induto, mature ad Altare procedat: Cum ante Prælatum tranſierit, tam celebrans quàm Miniſter profundam illi reuerentiam reddant: Celebrans tamen Caput non detegat: poſtquam Calicem in Altari depoſuerit, librumque aperuerit, deſcendat ad infimum gradum Altaris à Cornu Euangelij atq; ibi ſtans à Prælato ſignũ celebrãdi Rit. Miſſ.

Digitized by Google

di expectet: Dato signo à Prælato celebrans profunda reuerentia eidem facta, & Altari debita reuerentia exsoluta, stans in Cornu euangelij aliquantulum conuersus ad Altare Missam incipiat in Confessione vbi alias dicendum esset, *& vobis fratres & vos fratres dicat*, & tibi *Pater & te Pater*, profundè se versus Prælatum inclinans Minister verò in Cornu epistolæ genuflexus respondens cum ad ea verba confessiones peruenerit, & tibi Pater, & te Pater non ad Prçlatum, sed ad celebrãtem se conuertat.

Rit. Miss. Confessione peracta celebrans dicto oremus faciat reuerentiã Prælato, & acsedens ad vltimum gradum Altaris in medio dicat *Auser à me*, & cætera vsque ad Euangelium de more legat.

Cær. epis. lib. 1. c. 30. Rit. Miss. Lecto Euangelio Celebrans librum non osculetur, nec dicat *per euangelica dicta* &c. sed immediatè post Euangelium si symbolum dicendum sit, liber à Capellano deferatur osculandus Prçlato: si verò symbolum recitandum non sit, id tantum post lectum Offertorium fiat. Quod si Capellus prçsens non fuerit, Minister librum ad Prælatum deferat apertum & sine vlla reuerẽtia, aut genuflexione locum Euangelij eidem osculandũ porrigat; clauso deinde libro ante Prælatum genuflectat, & librum ad Altare referat; rursumque suo loco aperiat post *Agnus Dei*, à Capellano, vel à Ministro, si is præsens non fuerit, Pacis instrumentum Prçlato osculandum offeratur, reuerentiaq; duntaxat, post osculum eidem exhibeatur.

t Cærem. Epis. lib. 1. c. 03.

Cær. Epis. ibidem. In fine Missæ benedicturus Populo, vbi dixerit *Benedicat vos omnipotens Deus*, caput versus Prælatum profundè inclinans, ac velut ab eo benedicendi facultatem petens, alia verba prosequatur *Pater, & filius* &c. circũstãtesq; à parte, vbi nõ est Prælatus benedicat. Vltimo

Euan-

Digitized by Google

Euangelio perlecto, ſtatim verſa facie ad Prælatum profundam eidem reuerentiam exhibeat, & ſi iterum ante idſum tranſire contigerit rurſus caput verſus ipſum inclinet Recedentem Prælatum ſuperior cum fratribus ad fores Eccleſiæ comitentur, vbi genuflexi ab eo benedictionem petant.

Si tamen ex his Prælatis quiſpiam in noſtris Eccleſijs abſque iurisdictione publicè Miſſæ ſacrificio intereſſe voluerit: Oratorium, vt ſupra, eidem paretur ſuperior verò cum duobus, vel tribus fratribus eundem in foribus Eccleſiæ expectet, eidem aſperſorium porrigat, vt ſe, ac ſuos aſpergat, & debitis reuerentijs, abſque vllo cantu ipſũ excipiat: quatuor candelæ integræ in Altari accendantur. Celebrans cum ante illum tranſit, caput inclinet, ſingulares verò omnes illæ cæremoniæ, quæ in Miſſa obſeruarentur, ſi eſſet in loco ſuæ iurisdictionis, ommittantur dicta Miſſa Celebrans verſa ad ipſum facie, eidem reuerentiam ſe inclinando præſtet. Rit. Miſſ.

Idipſum ſeruari debet, cum aliquis magnus Princeps, ſeu Principiſſa in locis ſuæ ditionis ad noſtram Eccleſiam accedit, vnum vel plura oratoria, vbi opus erit, ſuis tapetibus ornata parentur: Præterea in foribus Eccleſiæ cum aſperſorio à Superiore, & Patribus expectetur, atque ibi profundis reuerentijs adhibitis aqua benedicta aſpergatur, quatuor integræ candelæ in Altare accendantur; Celebrans quoque opportunis inclinationibus cum ante ipſum tranſit, tum ante Miſſam, tum poſt Miſſam eundem proſequatur. d Põt. Ro. Cær. Cler. Reg. lib. 2. c. 15.

Si ſolemni Miſſæ intereſſe voluerit, id vbi conſuetũ fuerit obſeruetur, vt prius ipſe, vel ipſa, quàm ſuperior incenſetur, eidem quoque prius pax detur; egredientem denique ſuperior cum patribus humilibus reuerentijs exhibitis vſque ad Eccleſiæ ianuam comitentur. e Pont. Ro.

f Epiſ-

f Cærem. Cler. Reg. lib. 1. c. 15.

f Episcopo processionaliter ante fores nostrarum Ecclesiarum transeunte, campana pulsetur. Idem quoque fiat quoties, vel Clerus, aut aliquis Religiosorum ordo ob indulgentias consequendas, vel alia ex causa processionaliter ad nostras Ecclesias confluxerit, tunc enim præter campanę pulsationem in Altari, quatuor quoque luminaria accendi debent.

DE OFFICIO HEBDOMADARII.

CAP. X.

a Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 28.

a HEbdomadarius, qui inde nomẽ sortitus est, quòd per integram hebdomadam temporarias in suo munere vices gerat, sacerdos esse debet, vt perfectè suo officio fungi possit. b Idcirco sacerdotes omnes (excepto quem superior iusta ex causa eximi voluerit) quilibet in sua hebdomada, quę à Vesperis Sabathi vsque ad Vesperas sequentis Sabbathi exclusiuè principium sumit, in hoc munere inseruire debent.

Cærem. Cõg. Cas. c. 18.

Ipsius porrò munus tripartitum est; Prima eius muneris pars est, diuinum officium in Choro dicere, inchoare, ac Ducis instar moderari; Secunda, conuentualẽ missam, quę officium diuinum immediatè sequitur, celebrare, minores hostias in tabernaculo asseruatas renouare, fratres in Missa Conuentuali communicare, & Viaticum, & oleum sanctum infirmis (nisi alteri id officij à Superiore iniunctum fuerit) ministrare; Tertia, aquam ad aspersionem mane in die Dominico, antequã officium diuinum in Choro celebretur, benedicere. Demum quęcunq; extraordinarium Sacerdotis ministerium postulant, ab eo, tanquam ab ordinario Ecclesię ministro, in sua hebdomada pręstari debent.

Heb-

Digitized by Google

Hebdomadam celebraturus igitur, in Veſperis Sabbathi, [c] dato primo Veſperarum ſigno, maturè ad Chorum conueniat, atque ad eam Chori partem ſe cõferat, à qua officium in ea hebdomada inchoari debet, eamq; ſedem petat, quam munere illo fungens conſuetum eſt tenere.

[c] Concil. aquisgra. 1. c. 126. vſque ad 130.

[b] Suo itaque loco genuflectẽs, officium de quo fieri debet, tam in Calendario Romano, quàm in ſingulari illius diœceſis, necnon in proprio noſtri ordinis libello diligenter perquirat; ac ſuis ſignaculis in breuiario diſtinguat: Acolytos admoneat, præſertim cum ſingulare aliquod officium occurit, de quo ſemel in anno tantum fieri contingit, & ſi opus fuerit de agendis inſtruat, tum clauſo libro mentem ad diuinum officium præparet: dato à ſuperiori ſigno, vt vltimum Veſperarum ſignum, campana pulſetur; ſurgentibus omnibus ipſe poſt honeſtum temporis ſpatium lapſum, nempe vnius Benedictus, vel ſi dies Dominicus, aut feſtus fuerit, vnius miſerere, poſtquam ſuperior genuflexus ſurrexerit: [i] ſtans, vtriuſque manus percuſſione ſignum edat, tantoque temporis ſpatio interiecto, quoad commodè etiam ab ijs, qui tardè pronunciant, ſecreto dici poſſit. *Pater noſter, & Aue Maria*, iterum leui manuum percuſſione ſignum repetat: [a] tum aliquantulum verſus ſuperiorem, caput inclinans, tanquam qui licentiam petat incipiendi, tenensque ſiniſtram manum ante pectus, dextera aperta faciat ſibi ſignum crucis à fronte ad pectus: ſi duplex, aut ſemiduplex fuerit officium intonet intelligibili voce. *Deus in adiutorium meum intende*, & ad vnum quoque verbum tangens manu primò frontem, deinde pectus, mox humerum ſiniſtrum vltimo dextrũ, in fine iungat manus ante pectus.

[b] Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 30.

[i] Act. Eccl. Med. p. 2. fo. 31.

[a] Cæremo. Epiſc. l. 2. c. 2.

[b] Decantatisque antiphonis, ac pſalmis, quæ illi offi-

[b] Ru. genu

cio

Cler. Reg. lib. 1. c. 35. cio congruunt, ante hymnum clara voce, & sonora dicat Capitulum, eundem prorsus vocis tonum tam in principio, quam in fine capituli obseruans. Dicto *Magnificat*, ac repetita Antiphona ab Acolyto, eodem vocis tono dicat *Dominus vobiscum:* deinde orationem. Si plures cõmemorationes faciẽdę sint, plures quoq; legat Orationes in tono Chori, post quas iterũ dicat. *Dominus vobiscum*, & *Benedicamus Domino:* tũ voce paululũ depressa *Fidelium animæ.* [c] Si officiũ fuerit semiduplex, peracta vltima oratione, voce paulũ demissa dicãtur suffragia dẽ B.M.V. de Apostolis, de Patrono Ecclesiæ, quibus ex antiquo Religionis nostræ more addantur suffragia de P.N.S. Francisco, *Salue sanctæ Pater*, & deinde de sanctis nostri Ordinis, *Vos sancti Dei*, & postremo de pace. Hebdomadario ad singula dicente versiculũ, & Orationem concludit, *per Dominum nostrum* &c. vsq; *ad fidelium Animæ* &c. quod semper dicitur voce sub missa Deinde dicto *Pater noster*, secreto, canitur à Choro Antiphona B. V. iuxta temporum varietatem iunctis manibus, ac submissa voce; qua expleta, Hebdomadarius surgens pronunciat versiculum, & orationem tunc Antiphonæ congruentes, concludens, *per Christũ* &c. Tum submissius subdit, *Diuinum auxilium* &c. Postremò genuflectens dicit pro indulgentia officij [d] *Sacrosanctæ*, *& indiuiduæ* &c. iuxta antiquam Religionis nostræ consuetudinem, & hoc modo semper terminantur horæ, cum discedendum est à Choro.

[c] Rub. gen.

[d] Comp. priuil. V. off. diuin. 2

[e] Rub. gen. [e] Ad Completorium facto signo ab Hebdomadario, & Acolytho altæ voce dicente *Iube Domne* &c. idem Hebdomadarius iunctis manibus eodem tono respondeat, *Nocte n quietam* &c. & post capitulum breue, paulo remissiori tono subdat, *Adiutorum nostrum* &c. signãs se interim signo Crucis, dicto, *Pater noster*, secreto, & inclina-

Digitized by Google

clinatione vsque ad genua demissa, dicat Confessionē & inclinatus expectet, donec Chorus absoluerit *Misereatur*, cui cum responderit *Amen*, tunc seipsum erigat, & Chori confessionem erectus audiat, qua peracta, & dicto *Misereatur*, & data absolutione, alta, ac intelligibili voce incipiat *Conuerte nos* &c. pectus interim pollice dextro signans, Cum verò subdit *Deus in adiutoriū* seipsum signet, vt superius dictum fuit. Psalmis, & Hymno dictis, statim Capitulum. *Tu autem in nobis*, &c. clara voce pronunciet. Post *Nunc dimittis*, & ipsius Antiphonam, nisi fiat de duplici, dicendæ erunt preces; idcirco statim inchoare debet eadem voce *Kyrie eleison*, Choro prosequente *Christe eleison* *Kyrie* &c. cui statim subiungere debet clara voce. *Pater noster*, quo ab omnibus secreto dicto, submissa voce dicat, *Et ne nos* &c. respondenti Choro *sed libera* &c. statim intelligibili voce intonet, *Credo in Deum*, & reliqua ipse cum Choro secreto prosequatur vsque ad verba *Carnis resurrectionem*, quæ non alta, sed intelligibili voce pronuncians, eadem voce reliquas preces absoluat. In fine altiori voce dicat *Dominus vobiscum*, & orationem decantet.

a Post orationem seipsum signans, humiliori voce dicat *Benedicat, & custodiat nos omnipotens & misericor Dominus Pater, & Filius, & Spiritus sanctus*, deinde alta, & sonora voce canitur Antiphona B.V. tempori consona, qua absoluta, surgens eadem voce canit versiculum, & orationem, quam semper rectus, ac iunctis manibus pronunciare debet, Deinde iterum genuflectat. Dictis à Choro genibus flexis *Pater noster*, *Aue Maria*, & *Credo* secreto: superior post Hebdomadarij signum, & non alius intonabit principium Antiphonæ S.P.N. Frāciſci. *Cœlorum candor*, quæ semper post completorium dici debet, præter quam in diebus Natalis Domini, Paschæ, a Rub. gen.

Digitized by Google

Paſchæ, Pentecoſtes, & in triduo maioris hebdomadæ, in quibus propter dierum ſolemnitatem omittitur; ſicut etiam ſuffragia pro viuis, & defunctis, quæ ter in Hebdomada, nimirum qualibet feria 2. 4. & 6. poſt hanc cõmemorationem fieri ſolent: Chorus verò reliquum Antiphonæ proſequatur: qua abſoluta, Hebdomadarius genuflexus dicat, eodem tono vocis ſubmiſſo verſiculum *Signaſti Domine* &c. Choro reſpondente *ſignis redemptionis noſtræ* ſubiungat orationem *Domine Ieſu Chriſte* &c.

Si fuerit feria 2. vel 4. aut 6. poſt orationem Hebdomadarius ſtatim intonet eadem voce pſalmũ *Deus Miſereatur*, qui alternatim à Choro dicitur cum *Gloria patri*, & poſt ipſum pſalmus *Deprofundis*, & in fine *Requiem æternam*, quo abſoluto Hebdomadarius intonare debet. *Pater noſter*, quem poſtea cum Choro ſecreto proſequitur: quo dicto ſubdit, *Et ne nos* &c. deinde, *Oremus pro benefactoribus noſtris*, Chorus verò reſpondet *Retribuere dignare* &c. addit Hebdomadarius *Oremus profidelibus Defunctis*, reſpondẽte Choro *Requiem æternam* &c. ſubiungit Hebdomadarius *requieſcant in pace*, & *Domine exaudi*, & *Dominus vobiſcum*, Oremus *Omnipotens ſempiterne Deus, qui viuorum* &c.

Hac oratione peracta inchoentur litaniæ B. Virginis à Kyrie eleyſon, Choro ad ſingula reſpondente, quibus abſolutis, canitur à Choro Antiphona, ſub tuum preſidium; deinde ab hebdomadario, ℣. Ora pro nobis ſancta Dei Genitrix. Choro reſpondente vt digni &c. tum ſubdit ipſe orationem, Gratiam tuam &c. Secundam, dé Spiritu ſancto, & tertiam pro aliqua neceſſitate, vel ſi ea deſit, pro neceſſitatibus Eccleſiæ. Denique concludat officium ſubmiſſa voce proferens *Sacroſanctæ & indiuiduæ Trinitati* &c.

Ad

Digitized by Google

[b] Ad matutinum dato ſigno ab Hebdomadario, dictoq; ab omnibus profundè inclinatis, *Pater noſter*, *Aue Maria*, & *Credo*, atq; iterum repetito ſigno; Hebdomadarius ſignans labia pollice dextro intonet, *Domine labia mea aperies*, deinde formans ſibi ſignum Crucis, vt ſupra, proſequatur eadem voce, *Deus in adiuterium meũ intende*, ſi officium duplex fuerit, Antiphonæ ante pſalmos integræ recitentur: Si verò ſemiduplex, principiũ tantum Antiphonarum ante Pſalmos, aut Cantica proferantur. [b] Cærem. Epiſc. li. 2. c. 6.

Inuitatorio, Hymno, tribus pſalmis cum Antiphona, & verſiculo decantatis: Hebdomadarius ſtans intelligibili voce intonet, *Pater noſter*, quo dicto ſecreto, ſubdat, *Et ne nos*, Deinde abſolutionem, *Exaudi* &c. & ad ſingulas lectiones, Benedictionem, [a] quam dabit ſtans, ac detecto capite, eundem quoque ordinem in ſecundo nocturno obſeruabit. [a] Cærem. Epiſc. li. 2. c. 6.

In tertio verò nocturno, abſolutis Pſalmis, Antiphona, & verſiculis, ſequens ſacerdos exiſtens à parte Hebdomadarij eodem modo intonet, *Pater noſter*, pronunciet Abſolutionem, *A vinculis* &c. Hebdomadarius verò pallio depoſito accedens ad legile dicat, *Iube Domne benedicere*, [b] capite aliquantulum verſus ſacerdotem benedicentẽ inclinato: tum accepta benedictione, legat Euangelium, & dum legitur textus Euangelij, omnes ſtent iunctis manibus, & detecto capite: legat quoque tres lectiones de Homilia, & de more pronunciet Reſpõſoria in fine cuiuslibet lectionis ſimul cum Acolytho, cum verò nona lectio eſt alicuius ſancti ſimplicis, ſine titulo legitur, quod enim in Breuiario notatur literis rubris (pro Sancto N.) non eſt titulus, ſed rubrica. In fine verò vltimę lectionis alta voce pronunciet, *Tu autem* [b] Cærem. Epiſc. ibid.

Digitized by Google

tem Domine &c. Choro respondente, *Deo gratias*. Tũ immediatè Hebdomadarius, antequam à legile discedat, clara voce intonet, *Te Deum laudamus*, quem Hymnum Chorus alternatim prosequatur. Cum verò ventum fuerit ad ea verba, *Te ergo quæsumus* &c. Hebdomadarius cum toto Choro procumbat, ac humum deosculeetur. [c] Hoc hymno absoluto inchoet laudes dicens, *Deus in Adiutorium* &c. signans seipsum, vt supra: Post vltimam Antiphonam legat Capitulum: post Benedictus orationem: aut plures orationes, si plures commemorationes faciende sint: Post vltimam orationem, si officium fuerit semiduplex, non dicatur, *Per Dominum* &c. sed statim submissioritono inchoentur suffragia de B.M. de Apostolis, vt superius dictum fuit: si verò fuerit duplex, concludatur vltima oratio, *Per Dominum nostrũ* &c. recitetur Antiphona B.V. tempori congrua à Choro, & ab Hebdomadario versiculus cum oratione: dicatur, *Diuinum auxilium*, submissius: quo dicto, iuxta Constitutionum nostrarum præscriptum, statim Hebdomadarius voce paululum eleuata incipiat, *Ne reminiscaris* &c. si litaniæ post matutinum sint dicendę: qua Antiphona simul cum Choro absoluta solus dicat, *Kyrie eleison*, cui ad singulas inuocationes Chorus respondere debet: Post litanias, ab Hebdomadario dicatur, *Sacrosanctæ* &c. si verò litaniæ dicendæ non sint, post, *Diuinum auxilium*, ab Hebdomadario dicatur, *Sacrosanctæ* &c.

[c] Cærem. Epis. ibid.

[d] Ad primam, vbi dictum fuerit secreto, *Pater noster*, *Aue Maria*, *Credo*, Hebdomadarius dicat, *Deus in adiutorium*, seipsum signans more solito, legat Capitulum: & dicto responsorio breui ab Acolythis, si officium fuerit duplex, stans manibus iunctis pronunciet orationẽ,

[d] Rub. gen. Breu.

Do-

Digitized by Google

Domine Deus omnipotens, si verò fuerit semiduplex, aut Dominica dies, dicantur preces ab Hebdomadario, & post eas oratio, qua absoluta, [a] legatur Martyrologium: eo lecto, Hebdomadarius dicat voce parum eleuata, *Pretiosa* &c. *Sacta Maria* &c. subdens ter, *Deus in adiutorium* &c. quod dicens, neque Hebdomadarius, neque alij seipsos signent, signum enim Crucis ad ea verba adhiberi non debet, nisi in principio horarum. Deinde post, *Kyrie* &c. *Pater noster* &c. *Et ne nos. Respice in seruos tuos* &c. *Gloria* &c. & orationem, *Dirigere* &c. Acolytho dicente, *Iube Domne* &c. respondeat, *Dies, & actus* &c. & post lectionem breuem subiugat, *Adiutorium nostrum* &c. *Benedicite* &c. *Dominus nos benedicat*, paulo humiliori tono subdens, *& fidelium* &c.

[a] Rub. gen.

[a] In reliquis quoque horis Hebdomadarij munus est signa pro officio inchoando edere: officium intonare: Capitulum legere: preces recitare: Orationem, tum, *Benedicamus Domino*, & voce tenuiori, *Fidelium animæ*, recitare: Postremo si à Choro discedendum sit, peractis horis, *Sacrosanctæ* &c. pro indulgentia proferre.

[a] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 31.

[b] Cum autem officium fit de festo simplici, aut de feria, ad Vesperas dicto, *Pater noster*, & *Aue Maria*, ante Vesperas diei dici debent vesperæ B.V. voce quidem mediocri, sed intelligibili. Hebdomadarius proferat Capitulum, & post, *Magnificat*, *Dominus vobiscum*, orationem tempori congruentem, & post eam orationes quoque pro commemoratione sanctorum, iuxta variam temporum rationem: quibus absolutis, altiori tono inchoet vesperas diei, [c] seipsum signans, dum dicit, *Deus in adiutorium* &c. vt aliàs explicatum fuit: eodem modo legat Capitulum, & post, *Magnificat*, orationem diei, & cæteras, quæ dicuntur post suffragia.

[b] Rub. gen.

[c] Cæremon. li. 2. c. 1.

In ferijs aduentus, Quadragesimæ, & quatuor tempo-

Digitized by Google

rum, cum dicēdę ſunt pręces, repetita Antiphona poſt ;
d Rub. gen. *Magnificat*, d omnibus genuflexis, Hebdomadarius & ipſe genuflectēs, humiliori voce dicat, *Kyrie eleiſon* &c. quem deinde Chorus ſequatur, & eadem voce pręces grauiter ac deuotè proferat, quibus abſolutis, erectus alta voce intonet *Dominus vobiſcum*, Orationem recitet, ac cōcludat, *Per Dominū* &c. Tū verò ſtatim inchoentur ſuffragia, ſcilicet de Cruce, de Apoſtolis, & alia vt ſup.

In feſtis verò ſimplicibus ſuffragium de Cruce omittatur, Poſtrema verò oratio ab Hebdomadario concludatur, *Per Dominum* &c. *Dominus vobiſcum*, *Benedicamus Domino*, & ſubmiſſiori tono, *Et fidelium* &c. Tum dicto, *Pater noſter*, ſecreto Hebdomadarius voce mediocri dicat, *Dominus det nobis* &c. Tum à Choro cantatur Antiphona B. V. tempori congruens, Hebdomadarius verò verſiculum, & orationem pronunciet, quam concludere debet, *Per Chriſtum Dominum* &c. *Diuinum auxilium* &c. *Sancroſanctæ, & indiuiduæ* &c.

Ad Completorium Hebdomadarius ijs omnibus obſeruatis, quæ ſuperius in genere dicta ſunt, Poſt capitulum, Pręces, & orationem, *Viſita quæſumus* &c. Dicto *Benedicamus*, ſtatim inchoet Completorium B.V. ſubmiſſiori vocis tono : atq; eodem perſoluat Capitulum, orationem vſq; *Ad Benedicamus Domino*, incluſiuē: quo dicto ſtatim altiori voce inchoetur à Choro Antiphona B.V. tempori conſentanea, quę dicatur iunctis manibus, & flexis genibus, pręterquam in Dominicis, ac toto tempore Paſchali, Hebdomadario verſiculum, cum oratione decantante, ac cætera omnia, iuxta ea, quę ſuperius explicata ſunt, perficiente.

Ad Matutinas horas, prælibatis, *Pater noſter*, *Aue Maria*, *Credo*, Hebdomadarius mediocri vocis tono intonabit Matutinū B.V. leget Capitulū, dabit benedictiones,

inchoa-

Digitized by Google

inchoabit laudes, Capituloque laudum cum oratione absolutis post, *Benedicamus Domino*, eleuata voce inchoabit matutinũ officium diei, more solito se signans, & vniuersa peragens, quæ paulo ante sunt expositа.

Vbi Antiphona post, *Benedictus*, ab Acolytho repetita fuerit si fiat de festo simplici, aut de feria communi, statim ab Hebdomadario dicatur oratio iuxta officium diei, & post orationem suffragia. At si officium fiat de feria Aduentus, Quadragesimę, Vigiliarum, aut quatuor temporum, statim dicantur Preces ab Hebdomadario flexis genibus, vt in Breuiario præscribitur, deinde oratio, & post orationem, si nulla commemoratio facienda sit, suffragia Sanctorum cum orationibus, & oratio post Antiphonam B. Virg. ab eo recitentur, post hæc septem Psalmos, aut litanias, si eo tempore dicende sunt, inchoet: ac orationes prosequatur, postremo addat *Sacrosancta* &c.

Ad primã, & cæteras Horas dictis, *Pater noster*, & *Aue Maria*, Hebdomadarius eadem, quæ superius diximus, obseruare debet, præterquam quod inferijs Aduentus, Quadragesimæ, Vigiliarum, & quatuor temporum post Responsorium breue omnibus genuflectentibus Preces humiliori voce, ac flexis genibus recitentur, Quibus absolutis, altiori tono erectus dicat, *Dominus vobiscum*, & orationem, & post, *Benedicamus Domino*, intonet officium B. Virg.

Cum dicitur officium Defunctorum Hebdomadarij partes erũt, post vesperas diei dicto, *Benedicamus*, statim paulo humiliori voce intonare Antiphonam, *Placebo Domino*, Acolythis alternatim psalmorum Antiphonas inchoantibus, ac repetentibus, Antiphona verò post, *Magnificat*, ab Acolytho repetita, clarò, tametsi humiliori vocis tono, inchoare debet, *Pater noster*, quem si-

Digitized by Google

mul cum Choro flexis genibus secretò recitare debet: atque eo expleto dicat clara voce, *& ne nos inducas* &c. inchoet Psalmum, *lauda anima mea* &c. versiculos flexis genibus pronunciet. Deinde altiori voce proferens, *Dominus vobiscum*, surgat, & orationes erectus pronunciet. In fine addat, *Requiem æternam* &c. *Requiescant* &c. tum genuflectens dicat, *Sacrosanctæ* &c.

Post Completorium diei, absoluta Antiphona, *Cœlorum candor* &c. cum sua oratione, *Domine Iesu Christe*, Matutinum Defunctorum à prima Antiphona inchoare debet. Vbi verò Acolythus Antiphonã post, *Benedictus*, absoluerit, statim clara voce intonabit, *Pater noster* &c. & eodem vocis tono. *Et ne nos* &c. Psalmum, *De profundis* &c. versiculos quoque flexis genibus proferet; Demum ad *Dominus vobiscum* surget, & orationes, vti iam dictum fuit, erectus pronũciabit, ac rursus genuflectens, *Sacrosanctæ* &c. persoluet.

Rub. Miss. Cær. Cler. Reg. lib. 2. fol 8. Ad psalmos Graduales, qui in Quadragesima sedendo dici debent, Hebdomadarius psalmos incipiat, in fine quinque Priorum psalmorum, qui concluduntur per, *Requiem æternam* &c. non intonet, *Kyrie eleison*, sed *Pater noster*, in fine verò aliorum psalmorum dicat, *Kyrie eleison*, Choro prosequente, *Christe eleison*, *Kyrie* &c. vt in rubrica Breuiarij deinde, *Pater noster*, quo dicto secretò, & flexis genibus proferat versus, & orationem. Reliqua verò munera, quæ ad Hebdomadarium spectant, quo tempore, & ratione obire debeat, suis locis explicabitur.

DE

Digitized by Google

DE OFFICIO ACOLYTHORVM IN *Diuinis officijs miniſtrantium.*

CAP. XI.

CLerici omnes à Nouitio vſque ad Diaconum, bina quaque Hebdomada bini ſibi viciſſim ſuccedere debent in munere lectorum, ac Miniſtrorum Chori; ita ut nullus omninò ab hoc munere niſi de licentia Superioris ſit exemptus: ita verò munus ſuum inchoabunt, vt vnus in priori Hebdomada, à veſperis Sabbati primi Acolythi, alter ſecundi officium exerceat; in altera verò Hebdomada, qui ſecundus Accolythus erat in priori, primi Accolythi officio fungatur. Primus autem Accolythus cenſendus eſt, qui ſtat à parte Hebdomadarij: Cum verò Acolythorum partim diſtincta, partim communia ſint munera: de vniuſcuiuſque munere diſtincto primum agendum eſt: tum de communi vtriuſque in quo inuicem conſpirant, dicendum erit. Cærem. Congreg. Cals. c. 13.

Primi igitur Acolythi officium erit, qualibet die antequam veſperæ pulſentur, illius diei officium diligenter, tum à Romano, tum à ſingulari illius Diœceſis, denique à proprio noſtri Ordinis Calendario explorare, & quoties inſuetum officium celebrare contigerit, illud apud proprias rubricas omni ſtudio, ac diligentia perquirere, & abſque errore addiſcere. Huius quoque muneris erit, Breuiarium, ac Pſalterium aperire; in Breuiario Hymnos, & Antiphonas ſignaculis ſuis locis diſpoſitis præparare: In Pſalterio verò pſalmis, Hymnis, qui cantari debent, ſignacula adhibere, vt ſtatim inueniri queant.

Dum recitatur officium, ipſius quoque partes erunt, Pſalterij folia paulo ante vltima verba diligenter, & op-

Digitized by Google

portunè vertere: ne Chorus ipsius incuria, aut tarditate perturbetur, primas quoque Antiphonas ad Vesperas, ad Matutinum, & ad laudes inchoare: proprias quoque in principio horarum, ad *Magnificat*, & ad *Benedictus*, dicere, Martyrologium legere. Demum absoluto officio libros chorales claudere.

Ad eundem quoque spectabit in Missa Conuentuali celebranti inseruire. Thus in Missa solemni ministrare, pacem dare, & alia præstare, quę ad huiusmodi ministerium pertinent.

Porrò secundi Acolythi proprium munus erit, secundas Antiphonas post primum Acolythum decantare: lucernarum curam gerere. Ad Matutinum, & Primã cum ante lucem persoluitur, lucernam ante legile accẽdere, & cum opus est extollere, & demittere. Campanam tàm pro horarum, quàm pro Conuentualis Missæ celebratione pulsare. In Missa Conuentuali ad *Sanctus*, & quoties oportet, ad Campanam accurrere: in solemni Missa thuribulum primo Acolytho ad hostiolum epistolæ ministrare, & ab eo cum opus est, expectare, ignem in thuribulo fouere; Purificationem fratribus, qui sacra Communione refecti sunt porrigere eius quoque muneris erit, lucernulam, quæ iuxta Capituli Generalis præscriptum tempore orationis mentalis in Choro ardere debet, in legili parare, vel lampadam, & matutinis horis peractis, antequam lucernam maiorem extinguat, accendere.

Commune tandem vtriusque Acolythi officium esse debet, simul diei officium præuidere, ac disponere, se inuicem de agendis studiosè admonere: Cum officium est duplex, vel semiduplex ad matutinum, Inuitatorilũ, ac in cæteris horis versus, ante, vel post Antiphonas dicendos, responsoria breuia, litanias B. Virg. post Com-

pleto-

Digitized by Google

pletorium ſimul decantare, ſimul etiam inclinationes ſiue ad Sacramentum, ſiue ad ſuperiorem, ſiue mutuas ad ſe ipſos præſtare: pleraque alia munera ſimul obire debent, quæ ſuis locis indicabimus.

Igitur pulſato primo veſperarum ſigno Acolythi feſtinè ad Chorum conueniant, vbi prius legili, ac Chori ſubſellijs, præſertim vbi procumbitur, panno aliquo à puluere mundatis, officium illius diei ſimul diligenter præuideant, Deinde primus Acolythus prius Pſalteriũ, deinde Breuiarium aperiat; ſua vtrique ſignacula apponens: Mox quilibet ſe ad ſuam ſedem recipiat, mentemque ad diuinum officium attentè, pariter & deuotè celebrandum præparet, memor diuinæ illius ſententiæ, quæ apud Eccleſiaſticum legitur. Ante orationem præpara animam tuam: & noli eſſe quaſi homo qui Deum tentat.

Concil. Aquisgran. 1. c. 129. & 130.

Cærem. Cõg. Caſs. c. 14. D. Bouau. ſpcc. diſcep. li. 9.

Edito ab Hebdomadario ſigno officij: mox profundè ſe vſque ad genua inclinantes dicant, *Pater noſter*, & *Aue Maria*, nec ante ſe erigant, quàm ſecundum ab Hebdomadario ſignum datum fuerit, quod etiam cęteri, qui in Choro ſunt, obſeruare debent. Dum Hebdomadarius intonat, *Deus in Adiutorium*, ſeipſos ſignent. Dicto *Gloria Patri*, dum canitur, *Sicut erat*, ſi Veſperæ B. Virg. dicendæ non ſint ex rubrica, grauiter modeſtè, ac demiſſis oſculis manibus quoque intra manicas concluſis, ſimul, e ſuis ſedibus diſcedant, eodemque tempore ad latus legilis perueniant: vbi facta profunda reuerentia Sacramento, ſimul etiam ſe conuertant ad ſuperiorem, cui modeſta corporis inclinatione ſimul reuerentiam exhibeant: Mox ad legile accedentes poſtquam à Choro dictum fuerit, *Alleluia*, vel *Laus tibi Domine*, iuxta temporum rationem: Primus Acolythus primam Antiphonam intonet. Si officium duplex fuerit, integram pro-

Cærem. Epiſc. li. 1. c. 3.

Cęr. Epiſ. l. 2. c. 1. & 5.

Digitized by Google

pronunciet; sin Dominica, semiduplex, aut feriale officium; initium tantum Antiphonæ proferat in tono Chori: & dicto primo versu psalmi, solus versus Altare se profundè inclinet; quod semper præstare debent Acolythi, tam post primam Antiphonarum prolationem, quã post earundem repetitionem.

Cæremon. Episc. li. 2. c. 5. Dicto psalmo, cum peruenitur ad *Gloria Patri*, versa vicissim facie, eodem tempore, se se profundè inclinent, quod semper seruare debent, cum stant ad legile. Repetita Antiphona à primo Acolytho, & reuerentia facta eodem modo, ac tono, alter Acolythus secundam Antiphonam, vel principium tantum iuxta officij rationem legat. Post Hymnum, si officium duplex, aut semiduplex fuerit, ab vtroque Acolytho versus cantetur, puncto in medio versus, debita vocis interpellatione, obseruato. Porrò cum versus cantant, si forte pallio vtuntur, illud deponant; quod semper ab ipsis obseruari debet, cum versus, Responsoria breuia, vel lectiones ante legile pronunciant. Mox primus Acolythus Antiphonam ad *Magnificat* inchoet, vel integram dicat, si officium sit duplex.

Rub. gen. Breu. Dicto primo versu Cantici, *Magnificat*, Acolythi se se ante Sacramentum incuruent, & dum dicitur, *Magnificat*, stent ante legile, versa ad alterutrum facie, quo absoluto, primus Acolythus Antiphonam integram repetat: post quam versus Sacramentum seipsum inclinet; Deinde Hebdomadario dicente, *Dominus vobiscum*, Acolythi versa ad se inuicem facie ante legile expectent, donec Oratio inchoetur. Hebdomadario verò orationem inchoante, ipsi se se profundè inclinent, nec antea se erigant, quàm oratio peracta fuerit: ea absoluta cum Hebdomadarius dicit. *Per Dominum nostrum Iesum Christum* &c. ambo simul se se erigentes, faciem ad Sacramen-

Digitized by Google

eramentum conuertant, ac profundam illi reuerentiam reddant: quod perpetua religione obseruare debent, quoties oratio ab Hebdomadario illis verbis concluditur.

Si aliquæ Sanctorum commemorationes faciendæ sunt, simul ac Chorus responderit, *Amen*, eas primus Acolythus legat Mox eodem tono si duplex, aut semiduplex fuerit, ambo Acolythi versus decantent: sin de feria, vel de festo simplici officium fiat, primus tantum Acolythus versus pronunciet. Postea se versus Sacramentum inclinet, quas inclinationes toties Acolythi repetere debent, quoties versus simul vel disiunctim post commemorationes decantant. Rub. gen. Breu.

Postrema commemoratione peracta, vel si nulla Sanctorum commemoratio occurrat, statim post orationem diei, primus Acolythus libros claudat. Deinde ambo Acolythi eodem tempore se ad Sacramentum vertentes profundè se inclinent: Moxque ad seipsos conuersi, capitis se inuicem inclinatione salutent, & ad suas se sedes recipiant: quod illis perpetuum sit, quoties expleto ante legile Acolythorum ministerio à legili recedunt. Cærem. Cóg. Cass. c. 14.

Ad Completorium, dum pulsatur vltimum signum officij, primus Acolythus à sua sede prosiliens ad legile se maturè conferat, cum verò ad latus legilis peruenerit profundè se ante Sacramentum inclinet, tum versa facie ad Superiorem, de more, reuerétiam faciens, sistat se ante legile in medio Chori: datoque signo ab Hebdomario ad Altare conuersus alta voce intonet, *Iube Domne benedicere*. Mox facie ad Hebdomarium aliquãtulum conuersa maneat inclinato capite, donec Hebdomadarius benedictionem. *Noctem quietam* &c. absoluerit: Tunc iterum stans versus Altare, prosequatur lectionem Cærem. Episc. lib. 2. c. 6.

Digitized by Google

ctionem breuem, *Fratres sobrij* &c. qua expleta, profundè se inclinet versus Altare; deinde secedat ad latus legilis, ea parte, qua ipse ministrat, versa facie ad oppositam partem Chori, dictoque, *Adiutorium* &c. cum dicendum est, *Pater noster*, se inclinet: Hebdomadario confessionem inchoante se erigat. Dum verò ipse cum Choro confessionem facit, se inclinet, neque ab inclinatione se erigat, donec Hebdomadarius absolutionem expleuerit: Porrò id semper obseruare debet, vt quoties ante legile se inclinat, præter quam post versiculos, & Antiphonas, semper versus oppositam partem Chori se inclinet.

Rub. gen. Breu.

Rub. gen. Breu.

Dicto, *Conuerte* &c. *Deus in adiutorium* &c. *Gloria Patri*, secundus Acolythus procedat ad legile, prælibatis inclinationibus prius Altari, deinde superiori: primus autem Acolythus stans ad librum conuersus intonet principium Antiphonæ, iuxta temporis rationem, quæ dictis psalmis integra repetatur à Choro.

Rub. gen. Breu.

Rub. gen. Breu.

Post Capitulum, respõsorium breue dicatur ab vtroque Acolytho, si duplex, aut semiduplex fuerit; quo expleto primus Acolythus inchoet antiphonam ad *Nunc dimittis* &c. quæ etiam à toto Choro post expletum Canticum repetatur, & primo versu illius absoluto, non antea, ambo Acolythi se versus Altare inclinent, quod semper seruare debent, quoties responsoria, vel versus, vel Antiphonas ante psalmos, aut cantica pronunciant.

Repetita Antiphona, *Salua nos* &c. si immediatè oratio sit dicenda, Acolythi versa ad alterutrum facie, dũ Oratio dicitur ante legile se inclinent & post orationẽ à legili discedant, reddita prius simul reuerentia Sanctissimo Sacramento: sin autem dicendæ sint præces; dum illæ recitantur, stent iunctis manibus, nisi genuflectendum sit, facieque ad alterutrum conuersa ante legile,

Digitized by Google

legile, donec oratio dicatur: qua expleta, & non antea, primus Acolythus libros claudat, deinde inclinationibus ante Altare, ac mutuis ad alterutrum præmissis ad sua loca se conferant.

Ad Matutinum, vbi lucerna ante legile à secundo Acolytho accensa fuerit, & libri Chorales à primo Acolytho aperti, dato signo, & dicto, *Pater noster*, *Aue Maria*, *Credo*, *Domine labia mea* &c. *Deus in adiutorium*, & *Gloria* &c. Ambo Acolythi stantes ante legile dicant Inuitatorium cum psalmo, Choro ad singula respondente; vbi peruenerint ad versiculum psalmi, *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*, ambo simul cum Choro profunde se inclinent. Dum versum, *Hodie si vocem* &c. Psalmi recitant, secundus Acolythus vtrunque lucernæ elichnium accendat: dicentes, *Gloria* &c. ne se ipsos inclinent, sed inclinationem differant, vsque dum illud expleuerint, quod ab ipsis semper obseruari debet, quoties vel soli, vel simul, *Gloria Patri*, pronunciant. Repetito verò Inuitatorio, iterum se incuruent. Interea lucerna à secundo Acolytho eousque attollatur, quòd totum psalterium illustrare valeat: primus quoque Acolythus Psalterij librum, ac legile ita componat, vt ad vnam magis, quam ad alteram partem non deflectat. Rub. gen. Breu.

Peracto Hymno, secundus Acolythus, si opus fuerit, lucernam pro prima antiphona decantanda demittat, quam intonabit primus Acolythus, integram quidem, si officium fuerit duplex, vel tantum principium ipsius, si fuerit semiduplex, simplex, aut de feria: qua peracta lucernam maturè attollat. Primus verò Acolythus post primum psalmi versum, inclinabit se versus Altare, quod semper ab Acolythis, fieri debet, quoties Antiphonam sequitur psalmus. Secundus Acolythus eodē modo Rub. gen. Breu.

Digitized by Google

modo post primum Psalmum legat secundam antiphonam, ijsdem reuerentijs adhibitis, & sic alternatim dicantur antiphonæ : repetita verò tertia antiphona, dicantur versus ab vtroque Acolytho, post quos se inclinent more solito versus Altare; mox ad alterutrum conuersi tandiu inclinati maneant, donec, *Pater noster*, dictum fuerit secreto ; quo absoluto secundus Acolythus lucernam demittat.

Cærem. Epis. l. 2. c. 6. Dicta ab Hebdomadario absolutione, primus Acolythus ad Altare conuersus dicat, *Iube Domne Benedicere*, mox se aliquantulum versus Hebdomadarium profundè inclinet, benedictionem ad ipsum conuersus expectet: indecorum enim est, vt ei terga vertantur à quo benedictio petitur; neque antea se erigat, quam benedictio ab Hebdomadario completa fuerit. Deinde lectiones validiori voce, clarè, ac distinctè legat, altero Acolytho interim suo loco sedente.

Cum primus Acolythus ad finem lectionis peruenerit, morosè aliquantulum dicat, *Tu autem Domine*, vt alteri Acolytho otium faciat ad legile tempestiuè accedendi, & dum illud profert, genuflectat versus librum : responsorium inueniat, ac digito alteri Acolytho indicet : tum verò secundus Acolythus responsorium legat eodem vocis tono; quo lecta fuit lectio, cui vicissim eodem tono respondeat primus Acolythus. Hoc modo lectis lectionibus, & responsorijs, additoque, *Gloria Patri*, in tertio responsorio, & post ipsum debita inclinatione: secundus Acolythus legat primam antiphonam secundi Nocturni: lucernam attollat: & cantatis psalmis, lectiones pronunciet: atque eadem obseruet, quę de primo Acolytho dicta sunt.

Absoluto 2. & 3. Nocturno: lucernaque à secundo Acolytho demissa: Primus Acolythus Euangelium in

Breuia-

Digitized by Google

Breuiario reperiens, illud Hebdomadario digito oſtendat. Hebdomadario porrò Euangelium legente, omnes ſtent detecto capite, ac iunctis manibus: Acolythi verò verſa ad alterutrum facie ſtent; & eo expleto vterque ad ſuam ſedem ſe conferat: lectione abſoluta, primus Acolythus ad legile accedens, legat reſponſorium vt ſupra, & hoc ipſum in ſecunda lectione præſtet.

Intonato ab Hebdomadario *Te Deum* &c. vterque Acolythus ante legile ad Altare conuerſi perficiant. poſt quos debitas reuerentias adhibeant.

Dicto Capitulo, & Hymno, Acolythi verſum pronuncient: inclinationes edant: ac prior Acolythus de more antiphonam ante *Benedictus* legat; eandemq; repetat: tum ambo verſa facie ſe inclinent: Commemorationes, ſi quæ ſunt faciendæ, prior tantum Acolythus faciat; ſimul verò verſus pronuncient: poſtrema Commemoratione facta, poſtquam verſus Altare ſimul profundè ſe inclinauerint, ac mutuis ſe reuerentijs exceperint, primus Acolythus libros claudat: alter accenſa lucernula, quæ lucere debet ſupra legile, vel lampada, lucernam maiorem in ſuum locum reſtituat, atque ibi extinguat: tum verò vterque ad ſuam ſedem ſe recipiat.

Ad Primam omnibus obſeruatis, quæ hactenus de acceſſu Acolythorum ad legile dicta ſunt. Poſt *Deus in adiutorium* &c. & Hymnum, primus Acolythus de more antiphonam inchoet: pſalmis expletis, ſolus antiphonam repetat; deinde poſt Capitulum Acolythi ambo ſimul reſponſorium breue dicant, & poſt orationem ſecundo Acolytho ad ſuam ſedem remeante; prior Acolythus Martyrologium in medio Chori clara, ac diſtincta voce legat; omnibus interea in Choro ſedentibus: expleto Martyrologio, & dicto *Pretioſa*, poſt orationem *Dirigere*, Idem proferat. *Iube Domne benedicere*, ea obſeruans,

Digitized by Google

seruans, quæ supra dicta sunt; deinde legat Capitulum ad absolutionem.

Ad Tertiam, Sextam, Nonam idem modus seruari debet ab Acolythis: nimirum, vt primus Acolythus semper inchoet, & repetat antiphonam, atque ambo simul cantent respõsoria breuia, debitis inclinationibus adhibitis. Atque hæc dicta sint, cum in Choro fit de festo duplici, aut semiduplici.

Cum verò fit de feria, aut de festo simplici; quędam alia ab ipsis obseruanda sunt. Primum quod primus Acolythus tam in Vesperis, Completorio, ac Matutino, quàm in cęteris horis, solus recitat versus, ac responsoria breuia; secundum quod ad Matutinum solus dicit Inuitatorium, & Lectiones in medio Chori ante legile. Postremo idem quoque solus in officio B.V. & Defunctorum Lectiones legit, ac versus pronunciat.

DE OFFICIO CONCIONATORIS *cum Dei verbum in Ecclesia proponit.*

CAP. XII.

PRædicationis officium inter potissima, & prętantissima Ecclesię munera censere nemini explora-
Ephes. 9. tum non est, qui Apostolum non ignorat Doctores post Apostolos, Euangelistas, & Pastores, tanquam nobilissimos Ecclesię ministros, quarto loco in Ecclesiastica Hierarchia collocasse: & inter Spiritus sancti charisma-
1. Cor. 12. ta, quibus Christi Ecclesia ornata est, sermonem scientię, ac interpretationem sermonum prę cęteris commendasse: neque aliud magis Timotheo inculcasse, quã vt Dei verbum opportunè, importunè prędicaret.

Quamobrem Concionatoribus nostris id summope-

re cu-

re curandum est, vt nobilissimum munus, quoad fieri potest, pro dignitate obeant, meminerintq; se à Deo vocatos esse, vt in animarum salute procuranda Dei ipsius sint cooperatores: quod cum diuinum planè opus sit, dignè se ad illud præparare debent. Dignè verò, quātum humana imbecillitas fert, illud exercent, qui solidas primum virtutes sibi comparare studeant, ac præcipuè charitatem, Animarum zelum, & humilitatem familiares sibi habere contendunt: quiq; in omnibus Ecclesiasticæ doctrinæ, ac præsertim Theologicæ scientię studijs non mediocriter versati, sanam doctrinam cum vitę sanctimonia coniungunt, vt non minus vitę exemplo, quam doctrina proximis pręluceant. Sic enim monet Concilium Aquisgranense primum ex D. Isidoro ita scribens, *Tam doctrina, quàm vita clarere debet Ecclesiasticus Doctor: nam doctrina sine vita arrogantem reddit: vita sine doctrina inutilem facit. Sacerdotis prædicatio operibus confirmanda est, vt quod docet verbo instruat exemplo.* Concil. Aquisgr. 1. c. 29.

Sępe autem ea Chrisostomi verba animo volutare, atque alta mente reponere debent; quibus concionatores monet, quales illos esse oporteat. *Qui Doctor populi constituitur* (inquit) *sine dubio profitetur se talem fore, qualem esse oportet Doctorem:* sicut enim, qui sutoriam (verbi causa) aut quamcunq; alteram profitetur artem; & si specialiter non spondeat, tamen per hoc ipsum, quod sutoriam professus est artem, & opificium, vel Magisteriū eius artis aperuit; videtur tacitè omnibus spopondisse, vt sine reprehensione impleat, quam professus est, artem. Sic sacerdos, & omnis Clericus, & si specialiter non promittat; tamen per hoc ipsum quod Doctor constituitur aliorum, tacitè promittere

Digitized by Google

Deo videtur in omnibus obauditurum se Deo, cenitan-
tur igitur imprimis concionatores, nostri, vt iuxta con-
stitutionum nostrarum monita, Deum ante omnia in-
suo corde gerant, tum cæteris bonis operibus præluceré
studeant, vt Deo pleni, Deum in aliorum cordibus pare-
re, & suo exemplo reliquos ad melioris vitæ frugem
pertrahere valeant. Id circò omnem in eo munere ob-
eundo propriæ laudis, aut gloriæ libidinē pœnitus exuē
tes, nihil, præterquam diuini nominis honorem, animo
insculptum gerant, huncque tantummodo in intimo
cordis sinu volutent. Ab arrogantia, & ostentatione
caueant, humilitatemque in omnibus, præsertim in con-
cione præseferāt: Id enim maximè ab Euangelico Præ-
dicatore Christus exigit, de quo Gregorius ita scribit,
Sanctæ vniuersalis Ecclesiæ spiritualis quisq; Prædicator,
in cunctis, quæ dicit, solerti cura se inspiciat: ne in eo
quod rectè prædicat, vitio se elationis extollat, ne vita a
lingua discordet: ne pacem, quam in Ecclesia annunciat,
in seipso dum benedicit, & male viuit, amittat: quapro-
pter ita operam suam in celebrioribus vrbibus impen-
dant, vt non minus in oppidulis ad rudes eruditos se-
paratos exhibeant.

Greg. 23. mor. c. 1.

Cum nemine contendant, sed si quando occasio se-
rat, vt annuente Episcopo alij in eodem suggestu
prædicare velint: libenter cedant, nec rixas, aut iurgia
moueant.

Aff. Eccl. Med. p. 4. p. 478.

Cum Prædicator ad Populum concionem est ha-
biturus. Primum se ipsum, tum quæ dicturus est,
postremo populum, apud quem Dei verbum est disse-mi-
naturus, toto mentis affectu Deo commendet: atque
ad hoc sibi parata aliqua mentis incentiua habeat,
quibus opportunè vtatur. Non vana, non curiosa,

Concil. n.

non

Digitized by Google

nòn inutilia, non ridicula, non Hiſtrionica, aut hiſtrionicè dicta, iuxta Concilij Senonenſis decretum, populo in ſermonibus proponat, [c] ſed ſecundum Sancti Patris noſtri Franciſci præſcriptum, prædicet vitia, & virtutes, pœnam, & gloriam non in ſublimitate humanę ſapientiæ verbis, vt monet Paulus, ſed in ſpiritu, & virtute Dei.

[c] Regul. c. 9.

[d] Priuatas reuelationes, miracula non probata, certum alicuius rei euentum futurum, per ſuggeſtum prædicare non audeat, iuxta Concilij Lateranenſis ſtatutum: [e] nouerintque huiusmodi priuatas reuelationes, ac incerta miracula ante debitum examen prędicantes, eiuſdem Concilij decreto Papalem excommunicationem incurrere, & à prędicationis officio excidere.

[d] Con. Lateran. ſub Leo. X. ſeſſ. 11.
[e] Act. Eccl. Med. p. 6. fo. 989.

[f] Ante omnia ab vlterius cuiuſuis ordinis, aut perſonæ detractione, ſcommatibus, dicterijs, ac mordacitate etiam tacita abſtineant, vt Euangelicos Doctores decet, quin etiam à ſingulari reprehenſione, qua ſingulares interdum perſonæ lædūtur, linguam compeſcant, vt idem Concilium ſanxit, & noſtris Cōſtitutionibus cautum eſt: ne qui populum verbo, & exemplo ædificare debent, ſuo vitio deſtruant.

[f] Concil. Later. ſub Leo X. ſeſſ. 11. Con. Colonienſ. 3. p. 6. c. 10. nu. 12.

[g] Prędicator nihil in ſuggeſtu proponat, quod antiquę Sanctorum Patrum, ac probatiſſimorum virorum doctrinę conſentaneum non ſit. Id enim grauiſſimè mandat Concilium Lateranenſe his verbis. *Mandantes omnibus, qui hoc onus ſuſtinent, quique in futurum ſuſtinebunt, vt Euangelicam veritatem, & ſanctam ſcripturam iuxta declarationem, interpretationem, & explanationē Doctorum, quos Eccleſia, vel vſus diuturnus approbat, legendosque hactenus recepit, &*

[g] Concil. Later. ſub. Leo. X. ſeſſ. 11.

Digitized by Google

in posterum recipiet, prædicent, & explanent: nec quicquam eius proprio sensui contrarium, aut dissonum adijciant: sed illis semper insistant, quæ ab ipsis sacris scripturæ verbis, & præfatorum Doctorum interpretationibus, ritè & sanè intellectis non discordant: ea igitur tantum populo proponat, quę ad vtilitatem audientium sunt accommodata comendet: confessionis, & Eucharistię frequentiam; pœnitentię, & misericordię opera persuadeat: Principibus temporalibus, ac Prelatis spiritualibus obedientiam præstare moneat. Deceat Ieiuniorum obseruantiam, vtilium librorum lectionem, bonam filiorum educationem. Demum quęcunque ad extirpanda vitia, & virtutes consequendas valent, hęc fidelibus populis inculcet. Caueat ne verborum affectationes, aut lenocinia sectetur, ne dum studio politioris sermonis aures demulcet, fructum mentis impediat. D. Prosperum monentem audiat. *Non in verborum splendore: sed in operum virtute totam prædicandi fiduciam ponat, non vocibus delectetur populi acclamantis sibi, sed fletibus: nec plantum à populo studeat expectare, sed gemitum.*

Prosp. de vit. cent. c. 23. li. 1.

[b] Ante omnia concionator, antequam euangelizandi munus obeundum suscipiat: professionem fidei ante suum Prouincialem emittat; semel autem pro prædicationis officio emissam, haud necesse est iterum apud alios Prouinciales renouare. At cum primum ad aliquam diœcesim, in qua nondum concionem habuit, prędicaturus accedit. Si Episcopus ab eo fidei professionem exigat, eam prompte edat: semel autem edita, haud opus erit, coram eodem Episcopo iterum replicari.

[b] Pius. IV. in Bull. Sacrosanctæ.

Compend. Priuileg. in V. profess. fidei.

Si

Digitized by Google

Si in Ecclesia nostri Ordinis sit concionaturus, iuxta sacri Concilij Tridentini decretum à R.P.Prouinciali, vel à superiore Domus facultatem obtineat, cum qua licētia personaliter se coram ordinario præsentet, à quo benedictionem tantum, non licentiam prædicandi petat, si verò in Ecclesia, quæ nostri Ordinis non est, sit prædicaturus: præter Prouincialis (si Quadragesimæ, aut aduentus tempus fuerit, aut annualē cursum aggressurus sit) vel superioris domus, (si vna, vel altera tantum concio habenda sit) ab ordinario etiam facultatem quærat, sine qua nullo modo extra nostri Ordinis Ecclesias prædicare audeat; semel autem hac ordinarij facultate obtenta, iterum in ea Diœcesi se Episcopo præsentare non tenetur, iuxta Pij V. constitutionem.

Conc. Trid. sess. 5. c. 2.

Conc. Trid. sess. 5. c. 2.

Cum in nostris Ecclesijs est prædicaturus, antequam suggestum conscendat, benedictionem à superiore genuflexus accipiat. Si verò coram Episcopo in loco suæ iurisdictionis, vel Archiepiscopo, Patriarcha, Cardinali, Legato Sedis Apostolicæ eum prædicare contingat, reuerenter prius ante ipsum accedat, & genuflexus benedictionem petat, dicens, *Iube Domne benedicere*, qua accepta ipsius manus osculetur.

Pius V. in Constit. & si mendicantium.

Postquam suggestum ascenderit, caput detegat, & facta Crucifixo reuerentia, prius ipsi Prælato profundè se inclinet, mox Principi, vel Principissæ (si fuerint in loco propriæ ditionis) eandem reuerentiam præstet: deinde reliquos leui, ac modesta capitis inclinatione salutet: postea caput operiens aliquantisper expectet, donec populus quiescat; rursusque caput detegens, & caputium sibi aptans iūctis manibus, oculisque ad Cœlū erectis dicat, *Munda cor meum* &c. *Dominus sit* &c. quo dicto, signo Crucis prius frontem, deinde os, tum pectus

Cær. Cler. Reg. lib. 2. c. 16. Cær. Epis. lib. 2. c. 22.

Digitized by Google

signans, demum integrum signum formans, statim à latere suggestus versus Altare genuflexus, clara voce Angelicam salutationem pronunciet; qua expleta caput tegat: surgat: & sermonem inchoet, & iuxta S.P. Nostri Francisci consilium, in eo breuis esse studeat: vt dum breuitate audientium animos oblectat, ac promptiores ad audiendum verbum Dei reddit, vberiorem ab eis fructum referat.

Si inter concionãdum accidat, vt sanctissimum *Iesus*, aut *Mariæ*, nomen exprimat, caput detegat, non tamen si Christi tantum, aut B. Virg. appellatione vtatur: Idcirco si sæpius veneranda illa nomina interdum in concione repetenda sint, ad euitandum sui, & aliorum incommodum, eidem consilium est, vt posterioribus tantum nominibus vtatur: eodem modo cum viuentis Papæ nomen pronunciat, caput detegat, ac reuerenter inclinet, vt qua Christi Vicarius reuerentia prosequendus sit, omnibus innotescat.

Peracta concione, si Episcopus præsens fuerit, concionator Populo non benedicit, sed profundè se versus Episcopum inclinans ab eo benedictionem accipiat. Quod si Episcopus præsens non fuerit, tunc ipse Populo benedicere poterit, & accepto à socio in humeros Pallio à suggestu descendat.

Si indulgentias post concionem populo annunciare debeat, non descendat, sed stans detecto capite, expectet donec Diaconus Confessionem expleuerit, tum indulgentias publicet, & descendat: Si verò indulgentiæ ab alio publicandæ sint, mox ipse post benedictionem descendat.

Ceremon. Epis. lib. 1. c. 22.

Cum in parasceuè est prædicaturus, non recitet salutationem Angelicam; sed loco ipsius genuflexus ante

Ceremon. Cler. Reg. li. 1. c. 16.

Cru-

Crucem, quæ vel ante Altare, vel alio loco congruo inter duo intortitia demonstrari debet, his Ecclesiæ versibus salutet.

O Crux aue spes vnica,
Hoc passionis tempore.
Auge pijs iustitiam,
Reisque dona veniam.

Ab alijs verò representationibus passim abstineat: Completa verò prædicatione, concionator detecto capite crucem vtraque manu apprehendat, & inter duos Acolythos, intortitia accensa gerentes, reuerèter, ac deuotè populo ostendat, & ea ipsum benedicat. Mox de suggestu descendens, eam in paratum locum decenter reponat.

In die verò S. Paschæ, ac duobus sequentibus diebus concionator loco salutationis Angelicæ, stans iunctis manibus clara, & intelligibili voce dicat Antiphonam, *Regina Cœli* &c. Cæremon. Cler. Reg. li. 1. c. 16.

a Cum sermonem habiturus est ante Altare, in quo est Sanctissimum Sacramentum expositum, non recitet salutationem Angelicam; sed vel stans, vel sedens in cornu Euangelij sermonem incipiat; Attamen tam ipse, quam adstantes sint detecto capite. a Cærem. Cler. Reg. ibidem.

b Dum prædicationis officio incumbit, curet summopere, quoad fieri potest; vt mulierum consortium deuitet. Quod si interdum aliqua ad salutem necessaria illis consulere necesse sit: id in propatulo fiat, ne cuiquam suspicionem ingerat, eas verò nunquam limen hospitij ingredi permittat. b Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 478.

c Victu tenui, ac moderato sit contentus: Ciborum luxum, ac varietatem fugiens: & si quo in loco moris sit, cibos à fidelibus concionatori opiparè, & præter mo- c Act Eccl. Med. p. 4. fo 478.

Digitized by Google

dum parari, apertis verbis, ac ipſa victus frugalitate, ab eo apparatu eos reuocare ſtudeat; id ſibi certò perſuadens non tantum propriam, ſed bonam quoque Religionis exiſtimationem, populique ædificationem maximè lædi: necnon infirmas hominum conſcientias grauiter vulnerari; ſi comuni vino, aut epulis nõ cõtentus, exquiſita vina, ac lautiores cibos ſibi comparandos curet, aut quoquo modo de victus ratione apud alios cõqueratur. Qui verò malis vitę exemplis conſcientiam percutit infirmorum, [d] teſte Anacleto epiſt. 2. ad Epiſcopos Italiæ, non Doctor, aut Prædicator, ſed percuſſor cenſeri debet; & quandoquidem meliora animæ bona, quæ ab optima morum ædificatione manant, audientibus diripit, deterior ſanè eſt, vt docet, [e] D. Iſidorus, quã ſi aliorum ſubſtantiam, prædiaque deprędaretur.

[d] Diſt. 45. c. Ianè.

[e] Iſid. lib. 3. de ſummo bo. c. 38.

[f] Act. Eccl. Med. p. 4. li. 478.

[f] Quapropter, vt commiſſum ſibi populum, non ſolum verbis, ſed etiam factis ædificet, tenui menſa, vulgari lecto, ac rerum paupertate iuxta Regulæ noſtræ præſcriptum, delectetur: ſeculares homines neque ad familiare Miniſterium, neque ad menſam adhibeat: nec ipſe ad ſecularium menſas, licet rogatus, accedat; caueat quoque, ne per ſecularium domos ſub viſitationis, aut vrbanitatis prętextu, curſitet; ſed vterque, & Prædicator, & ſocius ab hominum ſocietate ſeiuncti ita ſolitariè intra hoſpitium degant, vt rariſſimè extra illud videantur.

[g] Act. Eccl. Med. ibid.

[g] Denique concionator ſe moribus grauem, verbis parcum, conuerſatione humilem, in conſilijs miniſtrandis circumſpectum, in negotijs animarum pertractandis prudentem, in reprehendendis vitijs intrepidum, in doctrina ſanum, in prædicationis munere modeſtum, atq; in omnibus, vt Euangelicum Prædicatorem decet, [h] bo-

[h] Tit. 2.

norum

notum operum exemplũ se præbeat: vt dum spiritum sanctum in se inhabitantem, & operantẽ gestat, Dei verbum efficacius in audientium animos ingerat, atque illud in se feliciter impleri gaudeat, quod olim Christus Apostolis dixit: [i] *Non enim vos estis, qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* [i] Matth. 10.

DE LOCO SVPERIORIS IN Choro, & disciplina in eo seruanda.

CAP. XIII.

CVm satis superque [k] ex Apostolo exploratum sit, legitimum cuiuslibet Domus superiorem, velut Dei ministrum, in ea Dei ipsius vice præsidere. Equidem nulli dubium est, digniorem, ac præstantiorem vbique, præsertim in Choro, eidem locum deberi: eapotissimum ratione, quod totius familiæ sit caput, cui iure naturali cæteris membris præeminere datum est. Porrò is dignior, ac nobilior locus in Choro iure existimandus est, qui medium Chori occupat, ac velut Chori caput omnes Chori partes æqualiter à se distantes respicit. Id enim, & omnium Religiosorum ordinum vsu probatũ, ac Christi ipsius, tum voce, tum exemplo confirmatum habemus, qui cum superioris, quem aliorum ministrum esse oportet, personam gereret: medium sibi locum inter Apostolos vendicauit, dicens; [a] *Ego autem in medio vestrum sum, sicut qui ministrat.* [k] Rom. 13. [l] 1 Corem. Episc. li. 1. c. 12. [a] Luca 22.

Quapropter Guardianus, siue loci superior, eam in Choro sedem, velut digniorem perpetuo sibi vendicare debet, quæ in medio Chori in dextra illius parte sita, legile ex opposito respicit, quam nullo vnquam tempore, [b] præterquam ad Prouincialis, aut maioris alterius [b] Corem. Epis. li. 1. c. 13.

supe-

superioris aduentum, mutare debet. c Et quoniam hinc tota in loco superioris assignando, deformitas hactenus orta est, quod in quibusdam Prouincijs nullus ante sedilia sit ligneorum reclinatoriorum vsus: in alijs verò, ac plurimis eorum consuetudo à principio viguerit, ac vigeat, ex quo illæ in dextro angulo Chori velut commodiori: hæ verò in medio, superiori locum assignant: vt omnis inde deformitas abscindatur. Quandoquidem & maior Prouinciarum numerus, & antiquissimus omnium ferè aliorum ordinum vsus, ac ipsa ratio id proculdubio postulant, Reclinatoria ligneà nullo artificio elaborata, sed simplicia ex ligno leuigato fabrefacta ante sedilia haberi: quæ in media parte Chori vnius sedilis spacio interiecto sint dissecta. Hinc omnibus Prouincijs facillimum erit superiori, in dextra parte Chori vniformiter eundem semper locum velut digniorem seruare: & omnem in re tanta deformitatem auellere.

c Cer. Epis. l. 2. c. 3.

d Act. Med. Eccl. p. 1. fo. 271.

d Cæterum quoniam cunctis exploratum est; Chorum esse locum diuinis laudibus dicatum, Chorique disciplinam ita religionis, ac pietatis plenam esse debere, vt sanctè, ac religiosè in eo ab ijs conuersandum sit, qui in eum locum ad Dei laudes celebrandas conueniunt. Idcirco e primo diuini officij signo audito, protinus vniuersi, qui Choro interesse debent, omni mora, & occupatione postposita, maturè ad Chorum conueniant. f Chorum ingredientes fluctuantium cogitationum tumultus externis relinquant, curamque exteriorem penitus obliti, hoc vnum sibi opus Deum laudandi cum Angelis perficiendum sibi imminere putent, ac proinde ceteris omnibus valedicant, vt soli Deo vacare possint. Aqua benedicta se aspergant, ante Sacramentum iunctis manibus genuflexi in profundę reuerentiæ signum, humum osculentur: g atque adstantes hinc inde grauis

e Concil. Aquisgra. 1. c. 127. Acta Eccl. Med.

f Act. Eccl. Med. ibid. D. Bonau. lib. medit. cap. 6.

g Cæsar. Arelat. l. 2. c. 3.

capitis

capitis inclinatione modestè salutantes, in suam quisq; sedem se recipiat.

Cæremon. Cler. Reg. li. 2. c. 2.

[b] Antequam officium inchoetur, studeat quilibet mentem efficaciter ad diuina transferre; atque inter Cœlestes Angelorum Choros collocare, vt eo facilius animũ à vagatione compescat: & cor ad diuinas laudes celebrandas inflammet. Porrò tam in principio, quam in progressu, & fine diuinorum officiorum omnes eandem cæremoniarum vniformitatem seruent; cum surgendum est, omnes simul surgant, si standum, aut inclinandum, aut genuflectendum, aut sedendum sit, cuncti pariter stent; pariter se inclinent, pariter genuflectãt, & ab omni prorsus deformitate caueant.

[b] D. Bona. spec. disc. cip. cap 9. Acta Eccl. Med. p. 1. fo. 272.

[i] D. Bonau. spec. disci- pl. c. 9.

Cæremon. Cler. Reg. li. 2. c. 2.

Cærem. Cõg. Cass. c. 15.

[a] Præterea in Choro rectam ab omnibus corporis compositionem obseruari decet. Hæc enim maximè religiosos vbique, ac potissimum in Choro comitari debet: [b] qua propter nullus pigrè, ac osciranter se habeat; nemo cum Deo alacriter psallendum est, dormitet. En quam grauiter Bernardus. *Doleo*, (inquit) *aliquos vestrum graui in sacris vigilijs deprimi somno; nec Cœlicolas reuereri; sed in præsentia principum tanquam mortuos apparere, cum vestra ipsi alacritate permoti, vestris interesse solemnijs delectentur*: nemo immodestè sedibus innitatur: nemo caput hac illac circumagitet: nemo oculorum vagatione, quę in Choro fiunt, aut qui chorum ingrediuntur, circumspiciat: nemo manibus intra habitum contractis culices venetur, aut indecenter aliquam corporis partem confricet: aut veluti diuini officij nauseabundus libros præ manibus teneat: nemo tibias, vel extollat, vel nimium dilatet, vel distortas gerat: [c] sed omnibus immoderatis actibus studiosè resecatis, cunctis modestam totius corporis compositionem præseferant: oculos vel in terram demissos, vel

[a] D. Bona. spec. disc. pl. c. 9.

[b] Cærem. Bonon. lib. 1. c. 3. Cæremon. Congreg. Cass. c. 15. D. Bern. serm. 7. in Cant.

[c] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 2. Acta. Eccl. Med. p. 1. fo. 32.

ad

ad librum defixos habeant, manus, vel simul intra manicas contegant, vel honestè ante pectus complicatas teneant; recto corpore stent: atque ad omnem se morũ grauitatem,& honestatem componant,nam vt *a* D. Bonauentura docet. *Indecens corporis dispositio vbique, sed maximè in Dei officio, Conuentu assistente, est vitanda. Honestos per omnia exigit mores conuentualis honestas.*

Cæremon. Congreg. Cass. c. 15.

a [D. Bon. in spec. disc. c. 9.

e Deuotus choristа omnem quoque strepitum vitare debet, tam in demittendis,& extollendis sedilibus, quã in excreatu,& nasi purgatione, quæ modestissima esse debet, ne importuna illorum frequentia,aut nimio stridore officium interturbetur. Id verò præsertim vitare debet, quando,vel lectiones,vel antiphonæ, ac Capitula leguntur, aut cum dicitur collecta: eo enim tempore ab omni prorsus strepitu abstinendum est.

e Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 2.

f Porrò vitiosum, nedum vanissimum est, in Choro risu dissolui:aut cum alio colloqui,vel in Choro aliquid dicere,aut facere,quod alios ad risum prouocet. *g* Nulli etiam per Chorum discurrere, imò nec ante absolutum officium à sua sede alio se transferre, aut à Choro recedere liceat, nisi prius à superiore facultatem obtinuerit. Chori autem Ministri, quæ agenda sunt, ante officium disponant; ne tempore diuini officij suo discursu, ac vagatione psallentium attentionem, & deuotionem impediant.

f D. Bonau. spec. disc. c. 9.

g Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 2.

b Cæterum dum psallitur,quæ nam in cantu disciplina seruanda sit,inferius explicandum erit: Interea, qui in Choro aliquod munus obeunt, in id animum intendant,ne in aliquo errent,ne cunctentur,ne tempus præueniant: nihil præter id muneris,quod sibi iniunctum est,sibi assumant; nihil alijs præscribant: *i* quod si interdum aliquem errare contigerit, solus superior errorem suauiter corrigat,vt in primo capite dictum fuit.

b Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 2.

i Cærem. Cler. Reg. ibidem.

De-

Digitized by Google

k Denique cum diuinarum laudum persoluendarum munus planè Angelicum sit; æquum est, vt qui illud obire contendunt, magnum honestate, mentis eleuatione, actuum vniformitate, ac mutua cantus cōsonantia, Angelorum concentum imitentur; eamque tam interioris, quam exterioris hominis compositionem seruēt, qua seipsos, atque alios ad pietatem excitare valeant. Id enim Treuirense Concilium post l Augustinum monet his verbis. m *Omnes, qui horis canonicis persoluendis deputati sunt, dent operam vt collectis animis, quoad fieri potest, debitum pensum absoluant: nec ita se habeant, vt dum voce psallunt, quiduis potiùs, quam Deum animo cogitare videantur: semper cauentes ne illud propheticū audiant: labijs quidem me honorant, cor autem eorum longè est à me.*

k Concil. Aquisgra. l.c.132. S. Hieron. in psal.115.

l Aug.lib 8 cōfess. c.6. & 7.

m Concil. Treu.2.c.6.

DE TEMPORE QVO STANDVM, VEL sedendum est.

CAP. XIV.

ANtiqua, ac ferè immemorabili consuetudine ab ipsis Ecclesiæ incunabulis exorta, receptum est, in Ecclesia cum diuina officia celebrantur, a quandoque standum, interdum verò sedendum sit, neque id mysterio vacat, cum enim rectus corporis status strenuitatem, ac diligentiam in re agenda significet, sedens verò intentam animi meditationem insinuet: vtrunque in diuinis officijs à nobis præstandum esse his symbolis non obscurè profitemur. Primum quidem stantes quam strenui, ac diligentes in diuinis laudibus nos esse oporteat, ipso corporis statu indicamus, ac tales esse pollicemur. Sedentes verò, nos profunda rerum diuinarum con-

a Innocēt. III. proem. in 7. psalm. pœn. D. Bonau. spec. disciplic. cap. 9.

Digitized by Google

contemplatione, ac meditatione detẽtos esse testamur.

b Daniel 7. c Apoc. 4. [b] Sic Angeli stantes, Deo ministrant: [c] seniores verò in Apocalipsi à Ioanne ante Agnum sedentes describuntur: qui tamen Cytharas gestantes diuinam Agni maiestatem laudibus prosequebantur.

Illud tamen certum est, in Choro frequentius standum, quàm sedendum esse. [a] Tunc enim tantum sedendum est, cum lectiones ad Matutinum leguntur. [e] Cũ ad primam Martyrologium pronunciatur. [f] In officio defunctorum dum psalmi recitantur: attamen, cum in eo dicitur, *Pater noster*, & versus; ad vesperas Canticũ, *Magnificat*, & ad laudes, *Laudate Dominum de Cœlis* &c. & *Benedictus*, surgendum est, ad preces [g] verò genuflectendum, psalmos Graduales sedentes recitamus, ad preces verò genuflectimus. In Sabbato Sancto, ac in Vigilia Pentecostes, cum prophetię in Choro leguntur, sedendum est.

a Cærem. Epis. lib. 2. c. 5. e Cærem. Congreg. Cass. c. 16. f Cærem. Cler. Reg. li. 2, c. 3. g Cærem. Congreg. Cass. c. 16. Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 3.

[b] Sedentes verò modesti, ac compositi esse debent, non tibias nimium dilatantes, non vnam super aliam collocantes, non habitum, præsertim æstiuo tempore, ad genua vsque sustollentes: sed religiosam, ac modestam compositionem seruent: rerum, quę dicuntur, aut legũtur, contemplationi vacantes.

b S. Bonau. spec. discipl. c. 9. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 3. Cæremon. Congreg. Cass. c. 16.

In Choro verò semper standum est, quoties, aut sedẽdum, aut genuflectendum non est: quando autem genuflendum sit, paulo infra explicabimus. [i] Præterea standum est, cum Euangelium in Missa legitur; iuxta Anastasij I. Decretum, [k] & antiquum Ecclesię vsum: [l] Rursus toto tempore Paschali; & à vesperis cuiuslibet Sabbati inclusiuè vsque ad occasum solis diei Dominicę, cum dicitur antiphona B. V. vel Angelica salutatio pulsatur: ad hęc in Choro, & vbique statur, cum signum pro suffragijs Defunctorum datur in vesperè.

i Anast. I. Epist. 1. de consec. d. 2. c. Apostolica. k Cærem. Epis. l. 2. c. 8. l Rub. gen. Breu.

Stan-

Digitized by Google

Stantes autem modestam membrorum compositionẽ semper prę se ferre debent.

DE PROSTRATIONIBVS, SEV HVMI deosculationibus.

CAP. XV.

PLerasque ad Deum piè, ac sanctè colẽdum cęremonias partim ex sacrarum literarum monumẽtis, partim ex Apostolica traditione à Patribus summa religione institutas esse nemini ignotum esse potest, qui diuinorum officiorum cultum, sacrorumque administrationis modum non ignorat. In his sunt prostrationes, genuflexiones, inclinationes profũdę, demissiones, & detectiones capitis, coniunctiones manuũ, mutuę ad inuicem conuersiones. Vsus superpellicei, Pacis deosculationes, atque alię nonnullę, de quibus omnibus suo ordine agendum erit. [m] Orig. hom. in num.

Inter has verò potissima, ac prestantissima est Prostrationum religio, quę ad maiestatem Dei summo adorationis honore prosequendam, Christiana Ecclesia iam ab ipso ortu vsa fuit; neque enim ea alium prę terquam Deum ipsum auctorem, atque institutorem habet, qui cum ipsam pijs hominum mentibus inspirauerit, ac velut insculpserit, non parum ea delectari visus est.

Dauid enim Dei spiritu afflatus, velut diuinę voluntatis interpres vniuersos adhunc religionis cultum allicit, ita psallens. [a] *Venite adoremus: & procidamus ante Deum.* Denique Christus Dominus, qui totius nobis religionis norma esse debet, corporis consternatione vsus est, cum Patrem ante passionem orans, [b] *Procidit in faciem suam*, vt eo exemplo quisque adiscerer, non ca- [a] Psal. 94. [b] Matth. 26.

su

ſu, aut fortuna, aut humano ſpiritu proſtrationis cultũ in ſacras religiones inuentum fuiſſe: ſed tanquam Deo auctore inſtitutum, [c] & Eccleſię pio, atque antiquiſſimo vſu confirmatum, ſumma religione tum amplectendum, tum cuſtodiendum eſſe, eam verò proſtrationem appellamus, cum poſt genuflexionem, capite ad terram vſque demiſſo, humum oſculamur.

[c] Vualaf. Strabo. de rebus Eccl. c. 25.

Igitur cum primum aliquis Chorum, vel ad pſallendum, vel ad aliud agendum, ſiue etiam ſoli tranſitus gratia ingreditur, vel egreditur; ante Sacramentum iunctis manibus procumbat; atque humum deuotè oſculetur: quod etiam obſeruare debet, cum Hoſtia à Sacerdote eleuatur, aut coram Sacramento, præſertim in Altari expoſito, tranſit, aut ad illud oraturus accedit: vel etiã ab eo recedit. Sacerdos autem celebraturus, ſi Sacramentum etiam in Altari expoſitum cum miniſtro tranſeat, neuter procumbat, ſed tantum genuflectant; idemque obſeruent, ſi ad idem Altare, in quo Sacramentum eſt expoſitum, celebraturus acceſſerit.

In Choro quoque procumbere debent, cum datur penultima benedictio in tertio Nocturno illis verbis, *Cuius*, vel *quorum feſtum colimus* &c. [d] cum in Hymno, *Te Deum* &c. ad illa verba ventum fuerit, *Te ergo quæſumus* &c. Cum in vltimo reſponſorio tertij Nocturni in die Epiphanię, & in Euangelio Miſſę illius diei, quod etiam legitur loco Euangelij Sancti Ioannis in tertia Miſſa Natalis Domini dicitur, [e] *Et procidentes adorauerunt eum.*

[d] Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 6.

[e] Rubrgen. Miſſ.

[f] In vigilia Natiuitatis Domini cum in Martyrologio legitur, *In Bethleem Iudæ*, vſq; dum perficitur, *Natiuitatis Domini noſtri* &c. In Miſſa, cum dicitur ſymbolum ad ea verba, *Et incarnatus eſt* &c. vſque ad ea verba incluſiuè, *Et homo factus eſt* &c. ſicut etiam in fine Miſ-

[f] Direct. Rom.

ſę,

Digitized by Google

sæ, cum legitur Euangelium Sancti Ioannis, in illis verbis, *Et verbum caro* &c. procumbant alij, [g] Celebrans verò tantum genuflectat. Idem obseruetur in feria quarta Dominicæ quartæ Quadragesimæ, dum ea verba à Sacerdote pronunciantur, *Et procidens adorauit eum*, & in passione Domini in maiori Hebdomada, cum leguntur ea verba, *& inclinato capite* &c. aut alia similia, omnes se prosternant, & à prostratione non surgant, donec à celebrante leui libri percussione surgendi signum editum fuerit, vt iam dictum fuit, [a] non autem cum per annum eadem verba in Euangelio Missæ de passione Domini leguntur.

[g] Rit. Miss.

[a] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 4.

Missarum celebrationi inseruientes cum benedictionem à celebrante petunt, procumbant, atque eundem ritum obseruent, cum sacerdos Missam est inchoaturus, cum ad aliquod ministerium obeundum à suo loco surgunt, cum casulam celebrantis eleuaturi ad Sacerdotē accedunt: idem post vtranque eleuationem Hostiæ, & Calicis obseruent, cum peracta Missa ab Altari recedūt: Denique cum exuto Sacerdote ab eo in Sacristia benedictionem postulant, humum osculentur.

Has verò prostrationes, atque humi deosculationes tanta pietate, ac religione prestare studeant, perinde ac si Deum ipsum sibi presentem haberent, ac illius Maiestatem oculis intuerentur: tamque ardenti deuotionis affectu exerceant, vt cæteros quoque ad pietatem accendant: tam denique integrè, ac inuiolabiliter obseruent, vt eas negligere, aut ob iniuriam, aut pudorem omittere, piaculum existiment.

Digitized by Google

DE GENVFLEXIONIBVS.

CAP. XVI.

a Actor. 21 Epheſ. 3.

b GEnuflexiones, quæ in ſupremæ adorationis teſtimonium in Eccleſia Deo exhiberi ſolent, quandoquidem vbique à ſacris litteris, velut legitimæ, & ad Dei cultum in hominum animis promouendum, aptæ commendantur: tum maximè profectò ſumma religione à nobis exerceri debent, cum diuinę laudes, in quibus publicus Dei cultus elucet, in Eccleſia celebrantur.

c Iuſtin. q. 115. Orig. hom. 5. in num. Synod. 3. turen. c. 39

Ea propter ijs, qui diuinis officijs vacant, id imprimis curandum eſt, c vt genuflexiones, quæ ad Dei Maieſtatem declarandam ſumma pietate à maioribus inſtitutæ ſunt, ab ijs non minori diligentia cuſtodiantur: neque externa tantum genuum flexione contenti ſint, ſed cũ ea internam quoque animi pietatem, ac reuerentiam coniunctam habeant. Ita fiet, vt quoties externæ hoc adorationis ſignum diuinę maieſtati exhibuerint, perfectè illud Apoſtoli ſibi vendicare queant, dicentis, d *Flecto genua mea ad Patrem Domini noſtri Ieſu Chriſti.*

d Epheſ. 3.

e Cærem. Congreg. Caſſ. c. 15. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 2.

e In Choro igitur ante officium diuinum genuflectendum eſt, donec Hebdomadarius manibus complodens, primum officij ſignum dederit: deinde expleto officio omnes genuflexi expectent, donec vltimum ab eodem ſignum diſcedendi editum fuerit.

f Rub. gen. Breu.

f In vigilijs, & ferijs aduentus, Quadrageſimæ, & quatuor temporum, cum officium fit de feria, ad preces genuflectere oportet; quemadmodum, & ad preces, quæ dicuntur ad veſperas, & laudes in officio defunctorum, & poſt pſalmos Graduales.

g Rub. gen. Breu.

g Pſalmi pœnitentiales cum litanijs, Antiphonæ quoque B. Virg. quæ poſt officium dicuntur, extra tempus Paſchale, & dies dominicos, nimi-

Digitized by Google

nimirum à primis veſperis Sabbati incluſiuè, vſque ad Completorium diei Dominicæ incluſiuè, quo tempore ſtandum eſt, ſemper à genuflexis recitentur. In his tamẽ Hebdomadarius cũ orationem dicit, ſemper ſurgat.

[a] Cum dicitur Hymnus, *Veni Creator ſpiritus*, per totam octauam Pentecoſtes, primis duntaxat quatuor verſibus, genuflectatur; ſi verò pro alia re graui ad gratiam Spiritus ſancti inuocandam dicatur, totus Hymnus genibus flexis abſoluatur. [a] Cærem. Bonon. li. 1 c. 22. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 4.

[b] Præterea in feſto Corporis Chriſti, & per totam octauam ad Hymnum, *Pange lingua*, per quatuor illos verſus, *Tantum ergo Sacramentũ veneremur cernui* &c. genuflectendum eſt, in alijs verò officijs feriæ V. ad duos tantummodo priores verſus ſufficiat genuflectere: [c] eadem quoque genuflexio adhibenda eſt in omnibus feſtis B. Virg. cum dicitur, *Aue maris ſtella* &c. per quatuor verſus priores, non autem in officio paruo, aut Sabbati, [d] ſimiliter tempore paſſionis ad quatuor illos verſus, *O Crux aue ſpes vnica* &c. In triduo quoque maioris Hebdomadæ, cum poſt horas dicitur, *Chriſtus factus* &c. *Miſerere* &c. *Reſpice*. &c. [b] Cærem. Bonon. li. 1 c. 22. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 4. [c] Cærem. Congreg. Caſſ. c. 17. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 4. [d] Cærem. Congreg. Caſſ. c. 17.

Ad hæc genuflectendum eſt cum dicitur, *Sacroſancta* &c. Cum ſuffragia pro aliqua neceſſitate fiunt; [e] cũ ſacerdos cum Sanctiſſimo Sacramento, vel cum oleo Sancto tranſit per Chorum, aut in Choro cuipiam Euchariſtiam miniſtrat [f] (non autem ſi in Altari, dum officium celebratur ſacram Hoſtiam Sacerdos eleuet: tunc enim nec feneſtella, per quam Sacramentum videtur aperiri, nec genuflexio fieri, nec vlla Miſſarum celebrationis ratio haberi debet) [g] Deniq; cum aliquis ex Choro antequam officium abſoluatur, à Choro recedit, genuflexus exeundi facultatem à ſuperiore petere debet. [h] Cum in fine lectionum pronunciatur, *Tu autem* [e] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 4. Cærem. Congreg. Caſſ. c. 17. [f] Nauarr. [g] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 4. [h] Cærem. Epiſc. ibid.

Digitized by Google

domine, & in die Paraſceue, quoties ante Crucem fit tranſitus, toties genuflexiones iterentur.

Cæterum dum Miſſæ celebrantur, qui interſunt, præterquam ad Euangelia, ſemper genuflectant. [i] Celebrans diebus Dominicis Altare, ac ſeipſum genuflexus aſpergat. Cum in Altari celebrat, in quo Sanctiſſimum Sacramentum aſſeruatur, priusquam Miſſam incipiat, ante infimum gradum bis genuflectat, primo cum ad Altare accedit, rurſus cum Miſſam inchoat. [k] Si verò Sanctiſſimum Sacramentum ſit expoſitum, quoties vel accedit ad medium Altaris, vel recedit à medio, ſemper genuflectat: vt alibi diximus: Ita etiam cum incenſat Sacramentum expoſitum, ante, & poſt incenſationem genuflectat, [l] ac præterea in Symbolo, cum dicit, *Et incarnatus eſt* &c. In Euangelio S. Ioannis cum illa verba profert, *Et verbum caro* &c. Miniſter verò, & alij procũbant, vt dictum fuit: [m] ſimiliter in Introitu Miſſæ feriæ Quartæ Maioris Hebdomadæ, & in Miſſa de nomine Ieſu. In epiſtola Dominicæ Palmarum. Inuentionis, & exaltationis ſanctæ Crucis. Dum ea verba dicuntur. *In nomine Ieſu omne genuflectatur* &c. In Miſſis de Spiritu ſancto in prolatione verſus. *Veni ſancte Spiritus*. In verſu tractus, qui dicitur in Quadrageſima, *Adiuua nos Deus* &c. In Euangelio Epiphaniæ ad illa verba, *Et procidentes* &c. quæ etiam leguntur in tertia Miſſa Natalis Domini: in feria quarta Dominicæ quartę Quadrageſimę cum ea verba legit, *Et procidens adorauit eũ*, in paſſione Domini, quę legitur in maiori Hebdomada, cum ventum fuerit ad ea verba, *Et ſic dicens expirauit*, vel alia his ſimilia, tunc Sacerdos genuflectat, alij verò ſeipſos proſternant, vt dictum fuit.

[i] Rit. Miſſ.

[k] Rit. Miſſ.

[l] Rit. Miſſ.

[m] Rit. Miſ.

[a] Concil. Aquisgra. 3. c. 126. [a] Qui tardè poſt inchoatũ officiũ ad Chorũ acceſſerit, antequam ſuam ſedem recipiat, in medio Chori ante ſupe-

superiorem genuflectat: nec antea discedat, quam superior discedendi ei facultatem fecerit; idem quoque & fratres laici obseruent, cum tardè ad principium officij, aut ad *Te Deum*, aut litanias conuenerint. Qui in Choro errauerit, eodem modo, in sua sede tamen, genuflectat. Cærem. Cler. Reg. li. 1. c. 4. Cærem. Cõg. Cass. c. 17.

b Postremo quoties celebrans in Missa de quatuor temporibus, vel alia dicit, *Flectamus genua*, omnes simul cum ipso genuflectere debent. Cum verò expleta Missa celebrans benedicit Populo, omnes, excepto celebrante, genuflectant. *b* Rit. Miss.

Reliquas verò genuflexiones, quæ in Missa adhiberi solent, quandoquidem illæ cuilibet Sacerdoti ex Missali Romano notæ esse debent, silentio præterimus. Illud tantummodo admonentes, vt cum genuflectendum est, piè, religiosè, ac sine strepitu, aut deformitate genuflexiones fiant: ita ut in Choro omnes simul genuflectant, & cum bini in processione procedunt, aut versus ante Sacramentum pronunciant, ambo pari disciplina coram Sacramento genua flectant, & vno ore, vno animo, vna lingua, vno corporis motu Deum honorificent.

DE INCLINATIONE PROFVNDA.

CAP. XVII.

CVm varia in rebus diuinis mysteria eluceant, quibus congruus tantum honos iuxta cuiusque mensuram, necnon loci, aut temporis rationem debetur. Hinc varia, ac pia cæremoniarum seges in Ecclesia exorta est: quibus Dei cultus, velut pulcherrima varietate compactus, illustris, ac venustus procederet: maioribus mysterijs maiores, Maximis maximas cæremonias

Digitized by Google

ex Patrum institutione associauimus: adhuc minora mysteria supersunt, quæ minoribus, sanctissimis tamen, cæremonijs sunt colenda.

c Cærem. Episc. li 2. c. 1.

Inter has prior est inclinatio profunda, c quę prestanda est humeris inflexis; hæc toties in Choro repeti debet, quoties, *Gloria Patri*, in fine psalmorum, Canticorum, aut cuiuslibet responsorij dicitur: d ea quoque fieri debet, cum in inuitatorio dicitur, *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*: cum in psalmo, *Laudate pueri*, dicitur, *sit nomen domini benedictum* &c. eodem modo cum nomen, *Iesu*, & *Mariæ*, pronunciantur, eo tamē discrimine, quod non ita profundè inclinatio fieri debet, cum nomen Mariæ, quàm cum nomen, *Iesu*, exprimitur; ad nomen autem Christi, aut B.V. non fit inclinatio. e Præterea cum canitur, *Aue maris Stella*, in officio paruo, & *tantum ergo Sacramentum*, in officio feriæ quintæ, cum fit de Sanctissimo Sacramento: cum dicitur, *Benedicamus Patrem, & filium cum Sancto spiritu*, in Cantico trium puerorum, profunda semper inclinatio adhibenda est. f Ad hæc quoties Sanctissimę Trinitatis expressa fit mentio, vt in fine Hymnorum, Orationum, & in Antiphonis, quæ in festo Sanctissimę Trinitatis leguntur, ac in symbolo Athanasij, toties inclinatio profunda repetenda est.

d Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 5. Cæremon. Congreg. Cass. c. 18.

e Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 5. Cæremon. Congreg. Cass. c. 18.

f D. Bona. spec. disc. cipl. c. 9. Cæremon. Cnogreg. Cass. c. 18.

g Rub. gen.

g Eadem quoque inclinatio fieri debet, cum ante horas dicitur, *Pater noster*, *Aue Maria*: & ad matutinas, *Credo*: Ad matutinum cum ante absolutionem Primi, Secundi, & Tertij Nocturni dicitur, *Pater noster*: Ad laudes cum in Hymno, *Te Deum*, pronunciatur, *Sanctus, Sanctus, Sanctus*: cum recitatur Oratio dieij; quod etiam obseruari debet in omnibus horis, & quoties dicitur, *Pater noster*, ante Antiphonam B. Virg. Denique, *Pater noster*, *Aue Maria*, *Credo*, in Choro nunquam absque

incli-

Digitized by Google

inclinatione profunda dicuntur.

[a] Ad Primam cum in officio semiduplici, simplici, aut feriali ante preces dicuntur, *Pater noster*, & *Credo* secreto, toties profunda inclinatio fit, cum verò Hebdomadarius confessionem post preces pronunciat, ipse se profundè inclinet, Chorus stet, Choro verò dicente, *Confiteor*, stet Hebdomadarius, & Chorus se inclinet, ac tandiu inclinatus maneat, quousque Hebdomadarius absoluerit, *Indulgentiam*, quòd semper obseruandum est, quoties confessio fit in Choro: ad Preciosa eadem inclinatio repetatur, cum dicitur, *Pater noster* secretò, ante versum, *Respice Domine in seruos*. Cum profertur, *Gloria Patri*, & vsque ad *Sicut erat*: cum dicitur, *Dominus nos benedicat* &c. In cæteris quoque horis, ac vesperis eadem, quę iam dicta sunt, inclinationis tempora seruentur. [a] Rub. gen. Breu.

[b] Ad Completorium, *Pater noster*, post *Adiutorium nostrum*: & *Pater noster*, & *Credo*, post *Nunc dimittis*, & confessio eo planè modo, quo nunc dictum fuit profundam inclinationem comitem habeant. Eadem quoque in officio B. Virg. & Defunctorum iuxta prescriptas regulas adhibeatur. [b] Rub. gen. Breu.

Acolythi verò in Choro, toties profundè ante Sacramentum & superiorem se inclinare debent, quoties vel soli, vel simul ad legile accedunt: cum autem recedunt, prius mutuis se profundis inclinationibus excipiant, vt dictum fuit: tum profundam vnà ante Sacramentum inclinationem exhibeant.

Quod si in Choro sit aliquis magnus Prælatus, aut Princeps, omissa inclinatione, quę fit superiori, tam in accessu ad legile, quam in recessu se profundè ante Prælatum, aut Principem inclinent: quod etiam ab alijs obseruari debet, cum vel Chorum ingrediuntur, vel à

Digitized by Google

Choro ijs præsentibus recedunt, vel ante ipsos transeũt, vt scilicet semper illos profunda inclinatione venerentur. Præterea profundis inclinationibus vtantur post omnes versiculos, quos vel soli, vel coniuncti canunt. Rursus post omnes Antiphonas eo modo, quo supra explicatum fuit, & quoties ante lectiones, vel ad, *Preciosa*, vel in principio Completorij dicunt, *Iube Domne benedicere*, easdem inclinationes repetant.

Qui tandem Chorum ingrediuntur, antequam ad suas sedes se conferant, superiori, vt æquum est, se profundè inclinent; idem quoque obseruent fratres laici, cum in Chorum conueniunt, vt cum primum prostrati Sacramentum adorauerint, ad superiorem conuersi, eidem profundam reuerentiam exhibeant. Demum superiore per Chorum transeunte, omnes se illi profundè inclinent; Idem ritus seruetur cum aliquis ante superiorem transit; neque eo typhum, aut superbiam in Prælato foucmus, sed quod rectum, & honestum est eidem tribuimus. Aequum enim est, vt qui omnium Patris personam gerit, ab omnibus, qui filij subiectionem, ac reuerentiam profiteri volunt, debito Patris honore afficiatur. Qui eo tempore, quo *Gloria Patri*, vel *Tantum ergo Sacramentum*, vel *Aue maris Stella*, vel simile canitur, quo inclinatio exhibenda est, per Chorum transeunt, sistant, ac versus Altare se se inclinent, aut genu flectant.

In Missa celebrans profundè se inclinet, antequam Missam incipiat, nisi celebret in Altari, vbi Sacramentũ reconditum, vel expositum fuerit. Tunc enim illi genu flectendum est.[a] Præterea cum dicit, *Confiteor*, donec Minister expleuerit, *Misereatur*, cum in principio Missę dicit, *Deus tu conuersus* &c. cum ad Altare dicit, *Oramus te Domine* &c. Ante Euangelium, cum dicit, *Munda cor meum*,

[a] Rub. gen. Miss.

Digitized by Google

meum,& Dominus sit &c. expleto offertorio, cum ait: *In spiritu humilitatis*. Post lotionem manuum, cum dicit, *Suscipe Sancta Trinitas* &c. Ad finem Prefationis cũ pronunciat, *Sanctus* &c. vsque ad *Benedictus, qui venit*; In Canone cum dicit, *Te igitur*, vsque ad *Accepta habeas*. Post consecrationem ad ea verba, *Suplices te rogamus* &c. vsque, *ex hac Altaris participatione*: cum ter pronunciat, *Agnus Dei*: Ad tres orationes ante communionem: cum ter dicit, *Domine non sum dignus*: cum seipsum communicat, dicens, *Corpus Domini nostri*. In his omnibus profundis inclinationibus iuxta rubricas vti debet; [b] Cęterum tam celebrans, quàm Minister ante celebrationem è Sacristia egredientes, & cũ à celebratione redeunt imagini principali, quę est in Sacristia, profundè se inclinent: [c] Vbicunque tandem ante Crucem, aut imaginem Crucifixi, aut Trinitatis, aut B. Virg. transire contigerit, profunda illis inclinatio reddatur; id cum primis perspectum habentes, sacras Ecclesię cęremonias, non in externo tantum Corporis cultu; sed etiam, imò maximè, in interna animi pietate consistere: quo fit, vt minus ij Deo, & Ecclesię satisfaciant, qui externam duntaxat membrorum compositionem ab animi pietate seiunctam, seruant.

[b] Rub. gen.

[c] Synod. Nicen. 2. act. 7. Cõc. Trid. sess. 25. Decret. de Inuocat.

DE INCLINATIONE CAPITIS.

CAP. XVIII.

CApitis inclinatio, quę non humeris inflexis, sed capitis tantum demissione prestanda est; animi reuerentiam indicat, [d] quę in Choro toties exhiberi debet, quoties exprimitur nomen B. P. N. Francisci, & Sancti, de quo fit officium, & summi Pontificis viuentis. Cũ dici-

[d] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 4. Cæremon. Congreg. Cass. c. 18.

Digitized by Google

dicitur in Psalmo, *Confitebor tibi Domine* &c. *Sanctum, & terribile nomen eius*: & in Psalmo, *Deus Iudicium* &c. *& benedictum nomen Maiestatis eius*: & in Cantico, *Domine audiui* &c. cum canitur, *Ego autem exultabo in Deo Iesu meo*: & ad *Magnificat*, cum dicitur, *Sanctum nomen eius*, nec non cum pronunciatur, *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ*.

[e] Cærem. Epis. lib. 2. c. 3. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 2.

[e] Ea quoque ex decentia reddenda est, tam ab introeuntibus in Chorum, quàm à recedentibus à Choro in reuerentiæ signum, cum alij Sacerdotes, aut aliquis Prælatus, minor Episcopo, aut alij nobiles in Choro sunt præsentes, hi enim modesta capitis demissione sunt honorandi, [f] sicut etiam imagines Sanctorum, cum obuiæ habentur.

[f] Synod. Nicæn. art. 7. Io. Damas. orthod. fid. l. 4. c. 17

In missa verò celebrans caput inclinare debet, cum dicit, *Gloria in Excelsis Deo*, & *Adoramus te*, *Gratias agimus tibi* &c. *Suscipe deprecationem nostram*, & *Iesu Christe*. Præterea cum symbolum incipit, cum dicit, *Et in Dominum Iesum Christum* &c. *Qui cum Patre, & Filiosimul adoratur*: [a] In præfatione cum legitur, *Gratias agamus*: ad Communicantes cum dicit, *Iesu Christi*, & rursus cum ait, *Dilectissimi Filij tui Domini nostri Iesu Christi*: Hostiã consecraturus ad ea verba, *tibi Gratias agens*: rursus ante Calicis consecrationem, cum ait, *Item tibi gratias agens*, caput inclinet: [b] idem præstare debet in Quadragesima cum dicit. *Humiliate capita vestra Deo*. Denique in fine Missæ in his verbis, *Placeat tibi Sancta Trinitas*. His enim capitis inclinationibus res tam sacras omni reuerentia, ac veneratione dignas esse testamur.

[a] Rit. Miss.

[b] Rit. Miss.

DE

Digitized by Google

DE TEMPORE QVO FORMARI DEBET *signum sanctæ Crucis.*

CAP. XIX.

CRucis signum, quod ad fouendam Christi Domini passionis memoriam, atque altè hominum mentibus infigendam, *c* olim ab Apostolis piè, & sanctè institutum est, Dæmonibus quidem tremendum, hominibus autem semper adeo venerandum fuit; vt, *d* teste Augustino, nulla in Ecclesia benedictio, nulla consecratio, nullum mysterium, nullũ Sacramentum, nulla denique res sacra absque Crucis signo ritè celebretur: ex quo sanè perspicuum est, quotiescunque illud in diuinis officijs ex Ecclesiæ, & Patrum instituto præscribitur, non sine maxima religione à nobis coli debere.

c Clemens Rom. Constit. Apost. l. 8. c. 12.

d August. tract. 118. in Ioannẽ.

e Porrò signo Crucis nos semper munire oportet, quoties in principio horarum intonatur, *Deus in adiutorium* &c. non autem cum idem versus in Psalmo, siue in precibus legitur, aut ad Pretiosa ter repetitur. Præterea cum dicitur, *Adiutorium nostrum* &c. & ad Primam cum Hebdomadarius dicit, *Dominus nos benedicat*, &c. & cum post confessionem ab Hebdomadario dicitur, *Indulgentiam*, &c. signum Crucis formatur.

e Cær. ep. l. 2. c. 6.

f In Matutini initio cum Hebdomadarius intonat, *Domine labia mea* &c. omnes pollice dextræ manus os signent, & cũ ad Euangelium dicitur, *Lectio sancti Euangelij*, frontem, os, aç pectus signo Crucis muniant. Ad Completorium verò cum inchoatur, *Conuerte nos* &c. signum Crucis tantum fiat in pectore. Cum ab Hebdomadario pronunciatur, *Benedicat nos omnipotens* &c. integrum signum Crucis explicetur.

f Cær. epis. l. 2. c. 6.

g In Missa signum Crucis celebrantem sibi adhibere opor-

g Rit. Miss.

Digitized by Google

oportet. Primo cũ Missam inchoans dicit: *In nomine* &c. Cum dicit: *Adiutorium nostrum* &c. In initio introitus, præterquam in Missis Defunctorum, in quibus non seipsum, sed librum signat. In fine Hymni *Gloria in excelsis*. Cum dicit: *in gloria Dei Patris*. Et ad finem Symboli, cum ait *Et vitam venturi* &c. sub finem Præfationis, cũ pronunciat: *Benedictus qui venit*. In principio Euãgelij, ad ea verba: *Sequentia sancti Euangelij*, prius librum, deinde frontem, os, ac pectus Cruce muniat. Cum dicit: *Da propitius pacem*, patena seipsum signet: ante sumptionem corporis, aut sanguinis, cum dicit: *Corpus Domini* &c. vel *Sanguis Domini* &c. Hostia, vel Calice seipsum signet: cum incensat oblata, ter crucem thuribulo super oblata format: sæpius oblata signat iuxta rubricas Missalis, quę Sacerdotibus notę esse debent. [a] Verumtamẽ cum oblata signat, id caueat, ne super ea quasi 4. puncta effingat, aut cum crucem intersecat, manum, vel digitos inflectat: sed manum, ac digitos æquales ducens, duas lineas formet, vnam quidem rectam, alterum trãsuersam, manu, ac digitis semper extensis; Cruces verò non nimis celeriter, sed grauiter, ac morosè depingat.

[a] Cær. Cl. Reg. l. 2. c. 6 Cær. Petri de Roys.

Quod verò ad cęteros pertinet; in principio Missę cum Sacerdos incipit: *In nomine Patris* &c. semper se signo Crucis prosequi debet, atque eodem modo cum prosequitur: *Adiutorium nostrum* &c. Cum post Confessionem subdit: *Indulgentiam*. Cum inchoat introitum, Ad *Gloria in excelsis*, cum dicit: *In gloria Dei Patris*. Ad illa postrema verba Symboli: *Et vitã venturi sæculi*, Ad finem Præfationis cum dicitur: *Benedictus qui venit*, In principio Euangelij frontem, os, & pectus signare debent: eodem quoque modo cum dicitur: *Pax Domini sit semper* &c.

[b] Cær. Pet. de Roys. Cær. Cler. Reg. lib. 2. c. 6.

[b] Cum verò à Celebrante in fine Missę, vel ab Episcopo,

scopo, vel à Sacerdote cum sanctissimo Sacramento datur benedictio, omnes quidem genuflectant; sed seipsos non signent: à minori enim signum Crucis fieri non debet, cum à maiore adhibetur.

[c] Cęterum sacerdos in omnibus benedictionibus, siue aquę benedictę, siue cinerum, siue ramorum, ac aliarum rerum, Crucis signo semper vti debet, vt in rubricis explicatum habetur. [c] Rub. gen. Miss.

Atque his quidem plura Crucis signa in Choro, vel in Missa adhiberi non debent, quę ab Ecclesia, vel à Patribus non sunt pręscripta: priuatim verò frequenter, ac deuotè hoc signo vti omnibus cõsultum est: eo enim piè, ac summa cum reuerentia adhibito, Dęmonum castra fugantur, tentationes ruunt, mens Christi Crucifixi virtute intus armatur, & ad virtutum studia suauius allicitur. [d] *Crux enim Domini,* (vt ait Martialis,) *est armatura inuicta contra Sathanam, galea custodiens caput, lorica protegens pectus, Clypeus tela maligni repellens, gladius iniquitatem, & Angelicas insidias peruersæ potestatis sibi propinquare nullo modo sinens.* [e] Hinc rectè monet Hieronymus: *claudas cubiculum pectoris, & crebro signaculo Crucis munias frontem tuam, ne exterminator Aegipti in te locum reperiat.* [d] Mart. Ebi gad. Bnr-degal. c. 8. [e] Hier. ep. 8. ad Deme triad. c. 6.

DE PECTORIS TVNSIONIBVS.

CAP. XX.

QVoniam pectus tundere, nihil aliud est, quàm Publicani exemplo nos ante Deum criminũ reos, ac peccatores fateri: [f] atque vt Beatus Augustinus ait, fideliter arguere quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigare peccatum: inde peccatoris tunsiones, [f] S. August. serm. 8. de verb. dom.

Digitized by Google

siones, velut ex Euangelica doctrina, & Apostolorum traditione haustas, atq; ab Ecclesia commendatas amplectimur; vt ijs animus ad intimam delictorum suorum pœnitentiam prouocatus, facilius ad diuinam misericordiam promerendam disponatur; puriusque diuinarum laudum, ac sacrorum mysteriorum munus obire queat.

[a] Rub. gen. Breu. [a] In Choro igitur quoties fit confessio ab Hebdomadario, ter ipse Hebdomadarius, non alij, pectus percutiat, ad verba, *Mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa;* Chorus verò cum eandem confessionem repetit, ter quoque ipse, non Hebdomadarius, ad eadem verba pectus tundat. [b] Idem quoque seruetur in principio Missę, cum vel à celebrante, vel à ministro fit confessio; cum profertur ab Hebdomadario, *Sacrosanctæ* &c. ad illa verba, *nobisque remissio peccatorum*, ab omnibus pectoris tunsio fit, ad delictorum indulgentiã impetrandã.

[b] Rit. Miss.

Cum eleuatur Hostia, aut Calix, qui circumstant, pectus percutiant, quod etiam præstandum est tam à Celebrante, quàm à circunstantibus in Missa, cum dicitur, *Agnus Dei*, prçterquam in Missa Defunctorum: & cum ter pronunciatur, *Domine non sum dignus;* cum verò sacerdos alijs Sacramentum ministrans dicit, *Domine non sum dignus*, non ipse, sed communicantes pectus percutiant. [c] Post eleuationem Calicis, cum sacerdos dicit, *Nobis quoque peccatoribus*, tam sacerdos, quàm reliqui, semel pectus tundere debent.

[c] Inno. III. li. 5. myst. miss. c. 12.

Cum verò pectus tunditur, non strepitosa percussio fiat, quę singularitatem indicet, nec nimium frequens, quę alijs sit molesta: sed communis, & modesta, quę animum simul, & mentem syncera peccatorum suorum displicentia imbutam in spem diuinę clementię erigat, ac cęteros ad pietatem excitet.

DE

Digitized by Google

DE CONIVNCTIONE, DISIVNCTIONE, ac contectione manuum.

CAP. XXI.

MAnuum coniunctio supplicationem indicat, qua vel Deum omnium bonorum largitorem, vel sanctos intercessores prosequimur; quapropter ea maximam à nobis mentis attentionem, atque animi reuerentiam, ac præcipuè cordis puritatem, ac munditiam expoſcit: ne fortè illud Prophetę audiamus. *Cum extenderitis manus vestras, auertam oculos meos à vobis: manus enim vestræ sanguine plenæ sunt.* Isai. 1.

Manus in Choro semper iungendæ sunt: cum ante Sacramentum humi procumbitur: Cum officium inchoatur: cum Euangelium legitur: cum dicitur, *Venite adoremus, & procidamus ante Deum*: cum benedictio petitur, illis verbis, *Iube Domne benedicere*: cum dicitur, *tu autem Domine*, post lectiones: In Hymno, *Te Deum*, cum profertur, *Te ergo quæsumus*: Cum recitatur Oratio: Antiphonæ quoque B. Virg. quæ in fine horarum dicuntur, iunctis manibus cantari debent, sicut etiam quatuor primi versus Hymnorum, *Veni Creator Spiritus*, & *Aue maris Stella* &c. & *Tantum ergo Sacramentum* &c. Quando litaniæ B. Virg. cantantur: quoties etiam pro aliqua necessitate suffragia fiunt, semper iunctis manibus dicantur. Omnes denique prostrationes, quæ in Choro, vel ante Altare peraguntur, de quibus superius actum fuit, sine manuum coniunctione non fiant.

Manuum disiunctiones fieri non solent, præterquam in Missa, in qua plurimę quoque manuum coniunctiones à celebrante perfici debent, quæ cum in Missali Romano

Digitized by Google

mano habeantur, eas hic inferere non est opus.

a Rit. Miss. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 8. a Illud tantum hic obseruandum est, vt cum manus iunguntur, ita vtraque manus ante pectus collocetur, vt palma vnius manus alteri adhereat, & digiti omnes, ita æqualiter sint iuncti, vt nullum inter eos spacium intercedat, atque ita extensi, vt eorum extremitates recta linea sursum ferantur; vtrunque verò pollicem in modum Crucis, nempè dextrum supra sinistrum collocet.

Manus denique intra Manicham iuxta nostræ Religionis ritum contegendæ sunt, atque ante pectus honestè collocandæ, cum psalmi cantantur, dum Capitula, ac Lectiones leguntur, Dum commemorationes fiũt, Dum preces dicuntur, Dum Martyrologium recitatur. Postremo cum vel iungendæ non sunt, aut signum Crucis formandum, aut pectus tundendum, aut ab Acolythis folia vertenda, aut lectiones parandę, aut Chori ministeria peragenda, semper intra manichas religioso more teneantur.

DE BRACHIORVM EXTENSIONE.

CAP. XXII.

BRachiorum extensio, qua Christi Crucifixi imago, velut in nobis delineata repręsentatur, equidem non sine maxima animi pietate, ac Religione peragenda est; cum enim ipsa corporis figura Deo Patri flebile (gratissimum tamen) Crucifixi Filij sui simulachrum obijciamus, eo facilius, eum nobis exorabilem reddimus, quo pręsentem dilectissimi Filij sui in nobis imaginem intuetur, d qui in Cruce expansis manibus rogans exauditus est pro sua reuerentia.

d Hebr. 5.

Hinc

Digitized by Google

Hinc antiquissimi, ac sanctissimi Patres, atque œcumenica Concilia hunc orandi modum, tanquam ad diuinę miserationis viscera commouenda accommodatissimum olim miris laudibus extulerunt, inter quos est[e] Tertullianus, qui orandi formam olim Christianis consuetam describens, ait. *Illuc suspicientes Christiani manibus expansis, quia innocuis: capite nudo, quia non erubescimus: denique sine monitore, quia de pectore oramus.* [f] Concilium Trullense hoc corporis gestu ad Communionem accedentes laudat his verbis. *Si quis immaculati corporis in synaxis tempore esse particeps voluerit, etiam antequam eius fiat communio, manus in crucis formam figurans sic accedat, & gratiæ communionem accipiat.*

[e] Tertul. apologetico c. 30.

[f] Concil. Trull. cap. 101.

At egregiè hoc ita orandi Mysterium explicat[a] sanctus Maximus, ita scribens. *Ipsius enim incessus hominis, cum manus leuauerit Crucem pingit: atque ideo eleuatis manibus orare præcipimur, vt ipso quoque membrorum gestu passionem Domini fateamur. Tunc citius nostra exauditur oratio, cum Christum, quem mens loquitur, etiam corpus imitatur. Hoc etiam exemplo Moyses Sanctus, cum contra Amalech bellum gereret, non armis, non ferro, sed eleuatis ad Deum manibus eum superauit.* Hunc etiam orandi morem priscis illis Monachis communem fuisse tradit Sanctus[b] Hieronymus in vita Sancti Pauli Eremitę. *Antonius*[c], (inquit) *introgressus in speluncam vidit genibus complicatum, erecta ceruice, extensisque in altum manibus corpus Pauli exanime.* Plerosque alios Patres prętereo, qui piam hanc orandi formam scriptis suis commendarunt.

[a] S. Max. hom. 12. de Cruce, & sepult. Domini.

[b] S. Hier. in vita S. Pauli primi Eremi. Io. Clim. grad. 15.

[c] S. Io. Damasc. Hist. Barlaam. c. 21.

S. Aug. de curat. pro mor. ag. c. 5 S. Bern. ep. 351. ad Hug. Pet. Dam. de Dominico Lori cato c. 12.

Quapropter cum pio, & antiquo nostrę Religionis vsu iamdudum receptum sit, vt hic orandi modus

Digitized by Google

apud nos, non absque diuini spiritus afflatu inualuerit: is summo studio custodiendus, & piè, ac religiosè ab omnibus excolendus est, vt quę summa pietate à Maioribus instituta sunt, non minori religione, à posteris conseruentur.

Idcirco mos antiquus seruetur, vt post eleuationem Calicis in Missa Conuentuali, quotquot in Choro prę-sentes sunt, vel Missis inseruiunt, quinquies, *Pater noster*, & *Aue Maria*, extensis brachijs recitent: Prę-terea quoties post suffragia pro aliqua necessitate facta, vnum *Pater*, & *Aue Maria*, siue plures à superiore indicuntur, toties illa expansis brachijs in modum crucis dicantur. Cum die Parasceues crux adoratur, hac orandi forma velut ei diei accommodatissima ad adorationem procedant. Priuatim verò quilibet frequenter ea vti consuescat, vt antiqua hęc orandi religio, quę Deo gratissima est, in Ecclesia pœnè collapsa restituatur.

Illa verò brachiorum extensio, non pigra, non languens, non remissa: sed impigra strenua, ac feruida sit, quę animum Dominicę Passionis contemplatione imbutum, & diuina erga Christum charitate flagrantem ostendat.

Celebrans verò in Missa toties manus extendat, quoties orationes, & secreta pronunciat; eadem quoque manuum extensione vtatur, Cum recitat Prę-fationem, cum in Canone dicit, *In primis, quæ tibi offerimus* &c. & *omnium circunstantium*. Post eleuationem Calicis cum dicit, *Vnde, & memores* &c. ac deinde, *Supra quæ propitio* &c. Post commemorationem defunctorum cum dicit, *Ipsis Domine* &c. Demum cum profert, *Pater noster*. Cum verò manus in Missa extenduntur, ritus Missalis obseruetur, vt celebrans illas ita

ante

Digitized by Google

ante pectus extendat, vt digitis simul iunctis, & extẽsis, palma vnius manus alteram respiciat: vtraque verò humerorum altitudinem, & distantiam non excedat, In alijs verò brachiorum extensionibus extra Missam, quò latius brachia extenduntur, eò perfectius crucis Mysterium explicatur.

DE MVTVIS CONVERSIONIBVS AD inuicem, & ad Altare.

CAP. XXIII.

SPiritus illi Seraphici, qui apud Isaiam, in cœlesti illo beatorum Agminum Choro, Deo perpetuo ministrant, tametsi sæpissimè in Dei Maiestatem mentis oculos intenderent, interdum tamen ad alterutrum conuersi, diuinas laudes decantare visi sunt. Hinc Ecclesia Catholica, velut pia cœlestium actionum æmulatrix, quos ad Angelicum diuinarum laudum persoluendarum ministerium vocat, eos frequenter versa ad Altare facie, quandoque mutuis ad seipsos conuersionibus Deum laudare docet. Quamobrem, qui Angelicorum munerum heredes, ac sacrarum administrationum pij custodes haberi volunt; vtrunque ita obseruare debent, vt cum in Altari oculos intendunt, Deum ibi præsentem intueantur, quem integro cordis affectu laudibus prosequi debent: cum verò faciem ad se inuicem conuertunt, se mutuo ad Dei laudes accendere debere non ignorent. Isa. 6.

Igitur qui ante legile, vel in oppositis Chori lateribus stant, eos toties inclinatos mutuas conuersiones præstare oportet, quoties à Choro, *Pa-*

Digitized by Google

ter noster, & *Aue Maria*, *Credo*, in principio horarum dicitur; quoties canitur, *Gloria Patri* &c. vsque ad *Sicut erat* &c. Cum in Vesperis cantatur, *Sit nomen Domini benedictum*. Cum quatuor extremi versus quorumcunque Hymnorum recitantur: cum ab Hebdomadario profertur oratio principalis officij; Ad preces verò, quæ non dicuntur flexis genibus, & ad *Preciosa*, vsque ad, *Deus in adiutorium* &c. stent quidem omnes versa ad alterutrum facie, sed tamen erecti. Cum verò ad *Preciosa*, dicitur, *Deus in adiutorium*, se ad Altare conuertant, & iterũ ad *Gloria Patri*, vsque ad *Sicut erat*, adinuicem conuersi se se inclinent. Ad *Sicut erat*, eodem modo se erigant, & rursus se profundè ad *Pater noster*, quod sequitur, demittant. Cum dicitur, *Et ne nos* &c. iterum ad seipsos conuersi se erigant, & vsque ad *Dirigere*, *& sanctificare* &c. erecti maneant, at simulac pronunciatur, *Dirigere*, faciem ad Altare conuertant, ad quod tandiu conuersi maneant, quoad dicatur Capitulum absolutionis: quo tempore iterum erecti, faciem ad sese inuicem conuertere debent, eodemque modo iterum se inclinare cum dicitur, *Benedicite Deus*, vsque ad finem.

Ad *Magnificat*, ad *Benedictus*, & ad *Nunc dimittis*, stent erecti versa ad alterutrum facie. Acolythi quoq; ministrantes, cum à legili recedunt, conuersi se mutuo salutent.

Qui fixi ad dexteram, & sinistram partem Chori in suis sedibus manent, stent semper versa facie ad opositam partem Chori nisi cum ad Altare faciem conuertere debent, ne ordo conuersionum ad Altare perturbetur, quod in omnibus regularium Choris hactenus obseruatur. Qui verò in suprema parte Chori sunt, nunquam ad se inuicem, sed versus

Alta-

Digitized by Google

Altare tantummodo faciem conuertant.

Ad Altare verò conuersio fieri debet, primum ab ijs, qui stant ante legile, cum Psalmi canuntur, præterquam ad *Gloria Patri*, vt dictum est, vsque ad *Sicut erat*, quod ab ijs dici debet facie versus Altare conuersa. Rursus cum Hymnos recitant, exceptis quatuor vltimis versibus: reliqui verò omnes ad Altare faciem conuertere debent, cum pronunciatur Capitulum, cum absolutis collectis dicitur, *Per Dominum nostrum* &c.

Antiphonæ B. Virg. per omnia anni tempora, cum sua collecta semper conuerso ad Altare vultu dicantur: sicut etiam litaniæ eiusdem: in omnibus quoque collectis, quæ post quascunque commemorationes dicuntur, conuersio ad Altare fiat: Atque eodem modo, *Sacrosanctæ*, & suffragia, quæ superiore iubente interdum pro aliqua necessitate Deo offeruntur, versa ad Altare facie recitentur.

Acolythi ad legile accedentes, conuersa ad Altare facie coram illo se inclinent: Ijdem Psalmos, Hymnos, Antiphonas, Lectiones, Commemorationes cum versiculis, similiter Capitula ad absolutionem, & responsoria breuia horarum ad Altare conuersi legant; Missam quoque in Choro audientes, faciem ad Altare conuertant.

Has verò conuersiones ea pietate, ac profunda mentis consideratione omnes perficere studeant, Angelicsi munus obeuntes; perinde ac Deo ipsi, in cuius conspectu semper stant, sua ministeria exhiberent.

Digitized by Google

DE VSV SVPERPELLICEI.

CAP. XXIV.

a Concil. Oxon. c. de ornam. Eccl.
b Act. Eccl. Med. p. 1. fol. 271.

SVperpelliceum, a quod ab antiquissimis Ecclesiæ temporibus, in Ecclesia vsu receptum, non nisi ab Apostolica traditione manasse creditur: b Munditiæ, ac nitoris simulachrum est, quo Ecclesiæ minister instruitur, qualis ad Altaris ministerium accedere, & in eo se gerere debeat. Et quidem prisci illi nostræ Congregationis Patres, quos internus potius, quam externus munditiæ candor delectabat: superpelliceo in sacris Ministerijs minimè vsi sunt: haud ea ratione profectò, quod huiusmodi cęremoniam superuacaneam, (quod absit) aut minus statui nostro congruentem iudicarent. Cum illud, B. P. nostri Francisci tempora non repulerint, atque eo antiquissimi simul, & sanctissimi Patres vsi fuerint: sed potius, quod ex abundantiori illius vsu formidarent, ne tenera, ac vix exorta Congregatio ad pristinas sacri Ministerij pompas, altissimę nostræ paupertatis parum congruentes, quas non pridem sanctè repudiauerat, sensim deflueret.

At vbi iam adulta Congregatio, in his, quę ad rerum diuinarum ministerium, ac ministerij rationem pertinēt, fixis statutis, ac longo vsu solidatis, tam altas, ac stabiles in humilioris ministerij vsu radices egit, vt vix ab eo lapsum timerè debeat. Hinc Patres Generalis Capituli Romæ celebrati, vt solemniora Altaris ministeria ab iis, quę passim communia sunt secernerentur, superpellicei vsum in solemnioribus quibusdam diebus, quibus vel Thurificatio in Altaris ministerio adhibetur, vel pax publicè in Choro datur, vel singulare aliquod officium celebratur velut his sacris actionibus decentissimum,

ad

Digitized by Google

admittendum decreuerunt.

[a] Omnibus itaque diebus ſolemnioribus, cum Thuri- [a] Rub. mis.
ficatur Altare, Clericus ſuperpelliceo indutus, vt alias explicatum fuit, ad Altare procedere, & Celebranti miniſtrare debet, [b] ſuperpelliceo quoque vtatur in Do- [b] Rit. Miſſ.
minicis diebus, cum in Miſſa Conuentuali miniſtrat, in qua fit aſperſio aquæ benedictę, & pacis oſculum datur, ſi autem ex aliquo accidenti non erit tunc in conuentu Clericus, miniſtret laicus, ſed ſuperpelliceo non indutus. Sunt etiam alij plerique dies ſolemnes, in quibus ſingulare aliquod officium agitur, aut peculiaris aliqua actio celebratur, in quibus ſuperpelliceo, vti decet, veluti in Vigilia Natiuitatis Domini, cum Martyrologium canitur: in die Cinerum: in feria quinta maioris Hebdomadæ: in die Paraſceues: in die Sabbati Sancti: in Vigilia Pentecoſtes: & in die Commemorationis omnium Defunctorum: in officio, & ſepultura fratris defuncti, & cum Miſſa celebratur coram Epiſcopo, aut Principe. [a] Prętereа ſuperpelliceo, [a] Rit. Miſſ.
& ſtola vti debet ſacerdos, quoties aquam die Dominico benedicit: quoties Sacramentum extra Miſſam in Altari exponit, aut expoſitum recondit: quoties aliquid, vel in Altari, vel in Sacriſtia benedicit: [b] Prętereа [b] Concil. Braccar. 2. Eccleſiaſtica de Conſecrat. d. 2.
cum ſanctiſſimam Euchariſtiam, & extremam vnctionę miniſtrat infirmis: cum extra Miſſam aliquos communicat: cum aduerſus tempeſtates, ac grandines coniurationes legit, atque alia his ſimilia prętat; hęc abſque ſtola, ac ſuperpelliceo non prętet, vt eccleſiaſticę leges decernunt.

Digitized by Google

DE VSV THVRIFICATIONIS.

CAP. XXV.

THus in Altaris ministerio interdum adhibendum esse, diuinis, & humanis testimonijs satis, superq; in Ecclesia probatum est: Etenim in Apocalipsi cœlestes illi spiritus thus ante diuinum Altare adolebant. Iudeorum quoque Ecclesia olim Thurificatione in Altaris ministerio vsa fuit: Demum pijs legibus ab Ecclesia institutum est, vt quibusdam solemnioribus diebus in Altaris sacrificio thuris incensio fiat.

Apoc. 8.

Conc. Rothomag. apud Burchard. li. 3. c. 227. Cær. epis. l. 1. c. 23.

Porrò vt omnibus pespectum sit, qui nam solemnes dies, in quibus thus adolendum est, censeantur, Hi sunt. festa omnia Domini Sabaoth, scilicet Natalis Domini, Circumcisio, Epiphania, tres dies Paschę, Ascensio, tres dies Pentecostes, festum Trinitatis, & Corporis Christi.

Rub. Miss. Cær. Epis. Pon. Rom.

Prętera festa B. Virg. festiua, videlicet Conceptio, Natiuitas, Purificatio, Annunciatio, Assumptio, & Visitatio.

Adhęc festa omnium Apostolorum, Euangelistarum, Patroni, seu titularis Ecclesię, Inuentionis Sanctę Crucis, S. Ioannis Baptistę, S. Stephani, S. Laurentij, Dedicationis S. Michaelis, Festum omnium Sanctorum, Cōmemoratio omnium Defunctorum, Dominica in Albis, & Dominica Palmarum, feria quinta in Cœna Domini, & feria sexta in parasceue.

His accedant festa Sanctorum nostrę Religionis nimirum S. Patris nostri Francisci, Impressionis Stigmatis, Portiunculę, S. Antonij, S. Ludouici, S. Bernardini, S. Bonauenturę, S. Didaci, S. Clarę, SS. Danielis, & sociorum, & Festum glorioſissimi nominis Iesu.

* Rit. Rom.

* His quoq; addi debent, Missa in exequijs Corporis De-

Digitized by Google

Defuncti præsentis, in qua incensum adhiberi debet; ac præterea cum Missa dicitur pro re graui, sicut fieri solet in die electionis Ministri Generalis, aut Prouincialis: tempore Capituli, siue celebretur in loco Capituli, siue in alijs Ecclesijs Prouinciæ, aut totius Ordinis. Rit. Miss. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 31.

In his ergo tantum solemnioribus diebus, celebrans Altare thurificare debet, & minister superpelliceo indutus ea omnia obseruare curet, quæ superius de ministerio Missæ solemnis dicta sunt; His exceptis, quæ de thurificatione in Commemoratione omnium Defunctorũ, & in die exequiarum Defuncti tertio libro explicabuntur. Quomodo verò Altare thurificandum sit, iam superius declarauimus.

In oratione verò 40. horarum cum Sacramentum exponitur, & in Vespere, cum reconditur; semper sanctissima Eucharistia incensari debet nonnullis versiculis, & orationibus adhibitis, de quibus inferius agetur.

Finis primi Libri.

DE

Digitized by Google

DE SACRIS RITIBVS

IVXTA ROMANAM REGVLAM vsui Fratrum Minorum Capuccinorum accommodatis.

Liber Secundus.

IN QVO AGITVR DE RITV DIVINORVM Officiorum, & Disciplina in ipsis seruanda.

DE STATIS HORIS, QVIBVS HORAE Canonicæ singulis anni temporibus sunt persoluendæ.

CAP. I.

[a] S. Hieronym. ep. 22 ad eustoch.

QVAMQVAM (vt inquit Hieronymus) *Apostolus orare nos semper iubet, & sanctus est ipse somnus oratio: tamen diuisas orandi horas debemus habere, vt si fortè aliquo fuerimus opere detenti, ipsum nos ad officium tempus admoneat.* Hinc [b] septē, vel ex aliorum sententia, [a] octo horæ Canonicæ, siue regulares ex Apostolica traditione decerptæ, antiquissimis

[b] Cōc. Cabilon 2. c. 59. Isid. de Eccles. off. l. 1. [a] Bed. li. 3. in Esdr. ca. 38.

Digitized by Google

simis legibus in Ecclesia institutæ sunt; videlicet Matutina, Laudes, Prima, Tertia, Sexta, Nona, Vesperæ, & Completorium, in quibus, qui Dei obsequijs mancipati sunt, distinctis diei, & noctis spacijs diuinis laudibus vacare debeant: vt & Dies, & Nox, & Sol, & Luna, & cuncta temporum vicissitudo illius cultus sint testes, quo Christiana Religio Deum velut rerum omnium, ac temporum auctorem prosequitur, neque vlla sit diei, aut noctis pars, quæ à Diuinis laudibus vacet. Amalar. l. 4 de Eccl. off. c. 7. Nau. lib. de orat. c. 3 num. 27. & 28. S. Anton. 2 p. c. 12. §. 1.

Et quidem, cum hęc horarum spacia tot sacrorum [b] Conciliorum, ac sanctorum [c] Patrum consensu summa pietate constitutæ sint, æquum sanè est, vt non minori diligentia, ac religione à nobis colantur. [b] Concil. Laod. can. 18. [k] Concil. Aquisgra. l. c. 126.

Quapropter ne psallendi spacia, quæ certa, ac definita esse debent, aliquando perturbentur, necessarium duximus cuique horarum tempori suos terminos præscribere, & iuxta varia anni tempora, certos pro instituti nostri ratione assignare. [c] Clemens li. 1. const. Apost. c. 40 Cypr. in orat. Dom. Basil. lib. 2. de instit. monach.

A matutina hora itaque rem agredientes; à qua reliquarum spacia certam sibi regulam, ac mensuram vendicare debent: Quandoquidem prisci Religionis nostrę Patres, ac fatores, antiquæ olim [d] sanctorum Monachorum institutioni inherentes, eam in media nocte collocarunt; quod hactenus in toto Ordine nostro piè, ac fideliter obseruatum fuit: Nos quoque eorum vestigijs insistentes, ac piam sanctorum Patrum, institutionem, omni, qua par est, reuerentia prosequentes, Matutinam horam simul cum laudibus, media nocte cunctis anni temporibus inuiolabiliter celebrandam decernimus. [d] S. Hieronym. ep. 8. ad Demetr. c. 8. S. Io. Chrisost. hom. 42. Basil. ep. 2. ad Greg. Theolog. [e] Constit. Reg. c. 3.

Hæc enim noctis pars, tum apud scripturas, tum apud Patres cęteris commendatior habetur; [f] Dauid enim medijs noctibus ad psallendum Domino surgebat. [g] In actibus quoque Apostolorum legitur, *Circiter autem* [f] Psal. 118. [g] Act. c. 16.

Digitized by Google

autem mediam noctem Paulus, & ſilas laudabant Deum.

[b] Dion. ep. ad Demophil.

De B. Carpo [b] Dionyſius hæc refert. *Circa verò mediã noctem, quo tempore conſueuerat ipſe ſemper apud ſe ad diuinos euigilare Hymnos, expergiſcitur quidem: & ſurgit.* Hac quoque hora ſurgendum monet [i] Athanaſius his verbis: *Media nocte ſurgito, & laudato Dominum Deum tuum.* Plura de hac parte noctis ad eum laudandum aptiſſima ſcribunt [k] Baſilius ep. 1. ad Gregorium Nazianzenum, Ambroſius ſermone octauo in ea verba Pſalmi 118. *Media nocte ſurgebam* &c. Hieronym. ep. 8. ad Demetriadem cap. 8. & alij Plerique Patres: ſed præſertim Hilarius, cuius hæc verba ſunt, *Non vacat totis noctibus ſomno, nec otioſus lecto continetur: ad confitendum Deum non ſolum nocte, ſed etiam media nocte conſurgit. Meminit hoc eſſe tempus, quo primitiæ Egyptiorum meritiſſimæ impiæ obſtinationis clade percuſſæ ſunt. His ergo horis non laxatur in ſomnum, ne gladio Egypti admiſceatur. Hoc noctis tempore, introeunte ſponſo, ſapientes virgines in nuptias cum lampadibus introibunt. Vigilat ergo, ne cum ſtultis mereatur excludi.* Nec tamen mediam noctis horam ita mordicus contrahimus, vt ſi aliqua horæ minuta interdum, vel excedant, vel deſint; id abſque præſcripti termini præiudicio fieri non poſſit: neque enim ignoramus quàm difficile ſit, æſtiuo præſertim tempore, apud Italos mediæ noctis horam adamuſſim obſeruare: ſed ne longioris temporis interuallo, quàm ſeſquihoræ, vel ad ſummum horæ, Matutina hora à media nocte diſtet, ſolicitè monemus.

[i] Athan. li. de virg.

[k] Baſil. ep. 1. ad Greg. Ambr. ſer. 8. in pſal. 118. Hier. ep. 8. ad Demet. Hilar. in Pſal 118. lit. Heth.

Quamobrem, ea horarum ratione habita, quibus ſol in vno quoque anni tempore oritur, illud matutinæ horæ tempus eſſe præſcribimus, quod medium noctis ſpacium æqualiter interſecat, quod nã verò illud ſit, ſequẽs tabella indicabit.

Prima

Digitized by Google

Prima hora diebus ferialibus, à Matutina Cellarum pulsatione, sesqui hora elapsa, à Sacrista pulsetur: Cum qua simul tertia persoluatur. In diebus verò dominicis, ac festiuis integra hora, à matutina, vsque ad primam horam fluat, & cum prima, & tertia, etiam sexta hora per totum anni circulum addatur. Porrò qua hora, singulis anni temporibus valuæ cellarũ pulsandæ sint, in tabella adnotabitur. Id tantum admonere sufficiat. A Natiuitate B. Virg. vsque ad octauam Paschæ exclusiuè, quinque horarum cum dimidia spacium, ab exordio Matutinæ horę vsque ad Cellarum pulsationem, neque amplius, neq; breuius pręscriptum esse: Ab octaua autem Paschæ vsque ad Natiuitatẽ B. Virg. quatuor tantum horarum cum dimidia tempus sufficere.

Sexta hora diebus non festis: nullo Ieiunio adstrictis, toto anni Circulo, non antea pulsetur, quam trium saltem horarum cum dimidia spatium post Primam efluxerit, eo modo, quo in tabella notatur. Toto verò Quadragesimæ tempore, simul cũ prima, & tertia recitetur.

Nona in diebus Ieiuniorum, ante Refectionem simul cum sexta dicatur, excepto Quadragesimali tempore, quãdo sexta simul cum Prima, & tertia persolui debet, vt dictum fuit. Quod si Ieiunio non vacetur, à Paschate vsque ad Natiuitatem B. Virg. ad meridiem vsque persoluenda protrahatur: A Natiuitate verò B. Virg. per reliquum anni tempus ante prandium immediatè recitetur.

Vesperæ prætẽrquam in Quadragesima, quo tempore ex Ecclesiæ præscripto ante meridiem (exceptis Dominicis diebus) decantari debent, duarum semper horarum spacio à meridie distent.

Completorium tandem cunctis anni temporibus, prætẽrquam in Quadragesima, post vesperas circiter dua-

Digitized by Google

duarum horarum cum dimidia ſpacio interiecto dicatur. In Quadrageſima verò, quoniam ſæpè accidit tempora mutari, horarum tabula obſeruetur. Id interim admonentes, non adeo nos hæc horarum tempora ad punctum coarctare, quin per aliquam horæ particulam iuxta temporum, ac officiorum rationem, vel contrahi, vel dilatari poſſint. Nam ſi vel horæ B. Virg. vel officium Defunctorum, vel Pſalmi Pœnitentiales, aut Graduales in Choro addendi ſint, quum erit, vno ſaltem horæ quadrante officij tempus accelerari, tum alijs exigentibus cauſis retardari: quod ſuperiorum prudentiæ præſertim iudicandum relinquimus.

Porrò vt certa, ac ſtatuta cuiuslibet horæ ſpacia omnibus perſpecta ſint, in quibus diuina officia celebrari debent, ad commodiorem totius noſtræ congregationis vſum, paruam hic tabellam maxima diligentia, ac ſtudio compactam inſerendam curauimus: in qua quo tempore diuina officia, quolibet anni tempore perſoluenda ſint, ijs exceptis, quæ de prima, & ſexta in diebus Dominicis, & feſtiuis declarata ſunt, facilè quiſque intueri queat; Et quoniam omnibus Prouincijs ijs maximè, quæ tranſmontes ſunt, idem non eſt horarum vſus, ac diſtinctio, duplicem tabellam confecimus. Alteram Italiæ, alteram Galliæ horarum vſui accommodatam.

Tabula

Tabula Horarum iuxta vſum Italiæ in quibus per totum anni circuitum diuina officia ſunt celebranda.

Menſes.	Dies menſis. Hora cõſtat ex 60. min.	Ortus Solis.	Matutina. Ho. med.	Cellarũ pulſatio Ho. med.	Sexta Ho. med.	Meridies. Ho. Min.	Veſperæ. Ho. med.	Completorium. Ho. med.
Ianuarius.	1	15. 22.	7. med.	13.	18.	19. 41.	21.	23.
	15	15. 3.	7. med.	13.	18.	19. 31.	21.	23.
Febr. ante Quad.	1	14. 25.	7.	12. med.	17. med.	19. 13.	20. med.	23.
	15	13. 46.	7.	12. med.	17. med.	18. 55.	20. med.	23.
Febr. in Quadr.	1	14. 25.	7.	12. med.	17. med.	19. 13.		23.
	15	13. 46.	7.	12. med.	17. med.	18. 53.		23.
Martius.	1	13. 3.	6.	11. med.	17.	18. 31.		22. med.
	15	12. 19.	6.	11. med.	16. med.	18. 9.		22. med.
Apr. tẽpore Quad.	1	11. 25.	5. med.	11.	16.	17. 42.		22.
	15	10. 41.	5. med.	11.	16.	17. 21.		22.
Apr. poſt Quadr.	1	11. 25.	5. med.	10.	14.	17. 42.	19. med.	21. med.
	15	10. 41.	5. med.	10.	14.	17. 21.	19. med.	21. med.
Maius.	1	9. 57.	5.	9. med.	13. med.	16. 58.	19.	21.
	15	9. 21.	5.	9. med.	13. med.	16. 41.	19.	21.
Iunius.	1	8. 49.	5.	9. med.	13.	16. 25.	18. med.	21.
	15	8. 36.	5.	9. med.	13.	16. 18.	18. med.	21.
Iulius.	1	8. 37.	5.	9. med.	13.	16. 18.	18. med.	21.
	15	8. 52.	5.	9. med.	13.	16. 26.	18. med.	21.
Auguſt.	1	9. 25.	5. med.	10.	13. med.	16. 42.	18. med.	21.
	15	10. 2.	5. med.	10.	13. med.	17. 1.	19.	21. med.
Septemb.	8	11. 12.	6.	11. med.	14. med.	17. 36.	19.	21. med.
	24	12. 30.	6.	11. med.	14. med.	18. 1.	19.	21. med.
Octobet.	4	12. 32.	6. med.	11. med.	15.	18. 16.	20.	22. med.
	15	13. 6.	6. med.	11. med.	15.	18. 33.	20.	22. med.
Nouẽber	1	13. 57.	7.	12. med.	17.	18. 58.	20. med.	23.
	15	14. 35.	7.	12. med.	17.	19. 18.	20. med.	23.
Decẽber.	1	15. 8.	7. med.	13.	18.	19. 34.	21.	23.
	25	15. 26.	7. med.	13.		19. 42.	21.	23.

Tabel-

Digitized by Google

Tabella Horarum iuxta vſum Tranſalpinorum in quibus per totum anni circulum diuina officia ſunt celebranda.

Menſes.	Dies menſis.	Ortus Solis. Ho. min	Matutina. Hora. Ho. med.	Cellarũ pulſatio Ho. med.	Sexta Ho. med.	Meridies. Ho. Min.	Veſperæ Ho. me a.	Completorium. Ho. med.
Ianuarius.	1		12.	5. med.	10.	12.	1. med.	3. med.
	15			5. med.	10.		1. med.	3. med.
Febr. ante Quad.	1		12.	5. med.	10.	12.	1. med.	4.
	15			5. med.	10.		1. med.	4.
Febr. in Quadr.	1		12.	5. med.	10. med.	12.		4.
	15			5. med.	10. med.			4.
Martius.	1		12.	5. med.	10. med.	12.		4.
	15			5. med.	10. med.			4.
Aprilis. in Quad.	1		12.	5. med.	10. med.	12.		4. med.
	15			5. med.	10. med.			4. med.
Apr. poſt Quadr.	1		12.	4. med.	8. med.	12.	2.	4. med.
	15			4. med.	8. med.		2.	4. med.
Maius.	1		12.	4. med.	8. med.	12.	2.	4. med.
	15			4. med.	8. med.		2.	4. med.
Iunius.	1		12.	4. med.	8. med.	12.	2.	4. med.
	15			4. med.	8. med.		2.	4. med.
Iulius.	1		12.	4. med.	8. med.	12.	2.	4. med.
	15			4. med.	8. med.		2.	4. med.
Auguſt.	1		12.	4. med.	8. med.	12.	2.	4. med.
	15			4. med.	8. med.		2.	4. med.
Septemb.	8		12.	5. med.	9. med.	12.	1. med.	4.
	24			5. med.	9. med.		1. med.	4.
Octobor.	4		12.	5. med.	9. med.	12.	1. med.	4.
	15			5. med.	9. med.		1. med.	4.
Nouẽber	1		12.	5. med.	9. med.	12.	1. med	3. med.
	15			5. med.	9. med.		1. med.	3. med.
Decẽber.	1		12.	5. med.	9. med.	12.	1. med.	3. med.
	25			5. med.	9. med.		1. med.	3. med.

DE

Digitized by Google

DE VARIIS SIGNIS CAMPANAE dandis, tam diebus ferialibus, quàm festiuis.

CAP. II.

CAmpanarum signa, quibus Dei Populus ad sacram Mysteriorum participationem vocatur, & ad Diuinas laudes celebrandas, tam nocturno, quàm diurno tempore excitatur; non tam piæ, & antiquæ consuetudinis, quam diuinæ auctoritatis vsum sibi vendicant: nam [a] (vt docet Rupertus) olim quidem tubæ fusiles Deo iubente fabrefactæ fuerunt, vt suo clangore ad Iubileum Iudeum Populum vocarent. His verò nunc Campanæ, forma quidem diuersæ, significatione tamen ab his non seiunctæ, successerunt, quę Christianum Populum, & Clerum præsertim ad Ecclesiam propellerent, & diuinis laudibus iubilandum admonerent. Cui adstipulatur [b] Colonienſe Concil. 3. dum his verbis scribit. *Benedicuntur Campanæ, vt sint tubæ militantis Ecclesiæ quibus vocetur Populus ad conueniendum in templum, & audiendum verbum Dei, Clerus verò ad audiendum mane misericordiam Dei, & veritatem eius per noctem.* Hinc de recto Campanarum vsu, ac virtute, hi duo versus feruntur.

[a] Rupert. Abb. de Diuin. off. li. 1. c. 16.

[b] Concil. Colon. 3. p. 9. c. 14.

[c] *Laudo Deum verum, Plebem voco, congrego Clerum,*
Defunctos ploro, pestem fugo, festa decoro. [c] Glossa extra de off. Cust.

Quapropter cum primum Campanæ, vel ad diuina officia, vel ad sacra peragenda vocantis, signum Fratres perceperint: Mox Dei vocem sibi audire videantur, quæ ipsos ad sacrum munus peragendum accersat, cui

Digitized by Google

idcircò confestim obtemperare debent.

Porrò signa Campanæ, quæ pro varia rerum, ac temporum ratione dari debent, hæc sunt.

Primum, quod ad horas pertinet: ad Matutinam horam cum officium sit de Dominica, ac festo duplici tria Campanæ signa pulsentur; quorum primum alijs longius producatur, saltem spacio duorum Miserere; in diebus verò solemnioribus ad tertium vsque miserere protrahatur; in semiduplicibus autem, simplicibus, & diebus ferialibus duo tantum signa dentur.

Prima vnico tantum signo, ad duorum Miserere spacium protrahendo pulsetur.

Tertia ex more nunquam pulsatur, eo quod post Primam semper immediatè dicatur: sexta verò cum fecerit sum à tertia celebratur, duobus tantum signis pulsetur, quemadmodum, & Nona.

Vesperæ in duplicibus, & Dominicis, tribus signis longiusculè protractis pulsentur, præsertim si dies sint festiui. In alijs verò semiduplicibus, simplicibus, ac diebus ferialibus, bis tantummodo Campana pulsetur vnius saltem miserere spacio.

Pro Completorio quolibet anni tempore Campana bis pleno tractu pulsetur, nisi quo die Concionem haberi contigerit: nam tunc immediatè post Concionem semel tantum pulsari debet. Vltimum autem officij signum non Sacristæ, sed superioris tantum arbitrio pulsandum reseruetur: idcirco superioris iussus expectetur, qui ter percusso leuiter digitis scamno, signum edat. Dum verò pro vltimo officij signo Campana pulsatur, ab eo non cesset Minister, donec signum cessandi ab Hebdomadario manuum com-

Digitized by Google

complosione edatur.

Ad Matutinam horam in diebus Dominicis, & Duplicibus, cum inchoatur Hymnus, *Te Deum laudamus*, Campana ad *Sanctus* vsque pulsetur, vel à principio vltimi Responsorij cum *Te Deum*, non dicitur.

A die Natiuitatis B. Virg. vsque ad octauam Paschę, ad *Benedictus*, qualibet nocte dentur tres ictus Campanæ, quibus fratres laici admoneantur, vt ad litanias, & orationem mentalem conueniant. Ab octaua autem Paschę vsque ad Natiuitatem B. Virg. ijdem dentur duntaxat feria secunda, quarta, & sexta, quibus flagellatio ab omnibus iuxta Constitutionum nostrarū prescriptum fieri debet.

A die octaua Paschę vsque ad Natiuitatem B. Virg. in diebus Ieiunij circa finem sextę, trino ictu pulsetur Campana, vt laici fratres ad litanias, & orationem, quę ante refectionem fieri debet, conuocentur: alijs verò diebus, quibus non ieiunatur, si litaniæ, & oratio mentalis nonam sequi debeant, eadem signa dentur tantum circa finem Nonæ: eodem modo, & ad Completorium toto anni tempore dentur, cum dicitur, *Nunc dimittis*, vt laici fratres ad litanias B. Virginis, & orationem mentalem maturè interesse valeant.

Hora mentalis orationis peracta, Sacrista trino ictu Campanę ipsam terminatam esse indicet, atque eodem Campanę signo in mane post Sextam, aut Nonam, aut Vesperas, cum ad refectionem eundum est, officium expletum esse annunciet, vt qui Refectorij, & ciborum curam gerunt, regulę signo respondeant.

Digitized by Google

[a] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 31.

[a] Angelicę salutationis signa, iuxta antiquam Ecclesiæ consuetudinem, ter in die pulsentur. Primo in aurora, vt mos est apud alias Ecclesias communis. Quapropter minimè laudandum est, quod apud nonnullas Prouincias hactenus fieri consueuit: nimirum, vt hiemali tempore statim post Matutinas horas Angelica salutatio pulsetur; cum enim id tempus proprius ad mediam noctem, quam ad auroram accedat, in qua B. Virg. ab Angelo salutata creditur: Ecclesia verò venerandum incarnationis Mysterium velut in aurora peractum colat, nimis festina, ac præpropera ea temporis acceleratio esse videtur. [b] Quamobrem totius Ecclesiæ vestigijs inherentes, Angelicę salutationis signũ non antea dari volumus, hiemali præsertim tempore, quam Cellarum valuæ in mane à Sacrista pulsatæ fuerint, idque circa auroram: toto autem æstiuo tempore post matutinas horas.

[b] Cærem. Cler. Reg. lib. 1. c. 16. Conc. Mediol. 1. dec. de rat. Diuin. off.

[c] Cærem. Cler. Reg. lib. 1. c. 16. Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 31.

[c] Secundum Angelicæ salutationis signum detur in meridie; Tertium in Vespere, hora circiter dimedia post occasum solis, atque eo tempore, quo ab alijs Ecclesijs, ac præsertim à matrice Ecclesia pulsari solet.

Cum verò hæc signa dantur: ter pleno tractu, interpellatè tamen, atque ea mora interposita, Campana pulsetur, in qua ter *Aue Maria*, cum suis versiculis commodè, ac deuotè recitari queat.

[d] Greg. 13. Act. Med. Eccl. p. 1. fo. 421.

[d] Suffragia pro Defunctis, quæ, dimidia post salutationem Angelicam, hora dici debent, tribus Campanæ ictibus, morosè protractis, ac honestis interuallis distinctis pulsentur, ita vt commodè dici possit, *De profundis*, cum oratione, *Fidelium Deus* &c. Vnusquisque verò religiosi cordis affectu tunc

pro

Digitized by Google

pro liberatione animarum, quæ Purgatorijs pœnis detinentur, pias ad Deum preces fundat.

In obitu fratrum noſtrorũ, ſimulatque aliquis expirauerit, detur ſignum Campanæ, vt ſit pro ſalutatione Angelica: quod ſi obitus horis nocturnis contingat, quando omnes quieti vacant, tunc ſignum ad Matutinum, vel ad Cellarum vſque pulſationem differatur.

Cum Aegrotis fratribus miniſtrandum eſt Viaticũ, vel extrema vnctio, omnes ſono Campanæ conciſo, nimirum ictibus conuocentur.

[a] Cum ob imminentem grandinem, aut tempeſtatem Campana ad propulſandos Dęmones, ac tempeſtatem ſedandam, pulſanda eſt: primum detur ſignum ſalutationis Angelicæ, eo modo, quo ſuperius dictum eſt; Tũ verò Campana pulſetur pleno tractu. Qui autem ritus pro ſedandis tempeſtatibus quandiu id neceſſitas poſtulauerit, obſeruandi ſint, in fine 3. libri explicabitur.

[a] Concil. Colon. p. 4. c. 14. Rit. Rom. fo. 189. Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 130.

In omnibus feſtis primę Claſſis, ac etiam B. Virg. quę ſunt ſecundæ Claſſis; nec non in feſtis Sanctorum noſtri Ordinis. [b] Ac præterea cum Oratio quadraginta Horarum in noſtris Eccleſijs ex publica vrbis conſuetudine, aut deuotione exponi debet; pridie illius diei poſt ſalutationem Angelicam, ad ſingularem illius diei ſolemnitatem declarandam, detur ſignum Campana pleno, ac longo tractu pulſata, vt eo ſinguli admoneantur celebriorem diem imminere, quo maiori ſtudio, ac diligentia diuinis rebus vacandum ſit.

[b] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 87. Cær. Cler. Reg. lib. 1. c. 16.

Supereſt, vt de ſignis Campanæ, quę in Miſſarum celebratione adhibenda ſunt, poſtremo loco agamus. Id in primis perpetuum ſit, quod hactenus apud nos obſeruatum fuit; vt in Miſſa Conuentuali, cum officium ſit de feſto duplici, aut Dominica ter pulſetur Campana debita temporis interpellatione ſeruata: ita vt primum

Digitized by Google

mum signum detur circa medium primæ pleno, ac longiori tractu: secundum circa medium tertiæ, cum dicenda est sexta, alioquin statim post lectum Martyrologiũ, pleno quidem tractu, sed duodecim, aut quindecim in fine Campanæ tintinnis adiunctis. Tertium verò signũ circa medium sextæ, vel tertię (si sexta non dicitur) solis viginti, vel circiter Campanę tintinnis pulsetur.

Cum autem officium sit de semiduplici, simplici, aut de feria, duo tantum signa pro Missa Conuentuali dari debent: prius quidem ad Primam (vt dictum fuit) pleno tractu cum ictibus. Alterum ad Tertiam solis ictibus.

Idem quoque ritus obseruari debet in Missis priuatis: vt scilicet duo tantum signa dentur, prętерquam in maioribus Domibus, in quibus multi Sacerdotes celebrant: in his enim, quę in maiori Altari celebrantur vnico tantum signo indicantur pleno quidem tractu, sed breui, tot ictibus adiunctis quota erit Missa, quæ immediatè in illo Altari celebranda erit, si tertia tribus, quatuor, si quarta, hoc autem signum à Ministro in Altari deseruienti fieri debet dicto Sanctus à celebrante, vt Sacerdos immediatè post illum celebraturus, maturus Sacristiam petat, nullaque inter vnius Missę finem, alteriusque principium mora intercedat, reliquis nullo omnino Campanę signo ad sacella dispertitis.

In festis duplicibus primę Classis, in feria quinta maris Hebdomadæ, [c] & in Sabbato sancto, cum profertur *Gloria in Excelsis*, in Missa Conuentuali Campana pleno tractu pulsetur, vsque ad finem Gloriæ. Idem quoque ad *Sanctus*, & ad vtranque eleuationem Hostię, & Calicis (prętерquam in die Iouis sancti) obseruetur. In alijs verò duplicibus, semiduplicibus, ac ferijs ad sãctus duntaxat, & ad vtranque eleuationem dentur tintinni-

[c] Rit. Miss.

Tem-

Digitized by Google

Tempore Quadrageſimę, cum horę Veſpertinę ante meridiem celebrantur; bis dum Nona canitur, pro altera Miſſa, quę veſperas præcedere debet, ſicut in Miſſa priuata Campana pulſetur; priori ſigno partim continuo, partim ictibus conciſo, poſteriori verò toto cõciſo.

[a] Præter hęc ſi aliquando contingat Clerum, aut Religioſorum familiam proceſſionaliter ad Eccleſias noſtras aduentare, aut publicam proceſſionem ante Eccleſiæ fores tranſire: [b] aut Cardinalem Legatum à Latere interdum ad Eccleſiam noſtram accedere, toties Campana pleno tractu longiuſculè protracto pulſetur.

[a] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 14.

[b] Cærem. Epiſc. lib. 1. c. 15.

[c] Cum defuncti corpus in Eccleſiam defertur, Cum exequiæ circa Corpus complentur, Campana longo tractu pulſetur. Poſt electionem Generalis, aut Prouincialis Miniſtri in Capitulo tantum, dum proceſſio fit, Idem quoque ſeruetur.

[c] Rit. Rom.

DE RITV, AC TONO VOCIS, QVO APVD nos diuina officia ſunt celebranda.

CAP. III.

CVm Sancti Patris noſtri Franciſci mens clariſſimis verbis in Regula explicata, ea fuerit, vt minores fratres iuxta ritum S. Romanæ Eccleſiæ diuina officia celebrarent, nec vllo modo, aut ratione variarent: facile quispiam dubitare poſſet, an nos, qui apertè in cantandi modo, ac vocis tono à Romanæ Eccleſię præſcripto recedimus, Regulę transgreſſores iure nuncupemur.

At quamquam ad omnem huius rei dubitationem tollendam illud ſatis eſſe deberet, ita à Congregationis noſtrę exordio à Maioribus ſumma pietate inſtitutum,

Digitized by Google

ac deinde per temporum ætates, tot subsequentium Patrum, qui eximia vitæ sanctimonia, ac totius regulę obseruantia nobis pręluxerunt, calculis probatum, ac cõfirmatum fuisse; quorum nos vestigia tuto sequi, & possumus, & debemus. Attamen, vt omnis semel erroris, aut inobseruantię suspicio ab animo propellatur; duplex ratio perpendenda est, Prima eam fuisse B.P. Francisci mentem verbis ipsis expresam: vt diuinum officium iuxta ritum, quem tenet sancta Romana Ecclesia, quo ad ea, quę illi substantialia sunt, à nobis celebrari debeat: ita vt tota Franciscana religio alterum officij genus, aut Ambrosianum, aut Monasticum, siue alterius generis, præter illud, quod Romana colit Ecclesia, absque Regulę præiudicio amplecti nõ possit. Sic enim in regula legitur. *Fratres faciant officium secundum ordinem S.R. Ecclesiæ*. Ordinis autem vox siue ordinatam officij seriem, siuè Ecclesiæ præscriptum significet, id tantum indicat officij substantiam, in qua ordo essentialis spectatur, à nobis nullo pacto variari debere: quod posterioribus verbis clarius aperit, cum psalterium excipit, quod ad officij substantiam pertinet; quo fit, vt nullum preuaricatę regulę crimen incurratur, cum in cantu, qui ad accidentalem tantummodo diuini officij ordinem spectat, quique pręter substantialis ordinis corruptionem adesse, & abesse potest, à Rom. Eccl. discrepamus quę communis est omnium ferè Patrum ordinis expõsitio.

Clem. V. ar. a. Hier. à Pol. in c. 3. reg.

Altera quoque ratio est: Cantus nostri rationem iam pridem Rom. Eccl. esse perspectam; atque ordinis nostri Constitutiones, in quibus huiusmodi cantus prescribitur, à Romano Pont. approbatas fuisse: ex quo id necessario colligimus, nostrum canendi ritum à Rom. Eccl. probari. Cum verò Sanctus Franciscus Regulam

a Reg. c. 1.

nostram

Digitized by Google

noſtram plenè Rom. Pont. ſubiectam eſſe voluerit; nulla in eo cãtu regulę transgreſsio eſſe poteſt, vbi ipſius vſus Romanę Eccleſię auctoritate, velut legitimus, ac Regulæ conſentaneus probatur: quo fit vt ſi ordo pręſcriptam regulam significet; noſter canendi ritus ſecundum ordinem ſanctę Rom. Eccl. dici debeat, quando ex illius auctoritate fluit.

Cęterum humilis, ac flebilis cantus, humilem in primis Religionis noſtrę ſtatum, pœnitentia plenum eſſe docet: tum vnum quemque ſic officij, ac vocationis admonet. [b] Vt potè quem propria, ac aliena peccata potius deflere, quam lętos concentus expromere deceat.

[b] Hieron. adu. vigilant. c. 6.

Quamobrem hunc cantum, qui ab omni luxu, ac mollitie, vocis variatione, ac modulatione abhorret, iam ab ipſo noſtrę Congregationis ortu receptum, in ea perpetuo vſu excoli, nec vlla vnquam ratione mutari decernimus.

In eo ęqualis, & vniſonus ſemper tonus ſine vlla inflexione, aut vocis variatione ſeruari debet: Hebdomadarius quoque in inchoando officio, non nimis alto, nec nimium depreſſo, ſed mediocri vocis tono vtatur: Cantus verò ſit grauis, & lentus, non leuis, aut pręcipitatus, qui audientium deuotionem excitet, & eleuatam in Deum mentem iuuet, non perturbet. [c] Sic enim in Concilio Treuirenſe ſtatutum his verbis legitur. *Statuimus proindè, vt laudes diuinæ per ſingulas horas non curſim, aut feſtinanter, ſed tractim ſeruatis interuallis decentibus, ratione dierum feſtorum, ac pro feſtis & intermedijs ſecernendorum habita reuerenter, ac alacriter abſoluantur: nequaquam ſublato in altum clamore, ne vel inſanire, vel animi laſciuia geſtire potius videatur, quàm feruore ſpiritus exultare.* Quod etiam confirmat ſexta Synodus Gene-

[c] Concil. Treuiren.

Sexta Syn. can. 75.

Digitized by Google

Generalis. In medio verficulorum debita ſemper inter-ualla adhibeantur; nullus verò, nec in medio, nec in fine verſus, longius vocem producat.

At quoniam inter pſallendum varius Prouinciarum noſtrarum vſus animaduertitur; ſunt enim qui aliquas verſiculorum ſillabas longius, alij breuius producant. Alij vocis tonum in principio officij deprimant, vt paulo altius extollant, alij quoque, qui ea verba, *Domine, labia mea* &c. & *Deus in adiutorium*, & quæ ſequuntur vſque ad Hymnum, vel Antiphonam, in qualibet hora ita longè producant, vt ſingulis verbis ſingula interualla apponant. Denique tam varius, ac ſingularis in ſingulis Prouincijs Pſalmodię vſus perſpicitur, vt vnaquęque Prouincia ſuum pſallendi vſum à Cęteris diuerſum ſibi vendicaſſe videatur. Idcirco, vt huiuſmodi deformitas, quę rectum religionis Ordinem perturbat, omnino prę-cidatur, & pſalmodia ad perfectam vniformitatem ſemel aliquando cogatur, nonnulla hic obſeruanda collegimus, quę faciliorem ad cantus noſtri vniformitatem viam ſternent.

In primis quod ad vocis tonum ſpectat, idem tonus, quo ſemel officium inchoatum fuit, prorſus tam in principio, quàm in fine officij retineatur, niſi fortè ob illius declinationem interdum eleuandus eſſet, quod non ab alio pręterquam à ſuperiore, vel Hebdomadario fieri debet: eadem quoque vocis ęqualitas abſque vlla vocis variatione, aut biſcantu, (vt dici ſolet,) tam à Choro, dum Pſalmi canuntur, quàm ab Hebdomadario, cum orationes recitat, quam etiam à celebrante, cum Miſſam legit, omnino ſeruetur.

Omnis autem in cantu diſſolutio, quę fit per vocem, vel in falſetum adulteratam, vel in contrapuncta muliebriter confractam, quę ex S. Bonauenturę ſententia

S. Bonau. in ſpec. c. 9.

nobis

nobis maximè indecentissima est, omnino à nostra Psalmodia expellatur, quam grauitas potius, puritas, ac strenuitas comitari debent, vt præclarè docet Bernardus his verbis. *Vnde vos moneo dilectissimi, purè semper ac strenuè diuinis interesse laudibus. Strenuè quidem, vt sicut reuerenter, ita & alacriter Domino assistatis: non pigri, non somnolenti, non oscitantes, non parcentes vocibus, non præcidentes verba dimidia, non integra transilientes; non fractis, & remissis vocibus muliebre quoddam Balba de nare sonantes: sed virili, (vt dignum est) & sonitu, & affectu voces S. Spiritus depromentes. Purè verò, vt nihil aliud dum psallitis, quam quod psallitis, cogitetis.* S. Bernard. serm. 47. sup. Cant.

Ad Matutinum: *Domine labia mea* &c. *Deus in adiutorium*, in cæteris horis ad Completorium: *Conuerte nos* &c. & *Deus in adiutorium*, non festinanter; sed grauiter: morosè, non tamen spacijs interiectis; sed continuo vocis ductu ab Hebdomadario intonentur. Cui eodem quoque vocis tono grauitate, tarditate, ac continuatione Chorus respondeat.

Hymni cum canuntur, in fine cuiuslibet versus parua quædam morula seruetur, quæ versum à versu secernat: nec tamen tanquam saltillando versus canant; quasi qui metrum scandere velint, sed vniformiter in cantu procedant.

Inter psalmorum versus, quidam breues, alij longiores se offerunt; in his ea ratio habenda est, vt qui prolixiores sunt, duobus interuallis secentur, in quibus Chorus morula interposita quiescat: in alijs verò vnum tantum interuallum seruetur. Id verò in psalmodia cauendum est, ne aliquæ verborum syllabæ breuius, aliæ longius protrahantur, quæ inæqualem cantum efficiant; sed æqualem prorsus verborum, & syllabarum quantitatem

Digitized by Google

tatem seruantes, omnes cantus vniformitatem custodiant.

Sunt, qui tam in principio versus, quam post mediũ interuallum, plerasque syllabas longius cęteris producant; & quamuis à ratione minimè dissentaneum sit, aliquam ex Prioribus versus syllabis, quę suapte natura producuntur, tam in principio, quam post medium versus interuallum longiusculè protrahi, vt grauitas quędam cantui comparetur; post medium tamen versus interuallum, plures syllabas longius produci non probamus; cum nulla id ratio persuadeat: idcirco præterquam in initio, tam versus, quàm interualli, vbique eadem syllabarum quantitas seruetur, id enim cantus æqualitas, ac vniformitas, quę semper maximè commendata fuit, indubiè postulat.

Hęc verò vt clarius omnibus perspecta fiant, tabellam hic apponendam curauimus, in qua nonnullos Psalmorum, & Hymnorum versus iuxta rudioris Musicæ leges, quæ in Ecclesia ferè omnibus notę esse solent, adnotauimus, vt ad horum regulam, & mensuram quisque in cęteris psalmorum, ac Hymnorum versibus vocem studeat componere, ac omnem deformitatem vitare.

Iterum lectores admoneo, notas nigras idcirco apponi, vt cantus tarditatem indicent, quæ caudam ad tertiam vsque lineam extendunt longiorem vocis tonum insinuant, quæ vsque ad secundum tantum, breuiorem; longiorem tamen his, quæ caudatæ non sunt.

De-

Digitized by Google



Domine labia mea aperies. Et os meum annunciabit &c.



Deus in adiutorium meum intende. Domine ad adiuuandum &c.



Gloria Patri,& Filio. Et Spiritui ſancto.



Sicut erat in principio,& nunc,&c. Et in ſecula ſeculorum Amen.



Dixit Dominus Domino meo. Sede à dextris meis.

Digitized by Google



Magnificat Anima mea Dominum.



Cum inuocarem exaudit me Deus iuſtitiæ meæ.

In tribulatione dilataſti mihi.



Veni creator ſpiritus Mentes tuorum viſita.



Imple ſuperna gratia Quæ tu creaſti pectora.

Digitized by Google

DE RITV DIVINORVM OFFICIORVM *in diebus ferialibus, semiduplicibus, duplicibus, & Dominicis seruando.*

CAP. VI.

INcomprehensibilis Dei Opt. Max. natura quandoquidem propter inexhaustos diuinarum perfectionum fontes, qui ab ipsa fluunt, varias, ac infinitas in se ipso rationes complectitur, quibus se ipsum laudandum præbet; idcirco, si minus infinito, ob humanæ naturæ imbecillitatem, quæ suis terminis contenta est, vario saltem, ac multiplici laudum cultu summo iure ab hominibus prosequenda est. Atque hinc multiplex illa diuinorum officiorum distinctio orta est, quam Catholica Ecclesia, supremæ Dei dignitatis non ignara, piè, ac sapienter ad Deum laudandum instituit. Dum quędam duplicia, quædam semiduplicia, alia simplicia, alia ferialia officia, iuxta varia quoque sanctorum, vel sacrorum dierum dignitatem, esse voluit; Rursus inter duplicia, quædam maioris dignitatis, vt quæ inter primæ Classis festa adnumerari solent, quædam minoris, veluti, quæ in secunda Classe reponuntur, alia tandem communis, quę semiduplicibus, ac simplicibus tantum dignitate præeminent; Denique ex his, quædam ferialia sunt, quædam festiua.

In his, quoniam diuersi ritus adhiberi solent, quos ignorare non decet, paulisper sistendum est.

Officium festi simplicis, & feriæ (vt ab his exordiar.) etsi circa officij rationem nonnihil inter se dissentiant, vt ex rubricis perspicuum est: in his tamen, quæ ad ritus

tus ſpectant, ferè in omnibus inter ſe conueniant? In ipſis enim primus tantum Acolythus, iuxtà ea, quæ hactenus dicta ſunt, recitat Inuitatoria, verſus, Reſponſoria: Præter hęc in officio B. Virg. pronunciat Inuitatorium, lectiones, & antiphonas ad *Magnificat*, *Benedictus*, & *Nunc dimittis*. Pro Miſſa Conuentuali bis tantummodo Campana pulſatur, vt ſuperius explicatum fuit lib. 1. c. In Altari duo duntaxat candelę accenduntur, ad eleuationem quoque Hoſtię vnum tantum intortitium adhibetur; In eo tamen diſcrepant, quod Miſſæ, & Paramentorum colores in vtroque ſunt diuerſi, vt ex rubricis Miſſalis præclarè conſtat, & preces in quibuſdam ferijs flexis genibus dicuntur. Ru. Miſſ.

Ab his officium ſemiduplex, præter ea, quæ in rubricis adnotantur, in eo quoad ritum differt, quod in ſemiduplici Inuitatorium, & verſus, necnon litaniæ B. Virg. ab vtroque Acolytho coniunctim ante legile recitantur, vt in primo libro dictum fuit, Quod etiam obſeruatur in officio duplici, & in Dominica: Id tamen diſcriminis inter hæc tria officia, quoad ritus, intercedit, quod in Dominicis, ac in feſtis duplicibus, anteveſperas, & matutinas horas ter pulſatur Campana: eadem quoque datur ſignum, ad Hymnum *Te Deum*. Ad veſperas candelæ in Altari accenduntur; ſicutetiam in Matutinis horis, ſi duplex primæ, aut ſecundæ Claſſis, aut dies feſtiuus fuerit, vt alias explicabitur, Miſſa verò Conuentualis trino Campanæ ſigno indicatur, in qua quatuor, vel ſex candelæ Altari adhibentur, iuxta maiorem, vel minorem duplicis, vel Dominicę dignitatem. Ad eleuationem Hoſtię duo intortitia accenduntur,

Digitized by Google

duntur, quæ in semiduplicibus ob minorem officij dignitatem non seruantur.

Dominica verò dies, præter enarratos ritus, quos cũ duplici, & semiduplici officio communes habet, alios quoque certos ritus addit, Primum, quod in ea semper fit benedictio, & aspersio aquę ante Missam Conuentualem, Præterea in Missa Conuentuali pax datur, fratrum communio fit, ac minores hostię in Pixide asseruandę à celebrante mutantur.

DE RITIBVS DVPLICIVM PRIMAE, & secundæ Classis.

CAP. V.

POrrò hęc, quę de ritibus in officio duplici seruandis hactenus dicta sunt, ad ea potissimum duplicia referri debent, quæ communia noto nomine appellantur.

Reliquum est, vt de festis duplicibus maioribus agamus, & quis in his celebrandis modis seruandus sit, explicemus.

Festa duplicia primæ Classis, hæc in rubricis Breuiarij recensentur. Rub. breu.

Natiuitas Domini nostri Iesu Christi.
Epiphania Domini.
Pascha Resurrectionis, cum duobus sequentibus diebus.
Ascensio Domini.
Tres dies Pentecostes.

Digitized by Google

Festum Corporis Christi.
Assumptio B. Virg.
Nativitas S. Ioannis Baptistę.
Festum Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli.
Festum omnium Sanctorum.
Patronus, vel tit. Ecclesiæ.
Dedicatio proprię Ecclesię.
Quibus ob singularem erga B. Virg. Dei matrem deuotionem, ac debitam reuerentiam, quam filij Patri, ac institutori exhibere debent, adiungimus.
Festum Conceptionis B. Virg.
Festum B. P. N. Francisci.

a Ru. breu. a *Festa verò duplicia secundæ Classis, hæc à rubrica enumerantur.*

Circumcisio Domini.
Festum Sanctissimæ Trinitatis.
Purificatio.
Annunciatio. } B.M.V.
Nativitas.
Natalitia duodecim Apostolorum.
Festa Euangelistarum.
Inuentio Sanctæ Crucis.
Festum S. Laurentij.
Dedicatio S. Michaelis Archang.

b Ru. Ord. b *His ex deuotione, & concessione summorum Pontificum alia nonnulla adnectimus, videlicet.*

Festum Nominis Iesu.
Festum quinque Mart. Ordinis Minorum.

San-

Digitized by Google

Sancti Bernardini.
Sancti Antonij de Padua.
Sancti Bonauenturæ.
Festum Portiunculæ.
Festum Stigmatum S.P.Francisci.
Sanctę Clarę.
Sancti Ludouici Conf.& Pont.
Sanctorum septem Mart.Ordinis nostri.
Sancti Didaci.

In his omnibus, pręter enarratos ritus, qui in alijs duplicibus adhiberi solent, hi quoque seruari debent.

1 In peruigilio cuiuslibet, post salutationem Angelicam ad solemnitatem significandam, [c] signum Campana pulsari debet.

[c] Act.Eccl. Med. p.1. fo.87.

2 [d] Diuinum officium diebus hisce solemnioribus, sicut etiam in festiuis morosius, ac tardiori prolatione à Choro, atque eodem modo Conuentualis Missa à celebrante est recitanda.

[d] Cærem. Cler. Reg. li.2.c.21.

3 In omnibus festis primę Classis, tam ad Vesperas, & Matutinas horas, quàm ad Missam Conuentualem [e] sex candelę in Altari accendantur: Ad Completorium quatuor. Ad reliquas horas duæ. Posterioribus autem secundæ Classis quatuor tantummodo Candelæ in Vesperis, Matutinis, ac Missa Conuentuali adhibeantur; Ad Completorium duæ, in cæteris horis nullæ.

[e] Cærem. Cler. Reg. li.2.c.20.

4 In festis Primæ Classis, ad *Gloria in Excelsis*, [f] in Missa Conuentuali, ad *Sanctus*, & eleuationem Hostiæ, & Calicis, Campana pleno tractu pulsetur: in alijs verò, ad *Sanctus*, & vtranque eleuationem, tantum (vt mos est) tintinni dentur.

[f] Act.Eccl. Med. p.1. fo.66.

Digitized by Google

5 Tam in festis primæ, quam secundæ Classis Pax in Missa detur, & thus in Altaris sacrificio adhibeatur.

6 In septem prioribus festis primæ Classis, quæ superius adnotata sunt, nec non in festis S.P.N. Francisci [a] nulla fiat ad Completorium commemoratio Stigmatum S.Francisci, nec suffragia pro viuis, & Defunctis in Choro dicantur.

[a] Ru. gen. Breu.

[b] Denique in omnibus festis primæ Classis thimiamateria confici debent, vel ex aqua rosacea aromatibus permixta, vel ex storace, aut alio puluere pigmentarico, & ad Vesperas, & Matutinum potissimum accendi, Altaria quoque, præsertim maius, in quo Sanctissimæ Eucharistiæ asseruatur Sacramentum, decentius solito iuxta nostri instituti rationem ornari debent.

[b] Cærem. Cler. Reg.

DE NONNVLLIS ALIIS *circa diuinorum officiorum celebrationem obseruandis.*

CAP. VI.

PLeraque tam ad diuinorum officiorum rationem, quàm ad rituum religionem spectantia, nobis se se passim obseruanda offerunt: de quorum nonnullis cum in rubricis Breuiarij mentio non fiat, neque hactenus à nobis explicata fuerint; hic in vnum congerere necessarium duximus.

[c] Inter hæc primum est, quod in Hymno Completorij feria sexta, vbi in Vesperis facta est commemoratio B. Virg. pro officio Sabbati, seu Conceptio-

[c] Rub. spe. Breu.

nis

nis sequenti, in fine dici debet: *Gloria tibi Domine, qui natus es de Virgine*, tametsi festum illius diei fuerit duplex, aut semiduplex, dummodo ex illis non fuerit, in quibus specialis alius versus sit dicendus.

2 In semiduplicibus, simplicibus, ac ferijs, cum inchoantur Antiphonæ psalmorum ab Acolythis; si ex ipso psalmi initio depromantur. Chorus omisso initio, psalmum prosequatur.

3 In officio Defunctorum & triduo maioris Hebdomadę non dicuntur absolutiones, neque dantur benedictiones: sed immediatè dicto: *Pater noster* secreto, omnibus sedentibus, lectores lectiones legant.

4 Cum Litanię dicuntur sede vacante, omittatur ℣. *Oremus pro Pontifice nostro N.* atque eodem modo ad orationes, quę dicuntur post preces, vel omnino omittatur. Oratio *Omnipotens sempiterne Deus miserere Pontifici nostro N.* vel eius loco addatur Oratio. *Supplici te Domine humilitate deposcimus*, quæ habetur in Missali Romano, in Missa pro eligendo summo Pontifice.

5 Ad versus, qui dicuntur ad preces, nunquam addatur. Alleluia. Cum verò pro gratiarum actione, & causa lætitiæ tempore paschali proferuntur, ad quemlibet versum exceptis versibus: *Domine exaudi orationem meam* &c. & *Dominus vobiscum* &c. Alleluia, addi debet.

6 Orationes semper in officio ab Hebdomadario stante dicantur, quod si plures orationes dicendę sint, prima tantum, & vltima concludantur, præterquam in officio Defunctorum, in quo vltima tantum concluditur.

Digitized by Google

7 In conclusionibus orationum, ea obseruentur, quę
a Rub. gen. Breu. à rubricis Breuiarij præscribuntur, nimirum. a si ad Patrem dirigatur oratio, concludatur. *Per Dominum nostrum* &c. siue *per Christum Dominum*. si ad filium, *Qui viuis, & regnas* &c. si in principio orationis fiat mentio filij, *Per eundem*; si in fine, *qui tecum* &c. si verò fiat mentio Spiritus sancti concludatur, *in vnitate eiusdem Spiritus sancti* &c.

b Rub. breu. 8 b Si orationem præcedat antiphona, ante ipsam Hebdomadarius semper dicat *Oremus*. Quod si plures orationes simul sint dicendæ; vnum ante primam Orationem oremus sufficiat.

c Rub. gen. Breu. c Patroni, vel titularis Ecclesiæ semper commemoratio fiat in Vesperis, ac Matutinis horis, quoties sanctorum suffragia recitantur, ac propria cuique dignitas seruetur: ita vt si Christo, vel Sanctissimæ Trinitati Ecclesia dedicata sit, illius commemoratio B. Virg. suffragium præcedat: si B. Virg. aut Archangelo; ea Apostolorum commemorationi sit prior: si verò alteri Sanctorum; ipsius Patroni commemoratio Apostolorum suffragio cedat, ac reliquis quibuscunque præferatur. Porrò antiphona, & versus ex illius officio, cuius fit commemoratio desumantur. In Vesperis quidem antiphona ad *Magnificat*, In laudibus verò, quę ad *Benedictus*, cũ versu, qui post Hymnum habetur, regulariter sumatur. In oratione verò vbi habetur, *solemnitatem*, vel *natalitia* dicatur, *cuius commemorationem* &c. si Patronus fuerit S. Ioannes Bapt. Oratio sumatur di Vigilia, *Præsta quæsumus*. Si Sanctus Stephanus, quę in eius octaua: *Omnipotens sempiterne Deus*, si B. Virg. quemcunque titulum præferat, nulla alia, præter communem, *Concede nos famulos* &c.

10 In commemoratione B. P. N. Francisci antiquus ritus.

Digitized by Google

ritus seruetur, vt in Vesperis dicatur, *Salue sancte Pater* &c. & in Matutino *Sancte Francisce propera*, & vtrobique. ℣. *Ora pro nobis* &c.

11 Absolutiones ante lectiones dici debent ab Hebdomadario. At in officio nouem lectionum cum Hebdomadarius tertij Nocturni lectiones legit, sacerdos qui eum proximè sequitur, absolutionem pronunciet.

12 Cum absolutiones ad lectiones dicuntur; tam Hebdomadarius, quàm reliqui omnes, qui sunt in Choro, stent detecto capite; donec benedictione absoluta, à Choro responsum fuerit, *Amen*.

13 Dum textus Euangelij legitur, omnes stent iunctis manibus, ac detecto capite, donec dicatur, *& reliqua* &c. tunc omnes sedeant: nec vllus, dum lectiones leguntur, in Choro strepitus fiat. Cær. epis. l. 1. c. 5.

DE RITV QVO CELEBRARI DEBENT quædam officia propria nostri Ordinis.

CAP. VII.

SAcra Franciscana Religio veræ pietatis alumna, ac synceræ deuotionis æmulatrix, pleraque festa, ex Summorum Pontificum concessione, pia, ac singulari quadam religione colit, quorum alia sub ritu duplicium maiorum, alia minorum, alia semiduplicium celebrat; Cui & nos vltrò libentissimè nostros calculos deferimus: quippè quos minimè deceat prioribus Patribus, aut cultu impares, aut ab ijs pietate esse degeneres.

Quamobrem, quæ hactenus, iuxta proprij Calendarij vsum, sub semiduplicium, aut duplicium ritu à nobis celebrata sunt, ea nobis integra in posterum esse volumus: necnon eo officij ritu, ordine, ac verbis à nostris

Digitized by Google

celebrari, quibus ea in proprijs officijs exarantur: præterea, quæ, vel iuxta noui Missali rubricas reformanda, vel opportunius obseruanda esse iudicauimus, de quibus mox agendum erit.

De officio sanctissimi Sacramenti.

Itaque ab officio Sanctissimi Sacramenti, quod in qualibet feria quinta non impedita à nobis celebratur, rem exordientes: illud totum dicatur prout in ipsa solemnitate iacet, cum omnibus Alleluia. Cum id habeatur expressum in Bulla Pij V. Missa verò, vt notatur in Missa votiua eiusdem apud Missale Romanum.

Bulla Pij V. quæ incipit exposi.

Rubricæ nouę seruentur, nimirum, vt qualibet quinta feria (præterquam tempore aduentus, & Quadragesimæ) quæ non fuerit impedita festo duplici, aut semiduplici, etiam translato, aut die infra octauam, officium fiat de sanctissimo Sacramento, etiamsi in ea vigilia occurrat.

Rub. gen. *Lectiones quoque secundi, & tertij Nocturni iuxta nouas rubricas legantur hoc ordine.*

Mense Ianuario, sermo, & Homilia, vt in die festi.
Mense Februario, sermo Sabbati, & Homilia ferię sextę.
Mensibus Martij, & Aprilis, sermo Dominicæ, & Homilia Sabbati.
Mensibus Maij, & Iunij, sermo, & Homilia feriæ secūdę.
Mensibus Iulij, & Augusti, lectiones secundi Nocturni, & tertij nocturni ferię tertię.
Mensibus Septembris, & Octobris, lectiones secundi, & tertij Nocturni ferię quartę.
Mensibus Nouembris, & Decembris, sermo, & Homilia diei oct.

DE

Digitized by Google

DE OFFICIO, ET MISSA CONCEPTIONIS B. Virg. in Sabbato.

CAP. VIII.

[a] Officium Conceptionis immaculatæ Virginis, iuxta viuę vocis oraculum Pauli V. Pont. Max. in quolibet Sabbato non impedito festo nouem lectionũ, etiam translato, extra Aduentum, & Quadragesimam; celebretur hoc modo: In primis Vesperis omnia dicantur, sicut in primis Vesperis diei festi: seruenturq; nouę rubricę, vt in ijs loco Prioris versus ad Magnificat, sequens recitetur. [a] Rubr. nou. Breu.

[b] ℣. In Conceptione tua virgo immaculata fuisti. [b] Rubr. nou. Breu.

[c] ℟. Ora pro nobis Patrem, cuius filium peperisti, & in oratione loco, *vt sicut*, & *ita nos*, dicatur, *vt qui*, & *nos quoque*. [c] Rubr. nou. Miss.

Ad Matutinum, in primo Nocturno legantur lectiones de scriptura occurrenti, prętquam in sabbathis quatuor temporum, in quibus legantur, sicut in die festi: in secundo autem, & tertio Nocturno, vt infra.

Mensibus Ianuarij, & Februarij, sermo, & Homilia diei festi.

Mensibus Martij, & Aprilis, quæ tertia die habętur.

Mensibus Maij, & Iunij, quæ V. die assignantur.

Mensibus Iulij, & Augusti, & Septembris, quę habentur die septima.

Mensibus Octobris, Nouembris, & Decembris, quæ in die octaua leguntur.

[d] Ad introitum Missę, loco versus Canticorum, *Ostende faciem* &c. legatur Psalmus, *Benedixisti Domine terram tuam, auertisti captiuitatem Iacob*, vel *quam dilecta* &c. vt in nouis Missalibus iam adnotatum habetur. [d] Ru. Miss. nou.

Post

Digitized by Google

e Ru. nou. Miss. e Post septuagesimam, post Graduale dicatur tractus, *Gaude Maria Virgo*, qui habetur in Missis votiuis B. Mariæ à Purificatione vsque ad Pascha, vt notatur in Missali nouo; & tempore paschali, omisso Graduali, addatur versus, *Virga Iesse floruit* &c. qui habetur in Missa votiua eiusdem à Paschate vsque ad Aduentum.

f Rub. nou. Miss. f Ad secreta Missæ, & ad post communionem in Sabbato, vel infra annum ommittantur (hodie) sed dicatur, *mundo immunis apparuit, & qui Mariæ conceptionem* &c. nec verba mutentur.

DE MISSA SANCTISSIMI NOMINIS IESV, & Sancti Gabrielis Archangeli.

CAP. IX.

IN officio Sanctissimi nominis Iesu, quod à Clemente VIII. Pont. Max. approbatum fuit, illud tantum obseruandum est, vt in Missa Graduale, iuxta Pij V. reformationem, ita disponatur, sicut iam in nouis Missalibus dispositum cernitur, g scilicet, vt primum pro Graduali duo illi versus legantur: *Saluos nos fac* &c. *& tu Domine* &c. quos duo, *Alleluia*, sequantur: deinde tertius versus: *Laudem Domini* &c. adiungatur, absque Alleluia: post quem immediatè legatur sequentia: *Lauda Sion Saluatorem* &c.

g Missal. refor.

h Missal. refor. h In festo Archangeli Gabrielis ommittatur sequentia, sed post tractum legatur Euangelium, vt iacet in nouo Missali.

De officio, & Missa Sancti Didaci.

Sancti Didaci officium, iuxta Ordinis rubricas, sub ritu duplicis secundæ Classis cum sua octaua celebretur,

Digitized by Google

rur, eo tamen excepto, quod præter lectiones, & orationem, quę dici debent, prout in proprio officio habentur, totum officium ſumatur de communi Confeſſoris non Pont. Miſſa verò ea dicatur, quę in proprio ipſius feſto adnotatur.

DE OFFICIO, AC MISSA IN FESTIS aliquorum ſanctorum noſtri Ordinis.

CAP. X.

IN omnibus feſtis noſtri Ordinis, quæ ſub ritu duplicium primæ, aut ſecundæ Claſſis celebrari ſolēt, in Miſſa Conuentuali ſemper Pax detur: In Altaribus adhibeatur, & *Credo* per totam octauam in Miſſa recitetur.

b Commemorationes noſtrorum SS. quæ hactenus in officio ſemiduplici, ſimplici, & feriali in Veſperis, ac Matutinis horis fieri conſueuerunt, nullo vnquam tempore ommittantur, aut varientur: quemadmodum nec commemoratio S. Patris Franciſci ad Completorium, præterquam in ſeptem prioribus feſtis primæ Claſſis, (vt dictum fuit.) Cum verò ea commemoratio fit, ab oratione, *Domine Ieſu Chriſte*, verba illa: *tui amoris igne*, & *Crucem tuam iugiter feramus*: recenter addita, tollantur: & ſicut prius dici conſueuerat, recitetur. b Ru. breu.

Non addantur in Choro noua officia, aut aliæ Commemorationes Sanctorum noſtri Ordinis, ſub quocunque pietatis prætextu, præter ea, quæ hactenus apud nos vſu recepta ſunt.

DE

Digitized by Google

DE OFFICIO B. VIRG. DEFVNCTORVM, Gradualibus, & septem Psalmis Pœnit.

CAP. XI.

OFficium B.Virg.ob præcipuam deuotionem, quã erga Sanctissimam Dei Matrem nullo vnquam tempore Fratrũ minorũ familia professa nõ est: diebus quibus, iuxta Romani Breuiarij rubricas, à nobis in Choro recitari consueuit, in posterum semper recitandum amplectimur. Hortamurque totius Religionis nostræ Fratres, vt ob tantæ Virginis reuerentiam, non solum in Choro, verum etiam extra Chorum vbi ab ipsius lege absoluti sunt, omni (qua par est,) animi pietate, ac Corporis compositione hoc illi debitum seruitutis exsoluant, ex quo vberes gratiarum fructus procul dubio sint relaturi.

Cer. c. 2. Idcircò cum in Choro recitatur, semper erecto corpore, deuotè, ac debitis in medio versiculorum adhibitis interuallis, ab vnoquoque in sua sede stante pronuncietur Matutinum secundum rubricas Breuiarij, & antiquum Religionis vsum; tam in Quadragesima, quàm extra Quadragesimam, semper dicatur ante Matutinũ diei, ne, si ad euitandum prolixioris officij tedium in sero recitetur, carni potius, quam spiritui famulari videamur; In eoque lectiones à primo Acolytho ante legile dicantur.

a Rub. gen. Brcu. a Circa officium Defunctorum seruentur rubricæ, vt scilicet in Aduentu, & Quadragesima, qualibet feria secunda festo nouem lectionum non impedita, Vesperæ post Vesperas diei, & Matutinum post Completoriũ ante litanias B.Virg. semper dicantur; extra Quadragesimam verò, eadem qualibet prima die mensis nullo duplici.

Digitized by Google

plici, aut semiduplici officio impedita, sedendo recitentur. b Cum verò dicitur officium Defunctorum in Choro, extra Aduentum, & Quadragesimam, iuxta rubricas Missalis, Missa Conuentualis celebretur pro Defunctis. b Ru. Miss.

Officium Defunctorum totum dicitur sedendo, præterquam ad *Magnificat* in vesperis, & ad *Laudate Dominum de Cœlis*, & *Benedictus*, in laudibus, quo tempore standum est: Cum verò intonatur *Pater noster* ab Hebdomadario, omnes simul cum Hebdomadario genuflectunt, & preces, quæ sequuntur, flexis genibus recitantur, Hebdomadarius autem ad Orationes surgit, vt alibi dictum fuit.

Psalmi Graduales, qualibet feria tertia Quadragesimę festo duplici, aut semiduplici non impedita, post Completorium, (vt mos est antiquarum Prouinciarũ) sedendo dicantur, & tam post Psalmos Graduales, quã post officium Defunctorum nullo vnquam tempore ommittantur litanię B. Virg. præterquam in feria quinta, & sexta maioris Hebdomadæ. Post Psalmos Graduales preces dicuntur flexis genibus, ad orationem tamen Hebdomadarius surgit.

Postremo Psalmi Pœnitentiales, toto Quadragesimali tempore, in qualibet feria sexta, quę impedita non fuerit festo nouem lectionum, post matutinas horas, flexis genibus dicantur cum litanijs, quę nunquam ommitti debent, præterquam in triduo Maioris Hebdomadę.

DE

Digitized by Google

DE RITV OFFICIORVM IN QVIBVSDAM diebus solemnioribus, ac primum in die Commemorationis omnium Defunctorum.

CAP. XII.

Calend. Rom. PIa admodum, ac salubri institutione olim ab Ecclesia sancitum fuit, vt quotannis certa die post festũ omnium Sanctorum, fidelium Defunctorum Commemoratio recoleretur, vt Christianus Populus fusis apud Deum pro illorum expiatione suffragijs, magis ad pietatem accenderetur, & fratribus in Christo quiescentibus debitum hoc Christianæ charitatis exolueret.

Idcirco ea maxima mentis religione, ac pietate à nobis peragenda est, vt religio pietatem, pietas remunerationem augeat.

Quamobrem in festo omnium Sanctorum dum Vesperę diei canuntur, ter pulsetur Campana cõcisis duntaxat tintinnis pro vesperis Defunctorum: peractis autem vesperis, ac dicto. *Benedicamus*. statim Hebdomadarius, paulo humiliori voce, sed clara, dicat primam Antiphonam pro vesperis Defunctorum, *Placebo Domino* &c. [a] integram, sicut in festo duplici, quam deinde Psalmus sequatur, expleto psalmo, primus Acolythus antiphonam repetat, cui succedens alter Acolythus, secundam integram pronunciet: reliqua verò dicantur iuxta ea, quæ in rubricis sunt prescripta [b] Sacrista interim nigris paramentis Altaria, & tabernaculum ornet, & sex candelas cerę communis in Altari accendat.

[a] Ru. Breu.

[b] Cær. Cler. Reg. lib. 3. c. 33.

Post Completorium, Matutinum Defunctorum, prę missis tribus signis Campanę conciso sono, sicut in vesperis, statim à duobus Acolythis inchoetur, sexque candelę cerę communis in Altari nigris paramentis ornato à

to à Sacriſta accendantur, & iuxta omnia, quę in Breuiario ſuo loco notantur, totum officium perſoluatur. In veſpere [c] poſt ſigna ſuffragij pro Defunctis data, pulſetur pleno tractu Campana, prolixius, vt omnibus innoteſcat, prolixiora pro defunctis eo tempore fieri debere ſuffragia. [c] Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 33.

In die Commemorationis omnium Defunctorum, nulla Miſſa celebrari deberet de ſanctis, cum ſit duplex: Attamen, quia officium fit de infra octauam [d] prima Miſſa, quę celebratur poſt tertiam, iuxta rubricam dicatur de ſanctis: ea tamen Conuentualis non fit, nec ad ſanctus pulſetur Campana: Miſſa verò Conuentualis celebretur pro Defunctis poſt Nonam hoc ordine. [d] Ru. Miſſ. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 33.

[e] Primum antequam Nona recitetur in Choro, à Sacriſta iuxta rubricas aptetur ſcamnum oblongum, parum à Cācellis diſtans, panno nigri coloris opertum in modum tumuli; in cuius medio Crux alba appareat, tū quatuor Candelabra, duo ſcilicet ex vtraque parte ad caput, & ad pedes cū candelis ceręcommunis ſtatuantur, quę poſt Nonam accendi debent. Paret quoque ſepulturam, ſi commodè fieri poteſt aliquo panno nigri coloris. Vbi eodem modo quatuor luminaria collocentur. Dum nona recitatur, ter Campana multiplicatis tantum ictibus pulſetur, [g] Celebrans verò nigri coloris veſtibus indutus ad Altare procedat nigro pariter colore ornatum, ac Miſſam debitis ceremonijs, (vt in Miſſali notatur) abſoluat, Altare in principio Miſſę nō incenſet: ſed ad offertorium duntaxat, neque alij, ſed celebrans tantum incenſetur. Interea Crux, Vaſculum aquę benedictę cum aſperſorio, & thuribulum cum igne parentur, & in Choro diſtribuantur candelę. [e] Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 33. Cærem. Epiſc. li. 2. c. 4. Cær. Cler. Reg. lib. 3. c. 33. [g] Ru. gen. Miſſ. Cær. Cler. Reg. lib. 3. c. 33.

[b] Miſſa expleta celebrans caſulam, & manipulum deponat in cornu Epiſtolę, Clericus autem ſuperpelli- [b] Ru. Miſſ.

ceo

Digitized by Google

ceo indutus, medius inter duos ceroferarios candelabra accensa ferentes, crucem ferat, sicut in processionibus fit, quem duo alij precedant, vnus cum thuribulo, & Nauicula, alter cum vasculo aquę benedictæ, & aspersorio. Post hos cæteri quoque fratres velut in processione, bini ordinatè sequantur, vltimus celebrans facta prius Altari reuerentia procedat.

a Ru. Miss. a Clericus cum Cruce, ac duobus ceroferarijs, vbi peruenerit ad pedes tumuli versa facie ad Altare ibi sistat, & fratribus hinc inde circa tumulum dispositis, celebrans seipsum statuat in capite tumuli, nimirum inter Altare, & tumulum aliquantulum versus ad cornu Epi-

b Ru. Miss. stolæ, ita vt, & Altare, & Crucem Clerici respiciat b His itaque dispositis, statim celebrans inchoet primum responsorium, *Domine quando veneris* &c. quod primus Chorus prosequatur vsque ad versum, tum secundus Chorus respondeat, *Commissa mea paueſco* &c. repetat primus Chorus, *quia peccaui* &c. Addit secundus Chorus, *requiem æternam* &c. respondit primus Chorus, *quia peccaui* &c.

℟. *Domine quando veneris iudicare terram, vbi me abscondam à vultu iræ tuæ, Quia peccaui nimis in vita mea.*

℣. *Commissa mea paueſco, & ante te erubeſco, dum veneris iudicare noli me condemnare. Quia peccaui* &c.

℣. *Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua luceat eis. Quia peccaui* &c. tum primus Chorus statim subiungit *Kyrie eleison*, secundus Chorus *Christe eleison*. Deinde vterque simul *Kyrie eleison*, sub finem responsorij celebrans immittat incensum in thuribulum, illud more solito benedicēs, *Ab illo benedicaris* &c. Accolythus verò à dextris eius ministret nauiculam incensi sine osculis, & dicto *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie*

Digitized by Google

Kyrie eleiſon, Celebrans aſperſorium ab altero Accolytho accipiens, dicat clara voce, *Pater noſter* &c.

e Dum *Pater noſter* &c. ſecreto ab omnibus inclinatis dicitur, Celebrans facta Altari reuerentia, commitãte Clerico cum vaſculo aquę benedictę, circumeat tumulum, aſpergens illum aqua benedicta, ter à parte dextra, & ter à ſiniſtra: quoties ante Crucem tranſit, toties profundè ſe inclinet, miniſter verò genuflectat. Poſtea reddito aſperſorio, ſumat thuribulum, & eundẽ modum in thurificatione ſeruet, quem in aſperſione ſeruauerat. d Miniſtri verò aſperſorium, vel thuribulum celebranti porrigentes, aut ab eo accipientes, ipſius manus non oſculentur, ſed tantum reuerentiam faciant. e Ru. Miſſ. d Ru. Miſſ.

Celebrans cum ad priſtinum locum redierit, Acolytho librum ante ipſum tenente, iunctis manibus dicat verſus ſequentes, & Choro ad ſingulos reſpondente.

℣. *Et ne nos inducas &c.* ℟. *Sed libera nos &c.*
℣. *A porta inferi.* ℟. *Erue Domine animas eorũ*
℣. *Requieſcant in pace.* ℟. *Amen.*
℣. *Domine exaudi orationẽ meam.* ℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.* ℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Deus qui inter Apoſtolicos ſacerdotes famulos tuos Pontificali, ſeu Sacerdotali feciſti dignitate vigere, præſta quæſumus, vt eorum quoque perpetuo aggregentur conſortio. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

℣. *Requiem æternam &c.* ℟. *Et lux perpetua &c.*
℣. *Requieſcant in pace.* ℟. *Amen.*

His peractis deferatur tumulus à fratribus laicis in medium Eccleſiæ, vbi celebrans intonabit ſecundum reſponſorium. *Ne recorderis peccata mea Domine. Dum veneris iudicare ſeculum per ignem.*

Digitized by Google

℣. *Dirige Domine Deus meus in conſpectu tuo viam meam. Dum veneris* &c.

℣. *Requiem æternam* &c. *Dum veneris iudicare* &c. atque alia, vt ſupra explebit, præter orationem, quę eſt.

Oremus.

Fidelium Deus omnium conditor, & redemptor animabus famulorum, famularumque tuarum remiſſionem cunctorum tribue peccatorum, vt indulgentiam, quam ſemper optauerunt, pijs ſupplicationibus conſequantur. Qui viuis, & regnas cum Deo Patre in vnitate &c.

℣. *Requiem æternam* &c. ℟. *Requieſcant in pace* &c.

a Rit. Miſſ. a Oratione peracta Clericus cum Cruce, & ceroferarijs ad fratrum ſepulturam pergat, & omnes ſtato ordine gradiantur: Cum ad fores ſacelli peruenerint, fratribus hinc inde diſpoſitis, celebrans per medium cum miniſtris aſperſorij, & thuribuli incedens, cum ijs duntaxat ſacellum ingrediatur. Ingreſſus, inchoet tertium reſponſorium. *Libera me Domine de morte æterna in die illa tremenda, quando cœli mouendi ſunt, & terra. Dum veneris iudicare ſeculum per ignem.*

℣. *Tremens factus ſum ego, & timeo dum diſcuſſio venerit atque ventura ira. Quando Cœli* &c.

℣. *Dies illa dies iræ calamitatis, & miſeriæ, dies magna, & amara valde. Dum veneris* &c.

℣. *Requiem æternam* &c.

℟. *Libera me Domine* &c. vſque ad primum verſum. alia, vt ſupra, de more perficiat: pronunciet orationem. *Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis amator: quæſumus clementiam tuam, vt noſtræ Congregationis fratres, propinquos, & benefactores, qui ex hoc ſæculo tranſierũt, B. M. ſemper Virgine intercedente cum omnibus ſanctis tuis ad perpetuæ beatitudinis conſortium peruenire concedas. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum* &c.

℣. Re-

Digitized by Google

℣. *Requiem æternam* &c. ℟. *Requiescant in pace* &c. Tum omnes processionaliter ad Sacristiam redeant, vbi candelæ extinguntur, & celebrans cum ministris paramenta deponunt, Clerici verò cereos in Altari extingunt, & tumulum asportant.

DE TEMPORE ADVENTVS, ET RITIBVS in eo seruandis.

CAP. XIII.

QVanto Religionis studio Sancta Romana Ecclesia inter cętera Christianæ fidei Mysteria, quorũ ipsa custos est fidelissima, iam ab initio Saluatoris aduentum prosequuta fuerit. Id non obscurè declarat, quod cum ad pleraque alia diuinæ charitatis sacramenta veneranda vno, aut altero die, vel ad summum, octo dierum spacio contenta fuerit: ad huius Mysterij cultum debito honore prosequendum, non vnius, aut etiam octo dierum Religionem sensit sufficere: sed integrum, ac continuum quatuor Hebdomadarum tempus in eo insumendum sanxit; in quo tam proprios, ac singulares ritus, quibus coleretur, instituit, vt hinc facilè colligi queat maximam huic Mysterio venerationem deberi.

a Primum igitur Sabbatho ante primam Dominicam Aduentus, post Nonam ante officium vespertinum, vel (si eo die celebretur festum Sancti Andreæ, seu quodlibet aliud officium duplex) post Vesperas Altaria omnia paramentis violaceis ornentur, Tabernaculum quoq; Sanctissimi Sacramenti velo violaceo operiatur, atque omnia indumenta sacerdotalia, ac velum Calicis eiusdem coloris in Missa Dominicę adhibeantur. a Rub. gen. Miss.

Digitized by Google

b Ru. gen. Breu. b In hac prima Dominica Aduentus, si occurrat festum duplex etiam Patroni, vel titularis Ecclesiæ transferatur in sequentem diem. Vbi tamen festum est Patroni, seu titularis Ecclesiæ, & magnus concursus Populi fuerit, ad illud festum celebrandũ, quod transfertur, duę Missę possunt celebrari; vna de Dominica, altera de festo, & in Missa de festo dicatur *Gloria in Excelsis*.

c Rub. gen. Breu. c In officio primæ loco versus *Qui sedes ad dexteram* &c. dicatur. *Qui venturus es immundum*, vsque ad Natiuitatem Domini excluſiuè, etiam in officio de Sanctis præterquam in die Conceptionis B. Virg. cuius loco dicitur. *Qui natus* &c.

d Ru. gen. Miſſ. d Toto tempore Aduentus, in qualibet secunda feria festo Duplici, aut semiduplici non impedita, post Vesperas diei Dominicæ recitentur Vesperæ Defunctorum immediatè post *Benedicamus Domino* &c. & post Completorium vigiliæ Defunctorum, nimirum nocturnum primum cum laudibus, immediatè post orationem, quæ dicitur pro Commemoratione Stigmatum B. P. N. Franciſci, Missa verò Conuentualis in manè, quę dicitur post tertiam, non celebratur pro Defunctis sicut in prima die cuiusque mensis, si non impediatur: sed in Missis priuatis tantummodo secunda oratio erit, *fidelium Deus* &c.

a Cærem. And. Pelc. l. 3. c. 1. a Si omnes secundę ferię tempore Aduentus fuerint impeditę festo nouem lectionum, ita vt officium Defunctorum in eo dici non potuerit, non propterea dici debet officium Defunctorum pro prima die mensis: cũ tempore Aduentus, non prima die mensis, sed tantum in secundis ferijs sit dicendum iuxta rubricas: idcirco eo anno ommittatur.

Si Vigilia Natiuitatis Domini occurrerit secunda feria post Dominicam quartam, in dubium vertitur,

an

an post vesperas Dominicę dici debeant vesperę Defunctorum,& post Completorium,vigilię. Ratio dubitandi est, quia, etsi in laudibus vigilię officium sit duplex, Matutinum tamen est de feria: & cum officium Defunctorum apud nos post Vesperas, & Completorium dicatur, eo tempore officium vigiliæ nondum duplici ritu celebratur. At his non obstantibus,tutius videtur iuxta rubricas tunc officium Defunctorum omitendum esse. Primo quia vigilia illa singulari priuilegio fruitur,& proprium habet officium: & tametsi ad laudes duntaxat duplex illius officium incipiat; id tamen sufficere debet, vt ea festo duplici equiparetur, cū fauores potius sint ampliandi,quàm restringendi. Secundo officium Defunctorum in festis Sanctorum ex rubricę prescripto, non recitatur, eo quod ea sint officia lętitię,ex quo infertur eadem ratione in hac vigilia, quę tota lętitię est,illud persolui non debere. Tertio in hac vigilia prohibet Ecclesia officium B. Virg. recitari, quod prętерquam in festis duplicibus, aut semiduplicibus omitti non solet:ex quo insinuare videtur officium eius vigilię duplici festo equiparari:ergo ab ea officium Defunctorum quoque excluditur. Postremo in Missa huius vigilię vna tantum oratio dici debet: At si officium Defunctorum recitaretur, tres saltem orationes in Missa proferri deberent, quarum secunda esset pro Defunctis, vt in rubrica notatur. Quapropter rectè concludimus, in hac Dominica officium Defunctorum dici non debere.

Cum Dominica prima Aduentus contingit secunda,vel tertia die mensis Decembris, si prima dies festo nouem lectionum non fuerit impedita,in ea pro prima die mensis officium Defunctorum persoluatur,& Missa principalis post tertiam pro Defunctis dicatur: quia ea

Digitized by Google

dies non occurrit tempore Aduentus.

Si quis in ferijs Aduentus, in quibus aliquod festum simplex occurrit, de quo iuxta rubricam commemoratio tantum fieri debet, Missam de festo huiusmodi celebrare voluerit, in ea *Gloria in Excelsis*, ac tres orationes dicat; quarum secunda sit de feria, tertia de B. Virg. quia Missa illa votiua censeri non debet, sed festiua de die.

In omnibus Missis B. Virg. quę tempore Aduentus, atque alijs temporibus celebrantur, etiam si sint votiuę, dicatur, *Gloria in Excelsis*, ex Concessione Pauli V. Pont. Max. & declaratione Sacræ Congregationis Rituum.

Quodcunque festum duplex adueniens in Dominica secunda, tertia, & quarta Aduentus, in sequentem diem transferatur, alio festo duplici, aut semiduplici nō impeditum: nisi illud festum fuerit solemne Patroni, aut titularis Ecclesię, tunc enim de eo fieri debet cum commemoratione Dominicę in officio, & in Missa, & consequenter nona lectio erit de Homilia Dominicę in officio, & vltimum Euangelium Missę de Dominica.

DE RITV IN OFFICIO, ET CANTV Martyrologij in vigilia Natiuitatis Domini seruando.

CAP. XIV.

VIgilia Natiuitatis Domini solemniori quodam ritu ab Ecclesia celebrari solet, vt illustrior, & amplior sequentis diei solemnitas futura prænuncietur. [a] Hinc diligens Sacrista solicitè curare debet, vt Altare, præsertim maius, hoc tempore decentius solitò ornetur. Mappę tam superiores, quàm inferiores in Altaribus

[a] Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 3.

Digitized by Google

taribus mutentur, linteamina omnia, tam Altaris cultui dicata, quàm Ecclesiæ ministerio deseruientia munda sint, ac nitida: Calices cum patenis, lampades, candelabra, thuribulum cum nauicula excurentur, Aromata in thymiamaterijs disponantur, Ecclesiæ parietes, pauimentum, Cancelli, Chorus, legile, sedilia, Capsulæ ad conspuendum emundentur, vt omnia tam celebris diei solemnitatem commendent.

[b] Matutinum in hac vigilia dicitur absque officio B. Virg. & vsque ad laudes in ea fit, sicut in cæteris vigilijs: laudes verò altiori, ac solemnioritono ab Hebdomadario inchoentur: atque ab eo prima laudum Antiphona, integra pronuncietur: totum deinceps officium sub ritu duplicis celebretur. [c] Quod si acciderit vigiliam Natiuitatis Domini occurrere in die Dominico. Ad matutinum Inuitatorium dicatur de Vigilia *Hodie scietis* &c. Hymnus verò, Antiphonæ, Psalmi, Versus, Lectiones, & responsoria vsque ad versum tertij Nocturni erunt de Dominica quarta Aduentus, versus autem tertij Nocturni erit. *Hodie scietis* &c. Lectiones dicantur de Homilia vigiliæ, Homilia Dominicæ eo anno prætermissa. Ad laudes officium totum fiat de vigilia cum commemoratione Dominicæ. [d] Circa finem Primæ, opportuno tempore, antequam Martyrologium legatur, detur signum Campana tribus tintinnis, quibus Fratres laici admoneantur, vt ad lectionem Martyrologij conueniant. Accolythus verò, vel alter Martyrologium lecturus superpelliceo indutus, & si fuerit sacerdos stola insuper è collo pendente, inter duos Accolythos intortitia accensa gerentes, ad legile procedat, vbi tota familia conueniente, omnibus stantibus detecto capite, Martyrologium tono competenti incipiat, & eadem [e] voce prosequatur vsque. In *Bethleem Iudæ nascitur ex*

[b] Rub. gen. Breu.

[c] Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 3.

[d] Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 3.

[e] Martyr. Rom.

Digitized by Google

Cærem. Cler. Reg. li.3.c.3. *Maria Virgine factus homo*, quod eleuato paululum vocis tono, absque cantu pronunciet, & omnes procumbant humum deosculantes. Deinde altiori tono dicat. *Natiuitas Domini nostri Iesu Christi secundum carnem*. in tono passionis, eo scilicet tono, quo absoluuntur psalmi in triduo Maioris Hebdomadę, quo dicto, omnes surgant, & tecto capite sedeant: Lector verò tono ordinario prosequatur lectionem Martyrologij, qua absoluta, eodem ordine cum ceroferarijs ad Sacristiam redeat.

[a] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 87. [a] Hora Vespertina post salutationem Angelicam Cāpana in signum futuræ solemnitatis pulsetur. Superior verò in Vespere omnibus, quę tam ad officium, quàm ad Missam sequentis noctis spectant, diligentius inspectis, ac dispertitis inter Accolythos, & sacerdotes officijs, vt

[b] Cærem. Cler. Reg. li.3.c.3. quisque proprium munus obeat, [b] ipse, vt nostri moris est, Hebdomadarij munus exercebit, Missasque tam in nocte, quàm in die celebrabit, quod etiam eum præstare decet in omnibus festis primę Classis.

DE RITV IN OFFICIO NOCTIS, ET die Natiuitatis Domini.

CAP. XV.

SAncta Romana Ecclesia pia, ac diligens diuinorum Mysteriorum cultrix, eorum, quæ vel ex Apostolica traditione accepit, vel pia religione instituit, custos est accuratissima. Idcirco solemnissimam noctem, ac diem sacri Natalis Domini nostri Iesu Christi maximis vndique mysterijs refertam, solemniori quoque ritu, (vt par est) colenda sanciuit, & nos quidem magnos apparatus in alijs Cathedralium, ac Regularium Ecclesijs, ad ampliorem Dei gloriam institutos, exultantes

suspi-

Digitized by Google

ſuſpicimus. In noſtris tamen Eccleſijs, quas altiſſima paupertas magis, quàm rerum copia exornare debet: non niſi humiles, ac ſimplices, pro noſtri ſtatus humilitate, parari volumus. Id velut certiſſimum habentes, ᶜ vt docet Clemens Quintus. Deum optimum Maximũ magis puro corde, atque animi pietate, quàm rerum magnificentia delectari. ᶜ Clement. exiui.

Paratis igitur decentius ſolitò ſacris Altaribus, maiori præſertim, in quo Sanctiſſima Euchariſtia aſſeruatur, quinta hora noctis primum Matutini ſignum prolixius ſolitò pulſetur, Eccleſiæ fores aperiantur, lucernula vna vel plures ſuper Cancellos ſacelli eminentius collocatæ accendantur, vt poſteriorem Eccleſiæ partem propter ſeculares vtriusque ſexus confluentes, illuſtrent. Deinde conueniens ſpacium inter primum, & ſecundum Matutini ſignum interiaceat, in quo vnusquiſque valeat ad Sacramentum pœnitentiæ accedere. Tum vniuerſi familiæ fratres in Chorum conuenientes, Thymiama terium accendatur, & expletis ſignis ſex candelæ in Altari accendantur, & Matutina hora grauius, ac moroſius ſolitò celebretur. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 4. Cærem. ibid.

Lectiones primi Nocturni paulo altius ab Accolytho legantur, abſque cantu, eo modo, quo pſalmi à nobis cantari ſolent: & quoniam poſt tertium nocturnum tria Euangelia leguntur: ita à ſuperiore diſtribuantur, vt duo prouectiores ſacerdotes primum, & ſecundum legant hoc ordine, ac ritu. Cum legendum erit primũ Euangelium, duo intortitia, aut cerei accendantur, quæ extingui non debent, donec tertium Euangelium lectũ fuerit; tum iunior ſacerdos ſtola ad collum pendente primum Euangelium legat: ſecundum Euangelium duobus alijs intortitijs, aut cereis adhibitis à ſeniore ſacerdote eodem modo legatur: ſuperior verò Alba,

&

Digitized by Google

& ſtola indutus, præcedentibus duobus Accolythis duo intortitia accenſa ferentibus, à Sacriſtia ad legile procedat, & tertium Euangelium legat, quo peracto alta voce intonet. *Te Deum laudamus* &c. Mox ad Sacriſtiã accedens reliquis Sacerdotalibus indumentis ſe exornet, & duobus ceroferarijs præcedentibus, qui duo intortitia accenſa gerant, ad Altare procedat.

a Ru. breu. a Hac nocte matutinum ſeparatur à laudibus; Idcirco abſoluto. *Te Deum laudamus* &c. Oratio dicatur in Choro, & *Benedicamus Domino* &c. non autem *fidelium animæ* &c. Interea præparato igne, ac Thuribulo, Celebrans Miſſam ſolemniter inchoet, Altare incenſet. b Cũ ventum fuerit ad *Gloria in Excelſis* &c. quia hac nocte, vt notat c Thelesphorus Papa, hic Hymnus ab Angelis fuit compoſitus, & cantatus, tam Campana pleno tractu, quàm omnes Campanulę, ac tintinabuli in ſignum lętitię pulſentur.

b Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 4.

c Cap. nocte ſancta de conſec. diſt. 1.

Ad Euangelium duo intortitia accenſa deferantur, quod etiam fieri debet ante eleuationem Hoſtiæ: nec antea extingui debent, quàm celebrans Sacramentum conſumpſerit.

d Ru. Miſſ. e Cær. Cler. Reg. lib. 3. c. 4. d Aſſumpto ſanguine, caueat Celebrans, ne purificationem ſumat: e ſed abluens digitos vino, & aqua ſuper os Calicis, eaque Calicem purificans, purificationem fundat in vaſe vitreo ad id præparato, in quo ſeruari debet ſimul cum purificatione ſecundę Miſſę vſque ad tertiam Miſſam: ea verò poſt vltimam Miſſam ab eodẽ pro purificatione ſumatur, & vitreum vas bis aqua lauetur, ablutioque in ſacrarium fundatur: Hic modus tam ad omne effuſionis periculum effugiendum, ſi purificatio in Calice ſeruetur: quàm ad ſacrificium ipſum purius, ac honeſtius celebrandum, vt in quolibet Miſſæ ſacrificio recens vinum in Calice ponatur, nobis opportunior,

Digitized by Google

tunior, ac tutior visus est, quapropter eum cunctis obseruandum proponimus.

Expleta Missa senior in Choro laudes intonet; ea nocte disciplina publicè non fiat, sed quę fieri tunc debuisset, in precedenti nocte agatur.

Hic verò admonendum est, quod cum hęc sacri Natalis Domini nox sit eo priuilegio singulari ornata, vt in ipsa ante Auroram celebrari queat, in ea quoque iuxta receptam à plerisque [a] Doctoribus sententiam, non solum prima Missa; sed alię quoque statim post ipsam ante auroram dici possunt.

[a] Suarez 3. part. to. 3. disp. 80. sect. 4.

[b] Secunda Missa eodem ritu in aurora celebretur. Ad *Gloria in Excelsis* &c. Sola Campana pulsetur; ad Euangelium, & ad eleuationem Sacramenti quatuor intortitia ferantur, ablutioque digitorum, ac Calicis sicut in prima Missa in vase seruetur.

[b] Rit. Miss.

Tertia quoq; Missa post secundam, vnius circiter horę mora interiecta, eadem solemnitate post tertiam celebretur: Ad Euangelium, & eleuationem Sacramenti sex intortitia adhibeantur. [c] Purificatio fiat more solito, & post Missam alię quoque purificationes sumantur.

[c] Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 4.

[d] In Missis priuatis celebrantes sumpto sanguine, digitos non in Calice, sed in Vasculo vitreo prępparato in prima, & secunda Missa abluant, nec Calicem purificatorio detergant: sed Calicis purificatione in Vasculo effusa, eidem super imponant patenam, hostiam, & pallam. In tertia verò Missa assumpto Sanctissimo Corpore, & sanguine, minister vinum priorum purificationum è Vasculo pro digitorum Celebrantis ablutione supra Calicē effundat. Deinde sacerdos digitos aqua abluens, reliqua more solito prosequatur.

[d] Cærem. Cler. Reg. ibid.

[e] Qui mala valetudine detenti tres Missas celebrare nequeunt, vnam tantummodo ex assignatis recitare

[e] Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 4.

pos-

Digitized by Google

possunt: magis tamen decet, vt tertiam dicant, cum ea magis cum officio conueniat.

DE RITV IN OFFICIO DIEI Epiphaniæ seruando.

CAP. XVI.

CIrca officium Epiphanię, pręter ea, quę à rubricis præscribuntur, pauca duntaxat adnotanda sunt. Inter hæc, vt ad Matutinum dicto de more: *Pater noster* &c. *Aue Maria*, *Credo* secretò, *f* Hebdomadarius absolutè incipiat Antiphonam, *Afferte Domino* &c. & totam vsque ad finem prosequatur, mox Psalmus cantetur à Choro.

f Ru. Breu.

In tertio Nocturno cum dici debet Psalmus *Venite exultemus*, *g* quatuor Cantores esse deberent, qui singulos versus psalmi, bini alternatim ante legile decantarent, post quos Antiphona, *Venite adoremus eum* &c. à Choro repetereretur: verum quia non in omnibus nostris Ecclesijs tantus est Acolythorum numerus, vt huic muneri sufficiant: vbi id fieri poterit, rubrica seruetur: in alijs verò, vt omnis inter Cantores confusionis ansa præcidatur, duo Acolythi dicant Antiphonam *Venite adoremus eum* &c. qua à Choro repetita, ijdem Acolythi duos priores versus cantent, post quos iterum à Choro repetatur. *Venite adoremus eum* &c. & sic semper post singulos duos psalmi versus eadem antiphona à Choro resumatur, prout in Breuiario iacet.

g Cærem. Cler. Reg. lib. 3. c. 4.

Ad octauum responsorium, cum ea verba. *Et procidentes adorauerunt eum*. Proferuntur, omnes procumbant. In Missa verò dum eadem verba celebrans pronunciat, ipse quidem celebrans tantum genuflectat,

Digitized by Google

dat, alij verò procumbant, atque humum in signum adorationis osculentur.

DE RITV IN DOMINICIS SEPTVAGESIMÆ, sexagesimæ, & quinquagesimæ seruando.

CAP. XVII.

AB his Dominicis Ecclesia Catholica vestibus iucunditatis exuta, ac omisso lætitiæ cantu, ad Quadragesimalis Ieiunij pœnitentiam, & Passionis Christi memoriam fideles parat: quapropter Sabbatho ante Dominicam septuagesimæ ad Primam in Martyrologio pronunciatur. *Dominica septuagesimæ, in qua deponitur canticum Domini Alleluia.* Et post Nonam, nisi aliquod festum duplex celebretur, Alioquin post vesperas; Altaria omnia violaceis ornamentis parentur, & velo eiusdem coloris Tabernaculum Sanctissimi Sacramenti operiatur. Rub. breu.

Ad vesperas Sabbathi, *Benedicamus Domino*, cum duplici *Alleluia* cantetur, & exinde vsque ad vesperas Sabbati Sancti *Alleluia* non dicatur, sed loco: *Alleluia:* proferatur: *Laus tibi Domine Rex æternæ gloriæ.* Idcirco Sacrista tabellam in summitate legilis appendat, in qua hæc verba grandiori carattere sint inscripta. Rub. Breu.

In Missa harum Dominicarum omittatur, iuxta rubricas: *Gloria in Excelsis*, & *Alleluia*, cum suo versu post Graduale, cuius loco dicatur tractus. Et si in his aliquod festum duplex etiam secundæ Classis occurrerit, in sequentem diem transferatur, si verò sit Patronus, vel titularis Ecclesiæ, vel dies Dedicationis propriæ Ecclesiæ: de his fiat officium cum commemoratione Dominicæ. ¶ Ru. Miss. Ord. Rom. de off. diuin. Rub. breu.

Si

Digitized by Google

Si aliqua ex his Dominicis occurrerit infra octauam alicuius sancti, de quo octaua celebratur, officium fiat de Dominica, cum commemoratione octauę, tam in officio, quàm in Missa; Altaria verò colore violaceo ornentur, ac Missę in paramentis eiusdem coloris celebrentur. Quod si dies octauę in his Dominicis contingat; vesperę Sabbathi vsque ad Capitulum sint de octaua, ritu semiduplici, & à Capitulo fiat de Dominica: Deinceps tam in officio, quam in Missa fiat tantum commemoratio de octaua.

FORMA TABVLAE EORVM, QVI IN officijs maioris Hebdomadæ sunt ministraturi.

CAP. XVIII.

QVoniam in toto hoc triduo maioris Hebdomadæ pleraque tam in Choro, quàm apud Altare ministeria obeunda sunt, quæ exactam in Ministris diligentiam, ac vigilantiam poscunt. Superior pro locorum amplitudine, ac fratrum numero in ipso Hebdomadæ sanctæ initio aptos cuique muneri eligat ministros, qui sine offendiculo, ac cunctatione sacris ministerijs vacent; Tabellamque Ministrorum in Sacristia appendi iubeat, hoc ordine compactam.

Feria V. maioris Hebdomadæ ad Matutinum Hebdomadarius.

R. P. Guardianus, seu Vicarius.

Cantores.

NN. NN.

Lectores lectionum primi Nocturni.

NN. NN.

Le-

Digitized by Google

Lectores lectionum ſecundi Nocturni.
NN. NN.
Ad extinguendos cereos deputati.
NN. NN.
Hic ſinguli Miniſtri pro duobus etiam ſequentibus diebus aſſignantur, ad ſuperioris nutum contrahendi.
Feria V. Maioris Hebdomadæ ad Miſſam.
Celebrans.
R.P.Guardianus, ſeu Vicarius.
Diaconus. N.
Subdiaconus. N.
Cruciferarius. N.
Ceroferarij. NN.
Ad mandatum ijdem, qui in Miſſa miniſtrant, prępa-rant neceſſaria.
Ex Clericis. N. & N. Cantores primi Chori N. N. &c.
Ex Laicis. N. & N. Cãtores ſecundi Chori. N. N. &c.
Ante Sanctiſſimum Sacramentum aſſiſtant ab hora XVIII. iuxta horas Italiæ, vel XII. iuxta horas Tranſalpinorum vſque ad XIX. vel primam NN. à XIX. vel prima vſque ad XX. vel ſecundam NN. & ſic deinceps per ſingulas horas fiat diſtributio Fratrum, tam Sacerdotum, quàm Clericorum, ac Laicorum, qui ante Sacramentum orent vſque ad horam proceſſionis ſequentis diei, cum Sacramentum transfertur.
Feria ſexta in Paraſceue.
Celebrans R.P.Guardianus, ſeu Vicarius.
Diaconus. N. Subdiaconus. N.
Cruciferarius. N. Thuriferarius. N.
Ceroferarij. N. & N.
Cantores primi Chori ad Improperia. NN. & N. &c.
Cantores ſecundi Chori ad Improperia. NN. &c.

Sab-

Digitized by Google

Sabbatho Sancto ad Missam.
Celebrans R.P.Guardianus, seu Vicarius.
Diaconus. N. Subdiaconus. N.
Ceroferarij. N. & N.
Defert candelam accensam, & Arundinem. N.
Canant Profetias. N. & N. vsque ad duodenarium numerum.

DE RITV OFFICII FERIAE QVINTAE, *sextæ, & Sabbathi maioris Hebdomadæ.*

CAP. XIX.

CVm maioris Hebdomadę Mysteria, quibus Dominicæ passionis luctus pijs hominum mentibus ininsinuatur; quæquæ ob singularem eorum sanctitatem, ac præstantiam ipsi Hebdomadæ tum sanctæ, tum Maioris nomen comparārunt. Ecclesia Apostolicæ traditionis Hæres, singulari cultu, ac lugubri officio prosequenda duxerit; id sanè à nobis non obscurè, & propēsiorem erga res diuinas animum, & ardentiorē in Christum Dominum pietatis affectum, ac charitatem exposcit, quo fit, vt quæ in ea celebrantur officia, maiori, quo fieri potest, animi sensu, ac pietate sint prosequenda.

[a] In primis quandoquidem mos vbique locorum iam ferè inoleuit, vt ob Populi deuotionem, Matutinæ horæ vltimo maioris Hebdomadæ triduo in Vespere post Completorium dicantur: id obseruandum erit, vt feria quarta Completorium citius solito, dimidio saltem horæ spacio pulsetur: dum verò Completorium in Choro cantatur, ter Campana dispertitis interuallis pro Matutino officio pulsetur, sicut in festo duplici: ita vt ad *Nunc dimittis*, primum Matutini signum detur,

[a] Cær. epis. l. 2. c. 22. Cær. Cler. Reg. lib. 3. c. 16.

Digitized by Google

tur, secundum circa finem Completorij: tertium ad nutum superioris. [b] Completorio iam ad finem tendente sex candelæ cerę communis in Altari accendantur; paretur quoque candelabrum triangulare in plano, ante medium Altaris, in quo quindecim candelæ cerę communis accendantur; quinta decima in capite candelabri defixa. Post Completorium, absoluta antiphona, *Cœlorum candor* &c. cum sua oratione; Hebdomadarius statim manuum complosione det signum Horæ matutinæ: protinus omnes surgentes dicant secretò: *Pater noster*, *Aue Maria*, *Credo*, iterumque signo edito, Hebdomadarius inchoet alta voce Antiphonam. *Zelus domus tuæ* &c. quam integram proferet, in vltimam syllabam aliquantulum vocem inflectens.

[b] Cærem. Episc. li. 2. c. 22. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 16.

[c] Psalmi absoluantur absque *Gloria Patri*, sed in postrema cuiuslibet psalmi syllaba, vno tantum vocis tono vox flebiliter inflectatur, quod in omnibus horis toto hoc triduo obseruari debet.

[c] Direct. Chor. Ro.

Lectiones primi Nocturni alta, & clara voce (deotè tamen) sine cantu aliquo legantur; neq; enim decet, vt qui nullo vnquã tẽpore more cathedraliũ Ecclesiarũ canimus, tempore passionis, quo flendũ est, cantus modulamina quęramus: accedat quod nec sẽper, nec vbiq; apti ad canendũ apud nos cantores reperiũtur, & si incõgruè lectiones canantur, risus potius, aut stomachum, quàm deuotio in audientibus excitetur. In fine omniũ lectionum, Responsoriorũ, & Antiphonarum toto hoc triduo, vox paululum inflectatur.

[d] Sub finem cuiuslibet Psalmi, minister à superiore deputatus ad̃ cereos extinguendos, vnam ex candelis extinguat, incipiens ab ea, quæ est in inferiori parte, à latere Euangelij, ita etiam sub finem secundi psalmi

[d] Ru. Brev. Cærem. Epis. lib. 2. c. 22. Direct. Chor. Ro.

Digitized by Google

Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 16. eodem modo extinguat alteram, quæ est à latere Epistolæ, sicque hoc ordine vsq; ad vltimam procedat.

b Cærem. Epis. lib. 2. c. 22. b Ad *Benedictus*, cum ventum fuerit ad versum, *Vt sine timore* &c. Minister ad quemlibet versum vsque ad finem extinguat vnam de candelis, quæ sunt in Altari, incipiens à cornu Euangelij ab ea, quæ magis distat à tabernaculo, deindę etiam extinguat lampadem.

Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 16.

c Ru. Breu. Cærem. Epis. lib. 2. c. 22. c Dicto *Benedictus*, cum repetitur Antiphona; Minister supremam candelam accensam remoueat de candelabro triangulari, & stans à cornu Epistolæ illam accensam, ac eleuatam teneat, donec Chorus dixerit, *Christus factus* &c. *Miserere*, & *orationem Respice* &c. & quamuis iuxta rubricam tunc eam abscondere deberet, simul ac dictum est. *Christus factus* &c. Id tamen propter pueros differtur, ne ante tempus fragorem edant.

Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 16.

d Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 16. d Interea Sacrista deferat bacillos, & incipiens à superiore, singulos bacillos singulis, qui in Choro sunt, etiam secularibus porrigat.

e Cærem. Epis. lib. 2. c. 22. e Peracta verò Antiphona, *Christus factus* &c. Clauduntur omnes fenestrę Chori, & Minister tenens candelam accensam, illam abscondat retro Altare.

f Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 16. f Superior verò bacillo scamnum percutiens fragorem edat, quem cęteris sequantur per spacium vnius, *Pater noster*, & statim Ministro proferente Cereum accensum, cesset fragor, cereum verò per parum temporis spacium suo loco super candelabrum reponatur, deinde extinguatur,

Eadem seruari debent duobus sequentibus diebus, his exceptis, quod post Completorium non dicuntur litanię B. Virg. nec suffragia pro benefactoribus.

g Ru. Miss. g Campana post, *Gloria in Excelsis*, Missę ferię quintę ligetur, nec deinceps pulsetur vsque ad *Gloria*, Sabbathi Sancti,

Digitized by Google

cti, *b* sed loco Campanę signum horarum ligneo instrumento datur. Hora alias consueta, matutini flagellatio per trium, *Miserere*, cũ *Christus factus* &c. spacium fiat: Post processionem, ac Missam sequentis diei vsque ad Missam in die Paraſceue, die, noctuque sacrę excubię iuxta distributionem à superiore factam, à binis saltem fratribus ante Sacramentum obseruentur, vbi seorsim flagellatio fiat.

b Ru. Miſſ. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 16.

DE RITV IN MANDATO, SEV LOTIONE pedum feriæ quintæ maioris Hebdomadæ seruando.

CAP. XX.

SAcra hęc cęremonia lotionis pedum, quę ex sacris Christi Domini actionibus deprompta est, in Cœna Domini in Ecclesia pia institutio celebrari solet, tota humilitatis, ac Mysterij plena est. Ea siquidem, & Christi humilitatem omnibus, ac Prælatis potissimum aliqua dignitate prędeditis imitandam proponit; & diuinę charitatis Sacramentum mortalium omnium mentibus insinuat, quę idcirco omni humilitate, ac deuotione peragenda est.

a Ru. Miſſ.

Hora igitur à Refectione circiter vigesima, vel post meridiem secunda cum dimidia, iuxta superioris placitum, Sacrista per totum Monasterij circuitum, vnicum signum tabula excitatoria edat, quo audito vniuersi cum superiore ad Chorum conueniant: vbi fratribus in modum processionis ordinatis, Cruce precedente, ac duobus Acolythis cum candelabris accensis, Altero quoque cum thuribulo, ac Nauicula post Crucem gradientibus, ac cęteris, quisque suo ordine sequenti-

Digitized by Google

bus: Diaconus, vel ſacerdos loco Diaconi Alba ſuper Amictũ indutus, ac ſtolam albam à ſiniſtro humero ad dextrum latus tranſuerſam gerens, poſt reliquos ante ſuperiorem pallio, ac communi veſte indutum incedat, librum Euangeliorum ſecum deferens: atque ita proceſſione inſtituta, omnes deuotè ad Refectorium pergant.

Interea in Refectorio menſa prima Prælati à Præfecto refectorij mappa munda ſit parata, floribus aut viribus folijs vndique conſperſa, in cuius medio Crux velo operta ſit repoſita, ac Puluinus, Peluis quoque, vel ærea, vel lignea præſto ſit, cum duobus vrceis, quorum vnus calida, alter frigida aqua ſit plenus, cum Vaſculo ad aquam infundendam apto. In menſis à latere hinc inde ſint Miſſalia, ac lintea, quę pedum exterſioni inſeruiant. Denique totus ille locus mundus ſit, ac floribus, & herbis odoriferis aſperſus.

[b] Ru. Miſſ. [b] Omnibus ſic ritè diſpoſitis vbi proceſſio Refectorium ingreſſa fuerit, omnibus alijs hinc, & inde ſtantibus, ſolus ſuperior ſedeat in capite menſę. [b] Diaconus librum Euangeliorum ſuper puluillo collocet. Accolythi quoq; candelabra à dextris, & à ſiniſtris Crucis in menſa ſtatuant, Mox Diaconus ante ſuperiorem genuflexus, eidem thuribulum, ac Nauiculam porrigat. Superior verò more ſolito benedicat incenſum, ac in thuribulum mittat. Diaconus verò reddens Accolytho thuribulum, ac Miſſale accipiens, à ſuperiore petat benedictionem, dicens. *Iube Domne benedicere*, cui ſuperior ſtans reſpondeat, *Dominus ſit in corde tuo* &c. [a] Ru. Miſſ. [a] Tum vni ex Acolythis tradens librum Euangeliorum, qui illum apertum ante ipſum teneat,

teneat, Diaconus incensato libro legat Euangelium *Ante diem festum* &c.[b] & iuxta antiquos nostrę Religionis ritus, à Sancto Carolo commendatos, cum primum leguntur à Diacono verba illa, *Surgit à Cœna*, surgat superior è sedili, cum subdit, *Ponit vestimenta sua*, superior modestè Pallium, quo amictus est, deponat. Cum Diaconus prosequitur, *Et cum accepisset linteum præcinxit se*, porrigente Accolytho sumat vnum ex linteis in Mensa paratis, & eo seipsum præcingat; Vlterius cum legitur, *Deinde misit aquam in Peluim*, sumat ipse aquam calidam, & frigidam ex vrceis, & in Peluim paratam infundat, quantum satis est, ad pedes lauandos.[c] Denique cum ad ea verba ventum fuerit, *Et cœpit lauare pedes* &c. genuflexus incipiat pedes Iunioris lauare, Laicis fratribus interea lintea calefacta ministrantibus. Ministrorum tamen, qui sacris vestibus induti sunt, pedes non lauet, in Conuentibus maioribus, in quibus multi commorantur fratres, tredecim tantum erunt lauandi, in minoribus verò, vbi ad hũc numerum vix pertingunt, omnium lauentur pedes, demptis ministris sacris vestibus indutis.

[b] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 998.

[c] Ru. Miss.

Porrò, vt hæc omnia grauiter, & deuotè à superiore perfici valeant; Diaconus morosè ea verba, quibus cæremoniæ adiunctæ sunt, legat. Superior verò ea, qua par est, grauitate, ac deuotione vniuersa exequatur. Diaconus verò, vbi ad ea verba peruenerit. *Postquam ergo lauit* &c. Vlterius non progrediatur. Mox verò fratres in duos Choros dispertiti, ad mensas oppositas sedentes,[d] primus Chorus clara voce cantet Antiphonam: *Mandatum nouum* &c. altero Choro respondente, *Beati*, & sic alternatim canantur Antiphonæ, versus, & Psalmi, donec lotio pedum absoluta fuerit.

[d] Rit. Miss.

Ea tandem peracta, postquam superior lauerit, & parato

Digitized by Google

rato ſibi linteo exterſerit ſibi manus, Diaconus Euangelium proſequatur ab eo loco. *Poſt quam ergo* &c. Cum legerit, *accepit veſtimenta ſua*. Superior Pallium Acolytho miniſtrante ſibi in humeris imponat, & cum ea verba audierit, *Et cum recubuiſſet iterum* &c. Rurſus in priori loco in Capite menſæ ſedeat vſque ad finem Euangelij, quo expleto Diaconus deferat librum oſculandum ſuperiori, qui eo deoſculato voce graui ad Crucem conuerſus intonabit, *Pater noſter* &c. quo ab omnibus profundè inclinatis ſecretè dicto, recitabit verſus, & orationem, quæ poſita eſt in Miſſali. Tum proceſſionaliter, ac ſilentio, vt prius, ad Chorum reuertantur.

DE PROCESSIONIBVS PVBLICIS, & ritu in eis ſeruando.

CAP. XXI.

a Rit. Ro. PRoceſſiones, quibus vti paſſim Eccleſia ſolet, nihil aliud ſunt, præterquam ſupplicationes quædam ad impetrandum aliquod Dei donum, vel gratias Deo agendas à Populo Chriſtiano factæ, quę primum in publicas, & priuatas diſtinguntur, ex his rurſus quędam ſunt ordinariæ, aliæ extraordinariæ. Quę publicè fiunt, hæ vel ab Eccleſia ordinariè ſunt inſtitutę, vt in litanijs maioribus, vel minoribus, in feſto Corporis Chriſti, In Dominica Palmarum, ac ſimilibus: vel à ſummo Pontifice, aut ordinarijs locorum ad commune commodum, ac vtilitatem extraordinariè indicuntur, veluti in Iubileis, vel ob graue aliquod Peſtis, inediæ, belli, aut alterius publici damni periculum: ſiue ad diuinum auxilium implorādum, ſiue ad gratiarum actionem propter aliquod

Digitized by Google

aliquod beneficium publicè à Deo acceptum. Priuatę verò, vel intra Ecclesiarum limites, aut circuitum ordinariè fiunt: sicut quæ in die Purificationis B. Virg. in feria quinta, & sexta maioris Hebdomadæ, in festo Portiunculæ, in electione Generalis, aut Prouincialis ministri in loco Capituli celebrari solent, vel etiam si extra limites Monasterij ad alienas fiant, priuatim tamen sine Clero vrbis instituantur, vel extraordinariè pro aliqua Monasterij, aut Congregationis, aut vrbis necessitate à fratribus instituuntur.

Nos in hoc Capite primum de publicis processionibus agemus: tum in sequenti de priuatis, si non omnibus, saltem aliquibus: cęteris in proprium locum reiectis, vbi de illarum dierum solemnitate res erit.

[b] Publicis processionibus, quæ ab ordinario indicuntur, quoties vocamur, ijs toties statuta hora interesse debemus, [c] dummodo Monasteria nostra nimis ab vrbe, vel ab oppido non distent. Etenim à Congregatione Illustrissimorum Cardinalium super regulares deputata, declaratum fuit, Regularium Monasteria vltra medium milliare ab vrbe, vel oppido distantia ad processiones minimè esse compellenda. In alijs, quæ ab Ecclesia sunt instituta, locorum consuetudo seruanda est, nec tamen vllo modo cum ordinarijs nobis altercandum est, si quandoque præter consuetudinem ad ipsas inuitemur: sed iuxta Euangelij consilium. [d] Qui angariauerit nos mille passus, eamus cum illo, & duo millia.

[b] Concil. Trid. sess. 25. c. 13.

[c] Bulla Congreg. Card.

[d] Matt. 5.

[e] Ritus verò in processionibus publicis à nobis seruandus, hic erit. Primum, tempore, quo ad Processionem eundum est, ritè explorato, Diuinum officium, ac Missæ superioris prudentia ita disponantur, vt omnia suo tempore sint absoluta, maturiusque [f] ad principalem Ecclesiam, vnde processio exordienda est, conueniatur. In

[e] Cær. Cler. R. lib. 2. c. 17.

[f] Act. Eccl. Med. p. 1. to. 34.

Digitized by Google

b Cærem. Cler. Reg. li.2.c.17. decorum enim est, si post inchoatam processionem nobis post illam festinandum sit.

a D.Bern. serm. 2. in festo Purificatio. a Præcedente igitur Crucifero, bini omnes suo ordine procedant, primum Laici fratres, deinde Clerici, demum sacerdotes: atque in his iuniores semper præcèdant, seniores sequantur: Postremum superior locum teneat: b omnes igitur pari passu grauiter, ac religiosè incedant; semper æqualem inter se distantiam ac proportionem seruantes, vnius videlicet passus inter laterales, trium verò inter præcedentes, ac sequentes; propterea quisque modestè, ac deuotè sequẽtes obseruet, ne forte eos longè post se relinquat, nullus tamen sibilum, aut vocis strepitum edat, quo alios admoneat.

b Act. Eccl. Med. p. 1. fo.34.

Cærem. Cler. Reg. li.2.c.17.

c Cærem. Cler. Reg. li.2.c.17. c Quod si interdum contingat, posteriores cum processione sistere, ac priores progredi, nullus tamen interim vociferationis tumultus edatur: sed superior vno ex sacerdotibus, qui in secundo ordine illi propior est, accito, eum ad Crucifernm monendum mittat, vel secularem aliquem ad id officium destinet.

d Synod. Med. 1. c. de proces. d Porrò si vbique, maximè tamen in Processionibus religiositas, ac modestia seruanda est: propterea vniuersi rectam Corporis compositionem custodiant, demissis in terram oculis procedant: nemo cum altero colloquatur, nemo rideat, Psalmos aut Hymnos in supplicationibus publicè cantari non probamus: sed antiqua Ordinis nostri consuetudo seruetur, vt absque cantu, interno tantum mentis affectu quisque Deum oret: litanias apud se priuatim recitet, & collectum in Deum animum gerat.

f Const. c. f Crux verò apud nos illius formæ sit, quæ paupertati nostræ congruit magis, lignea, altitudinis competentis, simplici pictura decorata, ex vna parte Christi Crucifixi, ex altera Beatæ Virginis immagines referente; à

qua

Digitized by Google

qua pendeat ſimplex velum lineum, aut reticulatum, abſque vllo ſerico, aut pretioſiori ornamento; ſed mundiſſimum. Hæc enim noſtro inſtituto, quo Crucis mortificationem profitemur, magis eſt accommodata.

De loco, aut præcedentia in proceſſione nemo cum alijs ordinibus diſputet: [g] ſed eo loco contenti ſimus, qui ab Epiſcopo nobis aſſignatus fuerit: licet infimus eſſet: ſic enim nos decet Apoſtolicum conſilium implere, atque omni humanæ creaturę eſſe ſubiectos: Chriſto præſertim admonente. [a] *Cum inuitatus fueris ad nuptias, vade, & recumbe in nouiſſimo loco.*

g Conſt. c.

a Luc. 14.

[b] In Proceſſionibus, in quibus Sanctiſſima Euchariſtia defertur, detecto capite eundum eſt, & candela omnibus in manibus geſtanda: in cęteris verò caput caputio tegendum: [c] cum primum ab Eccleſia exeundum eſt, qui Crucem gerit, primus ante Sacramentum genu flectat, tum Epiſcopo, ſi adfuerit, profundam reuerentiam faciat: alij verò bini duntaxat ante Sacramentum ſimul genuflectant, ac ſimul ſurgant, tum reuerentiam Epiſcopo exhibeant, alijs interea expectantibus, quod ſemper obſeruandum eſt, quoties ante Sacramentum eſt tranſeundum. [d] Vbi verò, vel ante Altaria, quę in die Corporis Chriſti in via erigi ſolent, vel ante fores alicuius Eccleſię apertas tranſeundum eſt, detecto capite reuerentia fiat. Cum ante Altare in quo Sanctiſſimum Sacramentum aſſeruatur tranſeundum eſt, primo, qui Crucem gerit, tum reliqui, quiſque cum ſuo collaterali ſocio, genuflectant; ſimul ſe inclinantes, pariter etiam ſurgentes: idem quoque obſeruetur, ſi ante Altare tranſire contigerit, in quo Miſſa poſt conſecrationem celebratur, vel in quo Sanctiſſima Euchariſtia adminiſtratur. [e] Qui candelas accenſas in manibus gerũt, eas ita ferant, vt qui à dextris ſunt, dextra manu illas teneant,

b Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 139.

c Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 383. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 17.

d Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 17.

e Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 17.

Digitized by Google

teneant, qui à ſiniſtris, ſiniſtra: Quoties per aliquem anguſtum locum tranſeundum eſt, qui iunior eſt, præcedat.

Abſoluta proceſſione cum rurſus principalem Eccleſiam ingrediuntur, caput detegant, & peractis ab ordinario orationibus, vel impertita Populo benedictione, non antea per medium Eccleſiæ incedentes, bini, (vt dictum fuit) Cruce præcedente ante Sacramentum genuflectant; & eodem ordine, quo venerunt, ad Monaſterium proceſſionaliter redeant.

DE PROCESSIONIBVS PRIVATIS.

CAP. XXII.

SI interdum contingat, ingruente aliqua, aut Eccleſiæ, aut Religionis, aut vrbis neceſſitate, priuatas à nobis ad aliquam B. Virg. aut alterius Sancti Aedem proceſſiones fieri. Primum ab ordinario licentia petatur: qua impetrata iuxta ſuperioris placitum, omnes in Eccleſiam conuenientes ante Sanctiſſimum Sacramen-
Rit. Rom. tum genuflectant: Hebdomadarius verò, vel alter ſacerdos à ſuperiore deputandus, ſuperpelliceo, ac ſtola indutus, in infimo gradu Altaris genuflexus inchoet Antiphonam, *Exurge Domine* &c. Choro poſt ipſum cantante verſum Pſalmi, *Deus auribus* &c. cum *Gloria Patri* &c. Deinde repetatur antiphona, *Exurge*, Mox duo Clerici ante Altare Maius genuflexi deuotè intonent litanias; quibus cæteri genuflexi reſpondeant, Cum uentum fuerit ad *Sancta Maria*, cuncti ſurgant, & Cruce præcedente, bini proceſſionaliter modeſtè, ac Religiosè procedant,

a Rit. Ro. a Cum litanias abſoluerint; Pſalmos pro temporis ratio-

Digitized by Google

ratione, ac neceſſitatis exigentia, vel Pœnitentiales, vel Graduales iuxta noſtrum cantandi ritum morosè, ac debitis interuallis, tam in medio verſus, quam inter præcedentis, ac ſubſequentis verſus prolationem ſeruatis, recitent.

Vbi ad Eccleſiam peruenerint, Crux ante Sacramentum pergat, ibique ſiſtat: interea omnes in duos Choros dexterum, & ſiniſtrum diuiſi, atque eo ordine, quo diſpoſiti ſunt genuflexi, ſemitam in medio vacuam relinquant: per quam ſacerdos ſuperpelliceo indutus cum ſtola, vſque ad infimum gradum Altaris gradiatur: vbi genuflectens verſus, & orationes, [b] quæ in Rituali habentur, ſicut res, aut neceſſitas poſtulauerit, recitet; Inter quas prima ſit de Sacramento, ſecunda de B. Virg. tertia de ſancto illius Eccleſiæ Patrono, quarta de S. Franciſco, [c] alia pro ea neceſſitate, de qua fit ſupplicatio, quæ habentur in Rituali Romano fo. 309.

[b] Rit. Ro.

[c] Rit. Ro.

His peractis, per aliquod temporis ſpacium, vti ſuperiori videbitur, pro ea neceſſitate ab omnibus oretur: tum ſuperior in fine quinquies, *Pater noſter*, & *Aue Maria*, brachijs in Crucis modum expanſis fratribus indicat: quibus abſolutis duo Acolythi inchoent Pſalmos Graduales, *Ad Dominum* &c. tunc vniuerſi ſurgentes, atque iterum ſuo ordine ante Sacramentum genuflectentes, eadem via Cruce præcedente regrediantur, & ad Monaſterium redeant. Si ad plures Eccleſias in via ſit diuertendum: ſacerdos cantet Antiphonam cum verſu, & oratione Patroni illius Eccleſiæ, & intermittantur Pſalmi, qui prius cantabantur. Deinde egredientes reſumptis Pſalmis, aut precibus eodem ordine procedant vſque ad Eccleſiam, ad quam proceſſio terminatur.

Idem quoque ſeruetur in Proceſſionibus, quæ ante fores

Digitized by Google

fores Eccleſię fiunt, eo excepto, quod proceſsio Cruce prȩcedente per oſtium Epiſtolę, ac deinde Chori egreditur: tum per clauſtra gradiens, ac circuens Aream, quę eſt ante fores Eccleſię, tandem in Eccleſiam regreditur.

DE RITV PROCESSIONIS IN FESTO Portiunculæ.

CAP. XXIII.

IN feſto Portiunculę, quandoquidem conſuetudo, & quidem pia, inoleuit, vt ad conſequendam Indulgentiam Plenariam, quę noſtris Eccleſijs Pont. Max. benignitate conceſſa fuit, proceſsio aliqua ad illius formam, quę Aſsiſij apud Sanctam Mariam Angelorum quotannis fieri ſolet, inſtitueretur. Idcirco ante ſecũdas Veſperas diei, quando fratres, confeſsione prȩmiſſa, iam mane ſacra Euchariſtia refecti fuere, poſt primum Campanę ſignum, omnes in Choro conueniant, Crux paretur, ſuperior verò, aut alter ſacerdos iuſſu ſuperioris ſuperpelliceo, ac ſtola inſuper Amictus, cum alijs ante Altare genuflectens, intonet, *Te Deum laudamus*, & vſque ad ſanctus dicatur flexis genibus, deinde ſurgentes Cruce prȩcedente per fores Eccleſię egrediantur, ac circumeuntes Aream, quę eſt ante Eccleſiam, rurſus ingrediantur Eccleſiam, & cum ad Altare peruenerint, cuncti, (vt dictum fuit) ſuo ordine genuflectentes ſuperior, vel ſacerdos ad infimum gradum accedat, Tũ duo Acolythi poſt ſacerdotem ſtantes, ſequẽtes verſus clara voce dicant.

℣. *Ora pro nobis ſancta Dei genitrix.*

℟. *Vt digni* &c.

℣. *Ora*

Digitized by Google

℣. *Ora pro nobis B.P.Francisce.*
℟. *Vt digni* &c.

His expletis sacerdos surgens,& facta Altari reuerentia dicat.

℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor* &c.
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Deus qui corda fidelium &c.
Concede nos famulos &c.
Deus qui nos per singulos annos &c.

Quibus absolutis pro indulgentia superior omnibus indicat,vt recitent quinquies, *Pater noster*, & *Aue Maria*,brachijs in crucis modum expansis.

DE PROCESSIONE TEMPORE CAPITVLI post electionem Generalis, vel Prouincialis Ministri.

CAP. XXIV.

EXpleta electione admodum R.P.Generalis in Capitulo Generali,vel R. P.Prouincialis in Capitulo prouinciali, ac publicè de more pronunciata, statim à primo Definitore inchoetur alta voce Hymnus, *Te Deum laudamus*, quem Patres in Capitulo existentes per Choros diuisi alternatim prosequantur,& bini gradientes processionaliter per ianuam Monasterij, Cruce præeunte,exeuntes ad Ecclesiam pergant. Definitores quisque suo ordine bini proximè ante Generalem, aut Prouincialem incedant: Generalis verò,aut Prouincialis comite Generali, aut Prouinciali nuper officio Defuncto

Digitized by Google

functo post omnes gradiatur.

Cum ad Ecclesiam ventum fuerit, Cruciferarius cãcellos non ingrediatur, sed ante Sacramentum à latere Epistolæ genuflectens, reliqui etiam, (vt alias dictum fuit) in duas Classes diuisi, quisque suo ordine genuflectat, ita tamen, vt inter eos media sit via.

Vbi Generalis, aut Prouincialis ad fores Ecclesiæ peruenerit; primus definitor illi aspersorium offerat, quod ille accipiens, & sequente Acolytho cum vasculo aquæ benedictæ, & per medium gradiens, fratres hinc inde genuflexos aspergat, donec ad Altare peruenerit, vbi aspersorium Acolytho reddens in infimo gradu Altaris genuflectat. Tunc duo postremi definitores, fratribus respondentibus, intonent versiculos.

℣. *Confirma hoc Deus quod* &c.
℟. *A templo sancto* &c.
℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.*
℟. *Vt digni* &c.
℣. *Ora pro nobis B. P. Francisce.*
℟. *Vt digni* &c.

Tunc surgens primus definitor, stola sibi collo imposita cantet versiculos, & orationes.

℣. *Domine exaudi* &c.
℟. *Et clamor* &c.
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum* &c.

Oremus.

Deus cuius misericordiæ non est numerus &c.
Concede nos famulos tuos &c.
Deus qui Ecclesiam tuam &c.

Deinde stans in cornu Euangelij breui quodam sermone preambulo, sigillum Religionis, aut Prouinciæ Generali, vel Prouinciali tradat, stolaq; illius collo imposi-

Digitized by Google

poſita, ſedeat Generalis, vel Prouincialis in ſcabello poſt infimum gradum Altaris à latere epiſtolæ ad hoc parato. Primusque definitor ante omnes, facta prius reuerentia Sacramento, genuflexus illius manum in ſignum ſubiectionis, & obedientię oſculabitur, & poſt eum ſuo ordine Reliqui etiam PP. Definitores, quos Generalis, aut Prouincialis miniſter grato amplexu excipere debet; cęteri deinde omnes præmiſſa Altari reuerentia non turmatim, aut confusè, ſed bini tantummodo, & ordinatè ipſius manum oſculentur.

Romæ verò, dum Generale Capitulum celebratur, ſi ſanctiſſimi pedes proceſſionaliter oſculandi ſint, primũ dies, & hora certiſſimè exploretur: tum Patres Capituli cum R. Patre Generali, & Definitoribus ſimul in Eccleſiam conuenientes proceſſionem inſtruant, Cruce demore pręunte: Generalis ſtolam non deferat: omnes demiſſis oculis, ac recta corporis compoſitione incedentes, cum ad aulam Sanctiſſimi peruenerint, prius ſe ante illum profundè inclinent; tum procidentes bini, ſucceſsiuè, ac deuotè, ſine mora tamen, ipſius pedes, vbi Crux apparet, oſculentur: Mox ſurgentes rurſus profunda reuerentia eidem facta, proceſsionem ſequantur.

Quod ad Proceſsionem attinet, quę tempore Capituli Generalis inſtituitur ad nouem vrbis Eccleſias inuiſendas: in ea idem ritus, qui ad modeſtiam, religioſitatem, corporis compoſitionem, ſilentium, oculorum demiſsionem, ac cętera religioſi animi ornamenta ſpectant, quam maximè commendantur: vt in vrbe, quę orbis caput eſt, optimos virtutum odores efflantes, orbem vniuerſum eorum ſuauitate repleant.

Cętera verò, quę tum ad ſtationes Eccleſiarum, tũ ad Matutinam illius diei refectionem pertinent; cum à R. P. Ge-

Digitized by Google

R. P. Generalis potissimum prudentia pendeant, ipsius erit sollicitè prouidere, vt vniuersa piè, deuotè, ac religiosè fiant.

DE ORATIONE MENTALI, ET RITV in eo seruando.

CAP. XXV.

CVm inter varia orationum genera, quibus animus à terrenis liber, velocius ad Deum conscendit, mentalis oratio procul dubio potissima sit, atque adeo Religioso viro necessaria, vt frustra absque illa vllus in virtute profectus expectari possit: Ex ea enim, & malorum fuga, & omnium bonorū amplexus exoritur. Hac oratione, velut diuina quadam luce illustrati, nos ipsos, quam miseri, quam sceleſti, quam omni bono indigni simus, agnoscimus: eadem quoq; quam bonus, & suauis sit Deus, quam pius, quam benignus, quam misericors, quam super omnia diligendus intuemur. Hac mundana omnia, tanquam vilia, ac despectabilia contemnimus, atque è regione in æternorum spem, ac desideriū attollimur. Hac vitia, ac scelera horrescimus, honestas verò, ac proficuas virtutes exquirimus. Deniq; mentalis oratio, (vt Victorinus ait) *est Animæ claustrum, in cuius sinu dum se recipit animus sola cœlestia meditatur, separatur à terrenis, à turba cogitationum carnalium longè ponitur, dulces carnis aufugit defectus, vagos sensuum motus restringit, in Domino delectatur; Angelica fruitur dulcedine, legit in libro vitæ summi Patris bonitatem, Angelicæ creaturæ beatitudinem contemplatur: Attendit bonitatem, cui nihil deest; Beatitudinem, quæ nullo indiget; Patris potentiam, filij sapientiam, Spiritus Sancti*

Hugo Victor de claustr. c. 1.

Digitized by Google

Eti benignitatem considerat.

Hinc grauissimè à maioribus nostris constitutum fuit, vt præter vocales, ac priuatas vniuscuiusque orationes, binæ in quolibet naturali die horę instituę essent, in quibus fratres huius tam pię, ac necessarię orationis studio in Ecclesia publicè incumberent. Altera quidem, quę per totum anni curriculum post Completorium fiat. Altera verò, quę à die Natiuitatis B. Virg. vsque ad octauam Paschę post matutinas horas nocturno tempore; A die autem octauæ Paschæ rursus vsque ad Natiuitatem B. Virg. post Nonam hora pomeridiana celebretur.

Verum qui in ea ritus obseruari debeant, statuendum est. Imprimis cum Mentalis oratio post Completorium fit, vbi ad Canticum *Nunc dimittis* &c. ventum fuerit, Sacrista pro signo orationis tres tantum ictus cõcisos Campana pulset, vt Laici fratres opportuno tempore in Chorum conueniant: tum recitatis litanijs B. Virg. cum inchoatum fuerit, *Sacrosanctæ* &c. Sacrista horologium puluerarium, quod in legili paratum esse debet, vertat. Post *Sacrosanctæ* &c. dicto, *Pater noster*, & *Aue Maria*, & dato signo ab Hebdomadario, si dies Ieiunij fuerit, omnes à superiore benedictionem postulent, dicentes, *Benedicite*, quibus superior benedicat dicens, *Benedictione perpetua benedicat vos Pater æternus:* vel si Sabbatum, aut dies B. V. sacratus fuerit. *Nos cum prole pia* &c. vel alia pro arbitrio benedictione vtatur.

Mox fenestræ omnes, tam Chori, quam Ecclesiæ, ac fores Ecclesiæ claudantur: fratres verò præsertim Iuniores in Ecclesiam se conferant, ac loca inter se mediocriter distantia sibi ad orandum eligant; ne alter alterius deuotionem impediat: orantes verò honestam corporis compositionem seruent. Turpe enim est, si ita

Digitized by Google

molliter, aut remissè se in oratorijs statuant, vt vel proni super ea decubent, vel brachijs, ac tebijs resolutis modo in vnam, modo in alteram oratorij partem corpus protendant; vel talos sibi pro sede cõstituant: vel, quod indecentius est, in proximum scamnum toto corpore procumbentes, in eo lecti mollitiem querere videantur: sed orantes vel genuflectant, vel stent: sedere autem non nisi senioribus ętate, vel morbo aliquo grauatis permittitur. Denique eam corporis, ac membrorũ compositionem præferant, quę cęteros ædificare, ac spiritum potius iuuare, quam eneruare queat: Mens enim plerunque corporis statum, & compositionem sequitur. E regione corporis compositio, vt plurimum animi dispositionem, qualis sit, declarat. Talis igitur in oratione quisque esse studeat, qualem esse decet, qui coram Deo oraturus stat, ne oratio eius fiat in peccatum.

Porrò orationi incumbentes non ea tantum studio persequantur, quę ad intellectus illuminationem iuuãt; sed in ea potius animum intendant, quę ad mentem diuina charitate inflammandam conferunt, qualia sunt innumera Dei beneficia in eos collata, singularis quoque illa Dei beneuolentia, tot præclaris amoris argumentis in Vocatione, in præseruatione a peccatis, in cœlestium donorum effusione, in passione, ac morte filij sui, ac mille alijs modis illis exhibita. E regione propriæ nihilitatis, vilitatis, & ingratitudinis abissum intueantur. Inculpatissimam quoque Christi vitam, passionem, & mortem sępe animo reuoluant, quam in partes distributam quilibet vna saltem orationis hora, feruentiori, qua potest pietate, tandiu prosequi debet, quoad vniuscuiusque animus feruentissima tam amantissimi Redemptoris dilectione supra humanum sensum incen-

Digitized by Google

incensus, eo charitatis appulerit, vt nihil præter Christum videat, cogitet, meditetur, diligat, atque intus in mente gerat: atque ita Christo charitatis vinculo constrictus sit, vt sibi propemodum mortuus, & cum Christo Cruci suffixus iã non in seipso, sed in Christo viuat.

Cum oratio fit post matutinas horas, ad *Benedictus*, detur signum Campana à Sacrista tribus ictibus; & post litanias sanctorum, verso ad *Sacrosanctæ* Horologio, oratio inchoetur, si verò oratio fiat post Nonam, cum ad vltimum Nonæ psalmum ventum fuerit, detur signum consuetum Campana: ac post litanias sanctorum verso Horologio oratio initium accipiat.

Ab oratione autem nemo se ipsum subtrahat, nemo recedat, nisi facultatem à superiore, vel à maiori, qui est in Choro, impetrauerit. Elapsa verò hora tres ictus Campana dentur à sacrista, vt omnes orationis horam defluxam esse intelligant.

DE PVBLICA FRATRVM FLAGELLATIONE, & ritu in ea seruando.

CAP. XXVI.

ANtiqua sanctorum Patrum Religione apud omnes ferè alicuius nominis Ordines, qui vel carnis castigationem præclara aliqua viuendi norma professi sunt, vel pristinæ conuersationis leges posteriori inobseruantia non labefactarunt, vsu receptum est, vt tũ ad cõmemorandas Christi passiones, ac potissimũ acerbissima eius flagella, tum etiam ad edomandã carnis petulantiã, in his publica flagellatio institueretur. Hinc cum sãctissimè à maioribus nostris sancitũ sit, vt ter in qualibet Hebdomada nimirum secunda, quarta, & sexta fe-

Digitized by Google

ria fratres publicè in Ecclesia se flagellis cędant. Quis in ea modus, & ritus ab omnibus obseruandus sit, vt vniformitas vbique colatur, explicandum est.

Flagellationes, quæ ter in Hebdomada ex prędscripto constitutionum iterantur, omnes in Ecclesia post Matutinas horas fieri debent, nisi vehementi frigore vrgente in Vesperum post Salutationem Angelicā transferantur.

Cum post Matutinas fiunt, si litanię sanctorum Matutinas horas sequantur; circa finem orationum, quæ post litanias dicuntur, Sacrista lucernulam accensam extra Chorum, vel in Ecclesia, loco aliquo ita occluso abscondat, vt illius lux omnino videri non possit: Interim pars fratrum in Choro maneat pars in Ecclesiam se conferat: ac locis, sibi debita inter eos distantia obseruata, dispertitis, expectent; donec vltima oratione peracta Sacrista lampadem ante sacram Eucharestiam ardentem extinxerit.

Extincta lampade, vnusquisque seipsum deuotè, ac honestè ad flagellationem componat, quam à renibus vsque ad talos, prout cuiusque deuotio fert, exercere poterit.

Nemo tamen flagellationē inchoet, donec superior absoluto, *Sacrosanctæ* &c. & *Pater noster*, cum *Aue Maria*, intonauerit Psalmum *Miserere mei Deus* &c. quem simul cum psalmo, *De profundis*, alternatim qui in Choro, & qui in Ecclesia sunt, morosè, ac debitis interuallis altiori tono canere debent. Tum omnes pariter dicant *Christus factus est* &c. Hebdomadario orationē *Respice* &c. recitante. Post orationem canatur eodem tono ab omnibus Antiph. *Salue Regina*, ab Hebdomadario verò quinq; orationes piè ad ipsius arbitriū dicātur, ac postremā cōcludat, *per Christū Dominū* &c. *Diuinū auxiliū* &c.

Pater

Digitized by Google

Pater noster, Aue Maria, quo dicto superior, vel qui locum superioris in Choro sibi vendicat, finem flagellationis pedis allisione, vel flagelli percussione indicet.

Eo signo edito cuncti habitu demisso seipsos ad pristinam formam componant: tum paruo aliquo temporis spacio elapso, benedictionem à superiore petãt vnanimes acclamantes, *Benedicite*, quibus superior benedicat dicens, *Benedicat nos Dominus noster Iesus Christus, qui pro nobis fuit flagellatus, & Crucifixus.* tum vnum, vel tria, vel quinque *Pater noster*, & *Aue Maria*, ab omnibus deotè exsoluenda iniungat, antequam lucerna accensa à Sacrista proferatur. Ijs absolutis Sacrista lucernam accensam producat, ac lampadem Sacramenti accendat.

Si post Matutinum litanię non dicantur, post Antiphonam *Salue Regina*, fratres surgant, & sua sibi quisq; loca pro flagellatione conciliet, lucerna à Sacrista abscondatur, ac cętera, vt explicatum fuit, pręstentur.

Si verò flagellatio eiusdem diei ad vesperum transferenda sit, Completa hora orationis, cunctę Chori, & Ecclesię fenestrę à Clericis claudantur, lucerna de more à Sacrista accendatur, & abscondatur, lampas extinguatur, ac cętera, quę dicta sunt, tam in flagellatione, quàm post flagellationem obseruentur.

Finis secundi libri.

Digitized by Google

DE SACRIS RITIBVS

IVXTA ROMANAM REGVLAM vsui Fratrum Minorum Capuccinorum accommodatis.

Liber Tertius.

IN QVO DE RITV IN SACRORVM VSV, & administratione seruando agitur.

DE SVPELLECTILE ECCLESIAE necessaria.

CAP. I.

DOMVS Dei, in qua longè præstãtius, quàm in Salomonis Regia, ordinata quadam Ministrorum seriè pleraque, ac distincta Deo Ministeria exhibentur, sacra sua supellectile indiget, qua Diuina Mysteria ritè,& honestè administrari queant; maiores quidem seu Cathedrales Ecclesiæ, in quibus diuini huius Ministerij Maiestas potissimum elucere debet; precioso-

Digitized by Google

cioſiorem, ac vberiorem, (vt par eſt) ſupellectilem, ac rerum Sacrarum copiam ſibi vendicant: Nos verò, quibus rerum omnium paupertas pro ſummis diuitijs eſſe debet; tenui, ac neceſſaria duntaxat Eccleſię ſupellectile contentos, ac diuites eſſe oportet. Id enim ſtatus noſtri humilitas, ac tenuitas poſtulat, & ſummorum Pontificum ſanctiones inculcant, ac pręſertim Clementina, cuius verba hic referre lubet: vt quę, in Eccleſiarũ ſupellectile comparanda, regula nobis pręſcripta ſit, nemo ignoret.

Quamuis etiam (inquit) *paramenta, & vaſa eccleſiaſtica ad honorem diuini nominis ordinentur: propter quæ omnia fecit ipſe Deus: tamen quia abſconditorum eſt cognitor, ad animum ſibi miniſtrantium reſpicit principaliter, non ad manum: nec per illa ſibi vult ſeruire, quæ ſuorum ſeruitorum conditioni diſſonarent. Propter quod ſufficere debent eis paramenta, & vaſa Eccleſiaſtica decentia, in numero, & magnitudine ſufficientiæ competenter. Superfluitas autem aut nimia prætioſitas, vel quæcunque curioſitas in his, ſeu alijs quibuſcunque, non poteſt ipſorum profeſſioni, vel ſtatui conuenire. Quapropter præmiſſa ſeruari à fratribus volumus, & mandamus.* Ita Clemens. Clem. V.

Porrò vt debitus in his diſcutiendis à nobis ordo ſeruetur: prius explicandum erit, quęnam in Eccleſijs noſtris, tam in Choro ad diuina officia celebranda, quã in Sacriſtia, & Altaribus pro Miſſarum celebratione ſacra ſupellex in genere neceſſaria ſit, deinde ipſius numerum, ac prętioſitatem expendemus.

Supellex Chori pro diuinis officijs celebrandis.

Sedilia parua iuxta vſum Congregationis abſque ſubſellijs.

Digitized by Google

Reclinatoria ante ſedilia abſque vllo artificio, aut curioſitate.
Capſulę cum calce ad conſpuendum.
Legile abſque vlla operis cęlatura.
Pſalterium reformatum.
Breuiarium Hebdomadarij.
Breuiarium legilis.
Ordinarium Diœceſis.
Liber Martyrologij cum commento Baronij.
Sacerdotale Romanum.
Rituale Romanum reformatum.
Rituale Congregationis.
Lucerna maior.
Lucerna minor.
Emunctoria.
Vas ad proijciendum, quę emuncta ſunt.
Vas aquę benedictę in ingreſſu Chori.
Aſperſorium.
Tabellę indicatorię *Alleluia*, & *Laus tibi Domine* &c.
Imagines Chriſti Crucifixi, & B. V. M. in interiori facię Chori.
Horologium pulueris pro oratione mentali.
Candelabrum triangulare pro triduo maioris Hebdomadę.

Supellex Sacriſtiæ.

a Act. Eccl. Med. p. 4. tit. 20.

a In qualibet noſtrarum Eccleſiarum, iuxta Eccleſiaſticas leges, Sacriſtia parua eſſe debet à Choro diſtincta, quę verſus orientem, & meridiem opere fornicato ſit extructa: ne locus ob ſacras veſtes humidus ſit: ita tamen Eccleſię ſit coniuncta, ac diſpoſita, vt ex ea, tum ad maius Altare, tum ad ſacellum, aut ſacella breuis, & aperta via pateat. Cęterum quę Sacriſtię vſui neceſſaria ſunt, hęc cenſentur. Men-

Digitized by Google

Menſa Sacriſtiæ panno aliquo colorato obtecta.
Armaria pro indumentis ſacerdotalibus menſæ coniuncta.
Armariola pro purificatorijs, ſudariolis &c.
Imago, vel ſtatua Crucifixi parieti ante menſam Sacriſtię affixa.
Oratoria duo pro ſacerdotibus.
Paruæ Imagines Chriſti, & B.V. ſimul cum tabellis præparatorijs ad Miſſam ante oratoria affixa.
Cribrum retibus confectum pro hoſtijs emundandis.
Cribrum ſetaceum pro farina expurganda.
Tabella celebrantium, ac miniſtrantium Miſſis.
Tabella Miſſarum celebrandarum.
Labrum lapideum pro lotione manuum.
Labiolum lapideum pro lixiuio, vel Vas furfuris, aut ſaponis, pro manuum expurgatione.
Manutergia.
Arca, in qua recondantur Pallia tellaribus extenſa.
Situla vna, vel plures ad hauriendam aquam.
Tripos ad fouendum ignem.
Forceps tripodis.
Vas olearium maius.
Vas olearium minus.
Lecythus olei vnus, vel plures.
Infundibulum ad oleum depromendum.
Scopulæ paruæ ex cannulis paluſtribus compactæ.
Scopæ maiores.
Caudæ vulpium.
Scalæ geſtatoriæ.
Haſtilia, ſeu perticæ.
Spongiæ.
Inſtrumentum ferreum vnum, vel plures ad conficiendas hoſtias.

Vas

Digitized by Google

Vas maius pro aſſeruandis hoſtijs.
Vaſa item lignea ad vela recondenda.
Vaſcula pro Hoſtijs maioribus,& minoribus.
Peluis, vas fictile, vel ex auricalcho ad farinam per hoſtijs compingendam.
Vas ad abſtergendos Calices, Patenas, & lauanda corporalia,& purificatoria aptum.
Forfices pro incidendis hoſtijs.
Forfices pro vnguibus.
Coclear oblongum ex auricalcho.

Pleraque alia iuxta Eccleſiarum vſum, & conſuetudinem Sacriſtiæ deſeruire ſolent, quæ ſuperiorum præſertim prudentię dijudicanda relinquuntur, an neceſſaria ſint,aut ſuperflua. Id tantum cauendum eſt, ne vaſa, quæ Sacriſtiæ vſui inſeruire debent, alteri communi vſui applicentur.

Supellex Altarium.

Tabernaculum Sanctiſſimæ Euchariſtię.
Conopęum quod ſuper Altare pendere debet.
Pixis, Velum Pixidis.
Cruces Altarium.
Lampas.
Cereoſtata.
Crux geſtatoria.
Suppedanea Altarium.
Scamnum ad Sanctiſſimam Euchariſtiam accipiendam.
Opertoria Altarium colorata.
Tabella ſecretorum.
Tabella Euangelij Sancti Ioannis.
Opertorium Altaris lineum.
Tintinabulum.

Iconę.

Digitized by Google

Iconæ.
Emunctoria.
Opercula extinctoria.
Mappę.
Pallia.
Vela tabernaculi.
Tela stragula Altaris.
Vrceoli.
Peluiculę Vrceolorum.
Tabella pacis.
Thuribulum.
Nauicula.
Coclear.
Missalia.
Calices.
Patenę.
Corporalia.
Pallę.
Vela Calicum.
Burse Corporalium.
Purificatoria.
Sudariola pro emungendis naribus.
Manutergia Altaris pro digitis abstergendis.
Puluinaria.
Integumenta Missalium.
Superpellicea.
Manutergia maiora.
Amictus.
Albę.
Cingula.
Manipuli.
Stolę.
Casulę.

Cre-

Digitized by Google

Crepidę pro celebrantibus.
Mappulę pro communione fratrum,& ſecularium.
Ciathi pro vino purificationis.
Vaſa olei infimorum.
Candelabra.
Candelabrum Cerei Paſchalis.
Arundo pro tribus candelis Sabbathi Sancti.

DE QVANTITATE CVIVSLIBET ſupellectilis.

CAP. II.

HActenus ſupellectilem Eccleſijs noſtris neceſſariam indicauimus, & à non neceſſaria diſtinximus. Iam verò ipſius quantitas diligenter à nobis exploranda eſt,ne ea honeſtum, ac debitum cuique Eccleſię numerum excedat. Porrò in ea indaganda nonnihil inter Eccleſias nobis diſtinguendum eſt. Quędam enim Eccleſię in Oppidis, & etiam paruis vrbibus conſtitutę ſunt, quibus duo duntaxat Altaria ad Miſſarum celebrationem ſufficiunt. Alię verò in maioribus quibusdam vrbibus conſtitutę reperiuntur, quę vnico ſacello non contentę, alterum addunt. Poſtremo alię quoque Eccleſię in maximis vrbibus habentur, in quibus cum plura ſacella,aut Cappellę ſint extructę,atque in his maior ſacerdotum numerus adſit, ampliori proinde ſupellectili indigent.

His itaque conſtitutis,vt ſua cuique Eccleſię pro Altarium numero ſupellectilis portio aſſigetur, ſupellex Chori eadem numero erit omnibus,prętерquam capſularum ad conſpuēdum,quę in minoribus Choris quinque eſſe debent,plures verò in maioribus addi poſſũt,

iuxta

iuxtá cuiuſque Chori magnitudinem, cætera verò Chori ſupellex prout ſuperius adnotata fuit, ſimplex apud omnes noſtri Ordinis Eccleſias eſſe debet. Sacriſtiæ quoq; ſupellex prǫter ea, quę hic dupplicata indicabimus vbique ſimplex habeatur.

Oratoria duo.
Tabellę prǫparatorię ad Miſſam duę.
Imagines pro oratorijs, quot ad pietatem conferunt.
Scopulę paruę, & magnę plures.
Caudę vulpium duę.
Scalę geſtatoriæ duæ.
Haſtilia, ſeu perticę duę.
Spongię duę.

Manutergia maiora in minoribus Eccleſijs vbi quinque, vel ſex Sacerdotes celebrant, quindecim vel ad ſummum viginti ſufficiant: In maioribus verò iuxta maiorem, vel minorem Sacerdotum numerum ad Quadrageſimum, vel ad ſummum ad quinquageſimum non vltra pertingant.

Altarium verò ſupellex, vbi in Eccleſijs noſtris duo tantum Altaria fuerint, hunc numerum non excedat.

Conopea duo.
Pixis vna.
Cruces Altarium duæ.
Lampades duę, vel tres.
Candelabra pro maiori Altari ſex maiora, duo minora.
Pro Altari ſacelli quatuor.
Cereoſtata duo pro maiori Altari.
Pro Altari ſacelli vnum.
Tabellę ſecretorum duę.
Tintinabula duo.

Iconę

Digitized by Google

Icones duæ.
Emunctoria quatuor.
Operacula extinctoria quatuor.
Suppedanea duo.
Opertoria colorata duo.
Telæ stragulæ Altarium duæ.
Crepidæ pro celebrantibus octo.
Mappæ superiores Altarium octo.
Mappæ inferiores sexdecim.
Vela tabernaculi vnum cuiuslibet coloris à rubricis prescripti, nisi vbi aliquod fuerit spectabilius, quod pro maioribus sollemnitatibus assumi decet.
Vestis Pixidis vna.
Vela Calicis tria cuiuslibet coloris.
Calices duo, vel tres cum suis Patenis.
Corporalia quindecim, vel circa.
Pallæ totidem.
Bursæ corporalium tres cuiuslibet coloris.
Purificatoria quinquaginta.
Sudariola pro emungendis naribus triginta.
Manutergia Altaris totidem.
Puluinaria cuiuslibet coloris tria.
Superpelliceum vnum.
Manutergia Sacristiæ viginti.
Amictus viginti.
Albæ duodecim.
Cingula duodecim.
Casulæ cum stolis, ac manipulis tres cuiuslibet coloris.
Mantilia pro mensa Sacristiæ tria.
Mappulæ pro communione fratrum tres.
Thuribulum vnum cum Nauicula, & cochleari.
Vrceoli duodecim.
Peluiculæ vrceolorum tres.

Scyphi

Digitized by Google

Scyphi pro purificatione ſecularium duo.

Atque hæc quidem ſatis abundanter, non tamen abſque ratione præſcripta ſunt, ne dum pleraque vaſa fragilia ſunt, & Altaris linteamina ſæpius ſunt mutanda, aliquid diuino cultui, vel deſit, vel ad ipſius munditiam, ac nitorem, quod potiſſimum in Altaris miniſterio ſpectandum eſt, ſit minus.

In Eccleſijs verò vbi tria, vel quinque Altaria ſunt extructa, proportione ſeruata, ſupellectiles multiplicentur.

DE QVALITATE SVPELLECTILIS.

CAP. III.

IAmpridem noſtris conſtitutionibus cautum eſt, ne in Altaris Miniſterio aurea, argentea, aut ſerica adhibeantur, nonnullis exceptis, quę tum ob vniuerſalis Eccleſiæ vſum, tum etiam ob ſummam reuerentiam, quę Sanctiſſimę Euchariſtię debetur, argentea, auro illita, aut ſerica eſſe ſolent.

Quapropter hic nos grauiſſimam, ac ſanctiſſimam tantummodo conſtitutionem inſtaurantes, iterum prohibemus ne præter ea, quę hic enumerantur Aurea, argentea, ſiue deaurata, aut deargentata, ſerica, aut filo ſerico contexta in Eccleſijs noſtris vſitentur.

Auro illita hæc erunt.

Calices.

Patenę.

Tabernaculum ligneum in quo Sanctiſſima Euchariſtia aſſeruatur, ſera, & clauis tabernaculi.

Tabernaculum geſtatorium Sanctiſſimi Sacramenti, quod

Digitized by Google

quod Cuſtodia appellatur, quod ex Pixide, lunula, ac nonnullis columnis tantum additis conficitur. Hęc omnia auro optimè illita eſſe debent.

Argentea verò ſunt cuppæ calicum.

Cuppa Pixidis.

Lunula Cuſtodiæ.

Vas olei Sancti.

Cuncta aurea, ac auro texta ab Eccleſijs noſtris omnino arcenda volumus, quæ opulentiam paupertati noſtræ contrariam fouent, præſertim cum eorum vſus non ſemel in plerisque Capitulis generalibus interdictus fuerit.

Serica verò hæc eſſe permittimus.

Vela tabernaculi.

Velum Pixidis.

Vela Calicum.

Floſculus à claue tabernaculi pendens.

Velum ſacerdotis humeris imponendum in die Ioannis Sancti, & alijs temporibus.

Velum in quod inuolui debent, vaſa olei ſancti.

Velum quoque Sanctorum reliquijs, vbicunque illæ ſunt, imponendum.

Cæterum antiqua Congregationis noſtræ conſuetudo, ac conſtitutio mordicius teneatur, vt neque in Pallijs, Caſulis, Stolis, Manipulis, aut eorum fimbrijs quicquam ſericum admiſceatur, aut ſerico textum eſſe permittatur, ſerica quoque ſignacula à Miſſalibus, ac Breuiarijs remoueantur: neque enim his, qui pauperum rerum vſum Deo vouerunt, ſericis vti licet, niſi vbi id, vel Eccleſiaſtica lex, vel publica religionis conſuetudo ferunt.

Corporalia, & pallæ ex lino tantum ſint confecta, nec

Digitized by Google

aut ſerico, vel auro intexta, ſed alba, & munda ſint à ſuperiore benedicta.

Omnia ſacerdotalia indumenta, & quecunque Altáris vſui deſeruiunt Altiſſimam paupertatem redoleant, munda tamen ſint, atque à ſuperiore benedicta.

Quo enim omnia Eccleſiarum noſtrarum ornamenta longius à fauſtu, pompa, ac nimia precioſitate abfuerint, & ad ſimplicitatem acceſſerint, eo ampliori profecto honore Deum proſequemur, qui non rerum copia, aut precioſitate, ſed humilitate potius, ac regulari obſeruantia delectatur.

DE ORNATV ALTARIS.

CAP. IV.

ALtare chryſmatis vnctione, ac ſacerdotali benedictione ſacratum, [b] Cœleſtium Myſteriorum ſedem, [c] ac Chriſti ſimulacrum eſſe doctrina eſt Dionyſij, ac cęterorum Patrum, [d] atque inde amplior eorum cultus, ac religio exorta fuit, [e] qua ſanè factum eſt, vt illuſtrior quoque his ornatus quàm cęteris Eccleſiæ rebus adhiberi ſoleat.

[f] Altaria omnia lapidea, aut lateritia eſſe debent, ſtructura verò Altaris maioris, vbi Sanctiſſima Euchariſtia aſſeruatur, [g] ſupra duos ſaltem gradus efferatur, ita vt cum ſuppedaneo tribus ad illud gradibus aſcendatur. Altitudo ad quinque palmos, latitudo menſæ ad quatuor, longitudo verò ad decem pertingat. Sacellorum autem Altaria cum Bradella duos tantum gradus habeant, eorum verò longitudo octo palmos non excedat, nulla ex parte foramen, aut feneſtellam habeant, vbi quicquama ſſeruetur, niſi forte reliquiæ Sanctorũ.

[a] Concil. Agat. c. 14. Euariſt. ap. Burch.
[b] Dionyſ. Eccl. Hier. c. 3. & 4. Optat li. 6.
[c] Aleuin. de diu. off. cap. de Cęna Dom.
[d] Syn. Rhemenſ. ap. Burch. li. 3. c. 97. Chryſoſt. in 2. ad Cor. hom. 20. Amb. ep. 14
[e] Optat. l. 6 Cõt. Dom. Syn. Rhemenſ. ap. Burch. li. 3. c. 97.

Digitized by Google

Theod. li. 1 Miſt. c. 30. *f* Euariſt. ap. Burch. li. 1. c. 27. Conc. epaunenſe c. 26. Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 802. *g* Act. Eccl. Med. f 567. *b* Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 124. Burch. li. 4. Decr. c. 97. *i* Rub. gen. Miſſ. Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 752. *k* Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 642. *a* Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 572. *b* Act. Eccl. Med. ibid. *c* Act. Eccl. Med. p. 3. f. 463.

Vbi menſa Altaris tota non fuerit conſecreta, *b* Ara lapidea, ſiue Altare portatile in ipſius medio ita collocetur, vt ſupra menſam non emineat; ſed ad omne periculum effuſionis ſanguinis Chriſti effugiendum, æqualiter inſeratur: tota verò menſa tela cerata operiatur, & Clauis configatur.

i In quolibet Altari tres Mappæ lineę mundiſſimę explicentur, quorum inferiores totum Altare tegant. Superior verò à lateribus Altaris vſq; ad gradus fluat; quæ aciculis precipuè in angulis decorè aptentur. Pallijs pro temporum varietate coloris officio congruentis ornentur, quę iuxta receptum morem *k* telaribus affixa, & æqualiter extenſa ſint: latera verò Altarium non veſtiantur faſcijs ſericis, aut ſerico elaboratis: ſed filo ad ſummum contextis, aut confectis, neque ligneę faſcię cęlatę, aut inſculptę ad frontem, & latera Altarium adhibeantur, quę pompam indicant, ſed vetus Congregationis conſuetudo integra ſeruetur. *a* Bradella, ſiue ſuppedaneum non ſolum frontem Altaris, ſed etiam illius latera à tribus partibus cingat, quod altitudine palmi ex humo extolli debet: latitudine verò à fronte Altaris quatuor palmis ſit productum: à lateribus verò palmo vno: *b* Et ne pallia, aut Mappę pedum contractu ſordidentur circum circa cornice lignea cingatur, quę non altius dimidio palmi ſupra illud extollatur.

c Quodlibet Altare pannum, vel telam alicuius coloris habeat, qua poſt Miſſarum celebrationem tegatur: Duo quoque gradus lignei nonnihil elaborati in Maiori præſertim Altari, paulo altius hinc inde à lateribus tabernaculi diſpoſiti emineant, in quibus ſex candelabra lignea opere tornateli fabrefacta, non quidem æqualia: ſed paulatim à cornibus Altaris ſe ſe erigen-

tia

Digitized by Google

tia ſtatuantur. [d] Vaſcula quoque florum, vbi opus eſt, locentur. In alijs verò ſacellorum Altaribus quatuor dumtaxat candelabra ſufficiant. [d] Cærem. Cler. Reg. li. 2. Cap.

Id tamen cauendum eſt, ne dum hiemali tempore Miſſæ antelucanæ celebrantur, & candelabra ſuper menſam Altaris collocãtur, mappa ſuperior, vel cereæ liquefactione, vel candelabrorum contactu maculetur, quod etiam obſeruandum eſt, cum vrceoli, aut peluiculæ in Miſſa ſuper menſam Altaris ſtatuuntur, ne guttæ vini, aut aquę, aut ſordes peluiculę adherentes mappam ſuperiorem commaculent. Quapropter conſultum eſt, vt ad omne huiuſmodi periculum euitandum: tam vrceolis, ac peluiculę, quam candelabris, cum in Altaris menſa collocantur, parua quędam, ac honeſta coriã exigui pretij, ac ſimplicia ſupponantur, quę ſordes omnes ad ſe colligant. Eadem quoque Altaris ſcabellulis ſub candelabris, ac vaſculis adhiberi poſſunt, vt ea mundiora ſeruentur.

[e] Tabernaculum in quo Sanctiſſima Euchariſtia aſſeruatur, quod in maiori Altari immobile eſſe oportet, tale profecto eſſe debet, quod paupertatis ſtatum non excedat: ſed ſimplici noſtrarum Eccleſiarum ſupellectili reſpondeat. Idcirco ligneum ſit, auro illitum, vel marmoreum vbi marmorum eſt copia, non tamen adeo preciofum, aut opere ſculptorio tam egregiè elaboratum, vt triginta, vel ad ſummum quadraginta aureorum numerum excedat, [f] intus vndique panno ſerico veſtiatur, vt in eo Sanctiſſima Euchariſtia Pixidi inclusa honeſtè aſſeruetur. [e] Syn. turon. 2. c. 3. Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 303. [f] Act. Eccl. Med. p. 2. fo. 136.

[g] Illud verò iuxta officiorum diuerſitatem velo ſerico ad officij colorem accommodato, ac decorè aptato, ac diſpoſito exornetur; [h] ſupra tabernaculum Conopeum, [g] Rit. Miſſ. [h] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 136.

Digitized by Google

Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 12. peum, vel laneum, vel lineum decenter, ac forma quadrata compoſitum pendeat, à quo tota Altaris menſa tegatur alia quoque ſunt, quæ ad Altaris cultum, & ornatum ſpectant, velut lampas ante Sacramentum ardens, Icona, Crux, Tabella ſecretorum, tintinabulum, Cereoſtata, opercula extinctoria, quibus Altaria carere nullo modo debent.

a Rit. Miſſ. a Verum quod ad mutationem paramentorum attinet, id omnino obſeruetur, vt iuxta Miſſalis rubricas ſaltem in quolibet feſto duplici, paramenta coloris officio accommodati Altaribus applicentur.

Cum verò ſolemnioribus quibuſdam diebus Altaria honeſtius ſolito exornanda ſunt: caueat Sacriſta, iuxta Capituli Generalis decretum, & priſcum Religionis noſtræ vſum, ne tapetia, aut periſtromata ad Eccleſię, aut Presbiterij ornatum quocunque prętextu adhibeantur: aut in ſuppedaneis ſternantur, aut tandem ſericis, ac precioſis vndique emendicatis prętter morem vtantur. Id enim pauperes Eccleſias, quales noſtræ eſſe debent, non decet. Sed pius, humilis, ac ſimplex apparatus nobis ſufficiat, ac pro ſplendidiſſimo habeatur: b qui tamen in præcipuis Domini, & B. Virg. feſtis negligendus non eſt, vt Sancti dies, qui ſingularem Religionem, ac cultum expoſcunt, pro noſtra tenuitate à nobis honeſtius celebrentur.

b Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 611. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 1.

DE

DE BENEDICTIONE, ET ASPERSIONE aquæ benedictæ in qualibet Dominica die.

CAP. V.

AQua benedicta, qua diebus Dominicis Clerus, ac Populus aspergi solent inter sacramentalia recensetur, quibus ea virtus à Deo indita est, vt Dæmones fuget, ac eorum virtutem eneruet, necnon piè accedentes venialibus culpis inquinatos emundet: solemni ritu iuxta Ecclesiasticas leges consecrari debet. [a] Rit. Miss. Rit. Rom.

[d] Quapropter qualibet Dominica die ante Primam, Sacrista aquam purissimam, ac recenter haustam in vase idoneo præparabit, sal quoque, quantum satis est, ad permiscendum aquæ, quod eatenus benedictum non fuerit; in alio vase paratum habebit: [e] tum Hebdomadarius, superpelliceo indutus, & stola violacea à Collo pendente prius sal, deinde aquam, ritu, qui in Missale, vel in rituali Romano præscriptus est, benedicat. Acolytho semper, vbi opus est, respondente. [d] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 91. & p. 4. fo. 801 Rit. Miss. [e] Rit. Miss. Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 801.

[f] Cum verò Missam Conuentualem est celebraturus, circa finem sextę, opportuno tempore indutus Amictu, Alba, Cingulo, ac Stola in crucis modum ante pectus aptata: sine Casula, & Manipulo, præcedēte Acolytho, ad Altare procedat: ante Altare genuflectat, Calicem in Altari reponat, Missale aperiat, & ad infimum gradū Altaris rediens genuflexus expectet: donec totum officium absolutum fuerit: quo peracto accipiens à Ministro aspersorium, adhuc genuflexus [a] ter primo aspergat Altare, prius in medio, deinde à dextris, postremo à sinistris, & postea immediatè seipsum, dicens, *Asperges me Domine* &c. vel *Vidi aquam* &c. iuxta temporum varietatem; [b] statim verò surgens aspergat Ministrum: tum [f] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 12. [a] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 12. Cær. Epis. li. 2. c. 31. Cær. Cōg. Cass. c. 19. [b] Cærem.

Digitized by Google

Cõg. Cass. ibid. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 12. tum per ostiolum Epistolæ Chorum ingrediens, simul cum ministro vas, aquæ benedictæ post eum deferente, neminem aspergat, donec ad medium Chori ante legile peruenerit; vbi ante Sacramentum genuflectat, mox ad superiorem conuersus, factaque eidem ante, & post inclinatione, ipsum aspergat, ac reliquos Sacerdotes, qui in dextra parte reperiuntur, deinde qui in sinistra, aspergat, ac postremo Clericos, ac Laicos fratres. Asperi verò caput aspergenti inclinent.

e Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 12. Cærem. Cõg. Cass. c. 19. d Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 12. Cærem. Cõg. Cass. c. 19. e Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 12. Cærem. Cõg. Cass. c. 19. f Rit. Miss.

e Si seculares in Choro adsint, ij quoque post Clerũ aspergantur, nisi esset aliquis Princeps, aut Gubernator, vel maiori aliqua potestate fulgens: d Princeps enim ante superiorem aspergi debet, alij post superiorem, cuiusque dignitatis ordine seruato.

e Si in Choro adfuerint Prælati, veluti Episcopi, Archiepiscopi, Cardinales S.R.E. siue sint in loco iurisdictionis eorundem, siue non, Celebrans illis reuerenter cum osculo Aspersorium porrigat, quod si renuerint, illos, facta prius, & post profunda inclinatione modestè aspergat. f His peractis Celebrans sequente Ministro ab ostiolo Euangelij ad Altare regrediatur: cuius limen egressus, astantes circum circa cancellos aspergat, atq; iterum ad infimum gradum Altaris accedat, ibique stãs Acolytho genuflexo Aspersorium reddat, qui statim accipiens Missale ab Altari, illud celebranti porrigat. Celebrans verò stans ante gradus Altaris dicit versus, & orationem *Exaudi* &c. tum librum Acolytho reddit, & Casulam eodem ministrante in cornu Euangelij induat.

g Rit. Ro.

g Si infra Hebdomadam aquam benedictam interdũ in fõte exsiccari, aut deficere contigerit, in qualibet hebdomadę die aliam eodem modo benedicere licebit.

DE

Digitized by Google

DE PACIS OSCVLO.

CAP. VI.

PAcis oſculum, inter Miſſarum ſolemnia iam à primis Eccleſiæ temporibus, ex Apoſtolica traditione exhiberi ſolitum fuiſſe paſſim [b] veteres teſtantur, ea potiſſimum ratione, vt qui in vnam Sacramentorum participationem coeunt, vnam quoque animorum coniunctionem, ac concordiam publica hac proteſtatione præſeferant. [k] Hinc Eccleſia Catholica velut ſedula diuinorum depoſitorum cuſtos, id à nobis quoque obſeruari voluit. Dominicis præſertim diebus, ac feſtiuis, quibus ea quoque feſta addere oportet, in quibus Miſſæ ſolemnes celebrantur.

[b] Flor. magiſt. in expoſ. Miſſ. Stepha. Durand. lib. 2. c. 54.

[i] S. Io. Chryſoſt. lib. 1. de comp. cor.

Innocen. I. Ep. ad Decen. c. 1.

[k] Ru. Miſſ.

[a] Cum verò pax in Miſſa danda eſt, Clericus cum ſuperpelliceo Miſſæ inſeruiat, publica enim, ac ſolemnis Eccleſiaſtici miniſterij actio ad Clericos pertinens, ab his abſque ſuperpelliceo exerceri non debet, cum primum igitur celebrans dixerit ter *Agnus Dei*, Acolythus ſumpta tabella pacis à dextro latere Sacerdotis, in ſupremo Altaris gradu genuflectens, poſtquam primam ſacerdos orationem abſoluerit, pacis tabellam eidem oſculandam porrigat: celebrans verò, oſculato prius Altari, tabellam pacis oſculabitur dicens: [b] *Pax tecum*, cui Acolythus reſpondeat, *Et cum ſpiritu tuo*, Mox ſurgens, per oſtium Epiſtolæ Chorum ingrediatur, atque vbi ad medium Chori peruenerit, ante Sacramentum genuflectat ſtatimque ſuperiori abſque vlla genuflexione, aut inclinatione tabellam pacis exoſculandam offerat, dicens, *Pax tecum*, qui ſtans pacis inſtrumentum oſculabitur. Poſt oſculum tamen Acolythus Prælato ſe profundè inclinabit, ac deinde cæteris Sacerdotibus,

[a] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 151. Rit. Miſſ.

[b] Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 16.

Digitized by Google

primum senioribus, postea iunioribus, tum Clericis, postremo Laicis pacis tabellam osculandam præbeat, nemini nisi post osculum caput inclinans.

b Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 16.

c Si Princeps fuerit in Choro, pax eodem modo prius Principi, quam superiori detur. Si Episcopus, aut alius maior Prælatus adsit, omnes in osculo pacis superiori anteferantur, cuiusque dignitate obseruata: ita vt prius Regi, aut Principi, quam Archiepiscopo, aut Episcopo, prius Episcopo, quam Generali, aut Prouinciali, prius Generali, aut Prouinciali, quam Guardiano pax offeratur, vt in omnibus modus, ac rectus ordo obseruetur,

Cærem. Epis. lib. 2. c. 24.

d Cærem. Epis. li. 2. c. 24.

d nulli tamen (vt dictum fuit) ante pacis osculum à ministro reuerentia fiat.

DE BENEDICTIONE, ET CONSPERSIONE Cinerum in feria quarta Cinerum.

CAP. VII.

e Rit. Miss.

e Cinerum benedictio, & consperſio, quæ in capite ieiunij in Ecclesia fieri solet, quandoquidem inter Sacramentalia adnumerantur, quibus omnis reuerentia debetur, idcirco ea à Sacerdote singulari religione peragi, nec minori pietate ab alijs percipi debet.

f Rit. Miss. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 13. Cærem. Epis. lib. 2. c. 18.

f Quapropter feria quarta Cinerum ante primam, vel pridie ante diem Cinerum comburantur in tripode ligna oliuarum, aut palmarum anno elapso benedicta, Cinisque in peluicula munda asseruetur, Parentur quoque thuribulum cum aspersorio, vas aquę, & mica panis in alia peluicula munda ad expurgandas manus Sacerdotis post distributionem Cinerum: g tum hora competenti superior celebrans, sacerdotalibus vestibus, ac stola violacea indutus absque manipulo, & Casula ad

g Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 18.

Alta-

Digitized by Google

Altare procedat, & duobus Acolythis præcedentibus, vno cum thuribulo, altero cum vaſe aquæ benedictæ, & aſperſorio ante Altare genuflectat, vbi facta reuerentia accedat ad cornu Epiſtolæ: [b] ſtatim verò in Choro cantetur Antiphona, *Exaudi nos Domine* &c. quam ſubmiſſa voce [i] celebrans legere debet. Ea peracta celebrans eodem loco ſtans, nec ſe ad Populum vertens dicat, *Dominus vobiſcum*, cui à Choro reſpondetur, *Et cum ſpiritu tuo* &c. ſubdat deinde orationes, quæ in Miſſali aſſignantur, ter aſpergat Cineres aqua benedicta, dicens, *Aſperges me* &c. abſque pſalmo, ter etiam illos incenſet thuribulo.

b Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 13.

i Rit. Miſſ. Cærem. Epiſ. lib. 3. c. 19.

[k] Abſoluta benedictione Vicarius, vel eo abſente ſenior, ſtola violacea ſupra ſuperpelliceum indutus ad Altare accedat, vbi facta Altari reuerentia, procedat ante celebrantem non genuflexum, ſed ſtantem in Cornu epiſtolæ, & Acolytho vas Cinerum miniſtrante capiti eius cineres imponat dicens, *Memento homo quia puluis es, & in puluerem reuerteris*.

k Cærem. Epiſ. lib. 3. c. 19.

[a] Mox celebrans ad medium Altaris pergens ad Populum conuerſus. Primum ei, à quo Cineres accepit (niſi forte aliquis Prælatus adeſſet, quibus prius Cineres dandæ eſſent) [b] ante ipſum ſtanti capite inclinato Cineres capiti imponat, dicens *Memento homo* &c. Reliqui deinde bini iunctis manibus è Choro per oſtium epiſtolæ procedant, & Cineres genuflexi accipiant, ac per oſtium Euangelij in Chorum redeant. [c] Interim à Choro cantetur, *Immutemur habitu* &c. ſi adſint ſeculares vtriusque ſexus, ipſis quoque Cineres imponantur, ijsdem verbis vtrique ſexui adhibitis. Aduertat verò celebrans, quod ijs, qui prima tonſura initiati ſunt, in Capite: cæteris verò nullo ordine, aut prima tonſura initiatis Cineres in fronte imponi debent. [d] Diſtributis Ci-

a Cærem. Cler. Reg. lib. 3. c. 13.

b Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 19.

c Rit. Miſſ.

d Cær. Epiſ. li. 3. c. 19.

Digitized by Google

Cineribus celebrans manus abluat, ac mica panis purget, & extergat: tũ Casulam, & manipulum ministrante Acolytho ex Altari accipiat, ac Missam inchoet.

Eodem manè sacrista, si sacerdos fuerit, vel alter sacerdos à superiori deputandus stola, ac superpelliceo indutus, accipiens vas Cinerum ad infirmariam pergat, & Cineres infirmis imponat.

Si quid Cinerum residuum fuerit in sacrarium projiciatur, aut honesto loco sepeliatur.

DE MISSA CONVENTVALI.

CAP. VIII.

MIssarum apud nos duo tantũ sunt genera, nempè Conuentualis, siue principalis, & priuata: vtraque verò adhuc distingui debent. Conuentualis enim, aut solemnis est, aut non solemnis. Priuata quoque, vel est de die, vel est votiua: de singulis agendum est, ac primum de Conuentuali.

e Cærem. Petri de Roijs cõst. c. f Ru. Miss. Cærem. Cler. Rub. li. 2. c. 26.

e Missa Conuentualis ea apud nos perpetua est, quę post tertiam, vel sextam pro Conuentu celebratur, cui & ipse fratrum conuentus ex nostrarum constitutionũ præscripto interesse debet. f Et quamquam interdum accidat, vt duæ, vel tres Missæ principales in eadem die iuxta rubricas celebrandæ sint, vt si in Vigilia Ascensionis occurrat aliquod festum duplex, vel semiduplex: tres tunc Missæ principales dici debent. De sancto videlicet post tertiam, de Vigilia, & Rogationibus; duæ quidem posteriores principales erunt, prima tamen de sancto tantum Conuentualis appellabitur, eo quod ea sola pro Conuentu dicatur.

g Rub. gen. Miss.

g Cęterum quamuis Rubricæ præscribant, vt Missa Con-

Digitized by Google

Conuentualis semper officio sit conformis: excipiuntur tamen Vigiliæ, & quatuor tempora infra octauam occurrentia, in quibus Missæ omnes dici debent de Vigilia, aut quatuor temporibus, in paramentis violaceis. Ac præterea sabbatha Aduentus, in quibus nisi quatuor Tempora, vel Vigilia, vel Officium nouem lectionum occurrant, tametsi officium fiat de feria, Missa tamen Conuentualis celebratur de B. Virg.

Excipiuntur quoque feriæ secundæ, & tertiæ Rogationum, in quibus Missa Conuentualis, non de officio, sed de rogationibus dici debet, cum paramentis violaceis. [a] In omnibus quoque secundis ferijs extra tempus Paschale, & Quadragesimale, vigilia, aut festo nouem lectionum non impeditis, Missa Conuentualis pro defunctis celebrari potest: atque eadem pro Defunctis dici debet prima die cuiuslibet mensis, cum officium Defunctorum in Choro persolutum fuit: alij quoque casus excipiuntur, in quibus Conuentualis Missa de officio dici non debet. [b] Quapropter siue Missa Conuentualis cum officio conueniat, siue non: ea semper Conuentualis erit, quæ post tertiam pro Conuentu dicitur.

[a] Ru. gen. Miss.

[b] Cærem. Petri de Roijs. Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 26.

Quandoque etiam fieri potest, vt Conuentualis Missa sit votiua, vt tempore Capituli Generalis, aut Prouincialis, cum ea die Generalis, aut Prouincialis electio peragenda est: tunc enim Conuentualis Missa de Spiritu sancto celebrari solet.

DE

Digitized by Google

DE MISSA SOLEMNI.

CAP. IX.

e Ru. Miſſ. Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 8.

e Missa ſolemnis ea appellatur, quæ adhibito ad ſacrificium, vel thuris miniſterio, vel pacis oſculo, feſtis quibusdam diebus ſolemni ritu celebrari ſolet. Ea apud nos ſemper eſt Conuentualis, quæ hoc diſcrimine à non ſolemni diſtinguitur, quia in non ſolemni, tametſi Conuentualis ſit, neque pax datur, neque thus in Altaris Miniſterio adhibetur. Hinc cum præter feſta ſolemnia, quæ à nobis ſuperiori libro enumerata ſunt, cuncti Dominici dies inter ſolemnes habeantur, eo fit, vt Miſſa Conuentualis, quæ in his celebratur, ſolemnis habenda ſit. d Cum in ea, & aquę benedictæ aſperſio fiat, & pacis oſculum detur, quamuis in Altari thurificatio non adhibeatur. e Pro re graui, & Publica Eccleſiæ cauſa Miſſa ſolemnis quacunque die, etiam in ferialibus dici poteſt: atque ea ſi commodè fieri poteſt, à ſuperiore eſt celebranda.

d Rit. Miſſ. Rit. Rom.

e Ru. Miſſ.

f Sup. li. 1. cap. 5. & 7. ſiip. c. 6.

f Quæ verò in ſolemni Miſſa, tam à Celebrante, quã ab Acolytho miniſtrante obſeruanda ſint, quo ritu incenſari debeat Altare, quoue ordine in Choro thurificatio exhibenda ſit, & pax danda, ante hac à nobis abũdè explicatum fuit.

DE MISSIS VOTIVIS.

CAP. X.

g Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 26.

Missa votiua eſt, quæ ex deuotione extra ſuum diem, vel extra officium diei celebratur. g Hinc colligimus, ad Miſſas votiuas ſpectare quaſcunque miſſas,

Digitized by Google

sas, aut Domini, aut B. Virg. aut cuiuscunque Sancti quę per totum anni circulum in Missali adnotantur, si extra proprium diem celebrentur, pręter eas, quę propriè votiuę appellantur.

[b] Hæ iuxta rubricas Missalis ea die, qua festum duplex occurrit, celebrari non possunt; nisi grauis aliqua necessitas vrgeat, aut insignis aliqua templi deuotio id postulet, veluti in æde Lauretana, in Ecclesia Montis serrati, & alijs, quibus id priuilegij indulgeri solet, vt etiãsi duplex, aut Dominica occurrat, votiua de B. Virg. aut Sancto illius loci celebrari possit. [b] Ru. Miss.

[i] In semiduplicibus quoque, ac simplicibus passim Missę votiuę dici non debent, vt rubricę monent, nisi grauis aliqua causa id persuadeat: quapropter sacerdotes, qui vel vt expeditius Missam absoluant, vel leui alia de causa, Missam diei in votiuam commutant, laudandi non sunt, cum rubricis non obediant, & statutas ab Ecclesia Missas nulla rationabili ex causa omittant. Quapropter pij sacerdotes id sibi velut certum persuasum habeant; Deo magis gratam ipsorum pietatem fore, si Ecclesiæ veluti dilectæ Christi sponsæ ductum sequantur, & iuxta dierum, ac temporum dispositionem Missas ab Ecclesia præscriptas, saltem vt plurimum, celebretur. [i] Ru. Miss.

[a] Missa votiua dici non debet in ijs diebus, in quibus non fieret de festo duplici, si occurreret, vt in Vigilia Natiuitatis Domini, infra octauam Epiphanię, feria quarta Cinerum, in ferijs maioris hebdomadę, & infra octauas Paschę, & Pentecostes, in quibus duplex occurrens transfertur. Cum enim rubrica prohibeat votiuas Missas celebrari, cum officium est duplex, multo magis id prohibere censendum est, cum duplex in his diebus occurrens transfertur. [a] Cæremon. Cler. Reg. li. 2. c. 26.

Missa

b Ru. Miss. Cærem. Cler. Reg. li.2.c.26. b Missa votiua, si publica Ecclesię causa, aut grauis aliqua necessitas vrgeat, quocunque die etiam Dominico, ac duplici potest celebrari. Cum verò celebratur, vnica tantum oratio, *Gloria in Excelsis*, & symbolum dicatur. c Cum verò dicitur de aliquo Sancto in oratione mutetur vocabulum (*Natalitia, aut festiuitatem*) dicaturque (*Commemorationem*). Si verò Missa votiua sit di B. Virg. dicatur, quę eodem tempore est assignata.

c Cærem. Cler. Reg. li.2.c.26.

d Ru. Miss. d In Missis votiuis non solemnibus, nunquam dicatur *Gloria in Excelsis* &c. præterquam in his quę assignantur à rubricis, & in Missis B. Virg. f Cum celebratur Missa de aliquo sancto, qui ea die occurrat: quamuis de eo non fiat officium, in ea dici debet *Gloria in Excelsis* &c. quia huiusmodi Missa non censetur votiua, sed de die propria. Ita etiam si tempore Aduentus, Quadragesimę, Vigiliarum, & quatuor temporum Missę votiuę celebrentur, de illis quidem fiat commemoratio, earum tamen Euangelia in fine Missę non legantur.

f Cærem. Cler. Reg. li.2.c.26.

g Rub. gen. Miss. g Cum Missę votiuę dicuntur tempore Paschali; Ad Introitum dicantur duo *Alleluia*, & in fine offertorij, & communionis vnum *Alleluia*. Post Epistolam non dicitur Graduale, sed eo omisso, dicuntur duo *Alleluia*, cum duobus versibus, & *Alleluia*.

h Ru. Miss. Cærem. Cler. Reg. li.2.c.26. h Missę pro Defunctis non dicantur die Dominico, aut duplici aliquo festo occurrente: neque à fortiori in illis diebus, in quibus si duplex occurrat, transfertur, vt superius explicatum fuit. i In die obitus, si Corpus defuncti præsens fuerit, dicatur Missa, quę in die obitus in Missali adnotatur. k Si verò non sit dies obitus, & tamen pro obitu dici debeat: sicut cum mors alicuius fratris nostri absentis annunciatur. Missa quidem dicatur sicut in die obitus, cum vnica tantum oratione, & sequen-

i Rub. Miss.

k Cærem. Cler. Reg. li.2.c.26.

Digitized by Google

sequentia, [l] oratio tamen dicatur quę in die tertia, septima, & trigesima assignatur: dicaturque (*cuius depositionis diem commemoramus*) tum etiam (*vt animam famuli tui fratris nostri* N. [l] Cærem. Cler. Reg. ibid.

[m] Quæ in Missis Defunctorum omittenda sunt, in Rubricis Missalis explicata habentur. [m] Ru. mis.

DE ORATIONIBVS IN MISSA recitandis.

CAP. XI.

[a] PErspicua est lex à rubricis præscripta, vt in duplicibus, nisi commemoratio aliqua facienda sit, vna tantummodo oratio de officio in Missa dicatur. In semiduplicibus vero, in Vigilijs, & diebus infra octauam, nisi plures commemorationes occurrant, tres duntaxat orationes dicendæ assignantur, variæ tamen iuxta temporum, ac officiorum varietatem: ex quo id non obscurè deducimus, ab ijs Ecclesiasticas regulas non seruari, qui plures præter necessitatem in Missis semiduplicium orationes multiplicant. [a] Ru. Miss.

[b] In alijs verò Missis plures quidem orationes dici possunt, numero impari, [c] decet tamen, vt non plures, quã septem, ad summum in vnum congerantur. In his quoque rubrica obseruari debet, vt post primam orationẽ, commemorationes, quę interdum occurrunt, alias omnes orationes siue à rubricis assignatas, siue ad libitum auctas præcedant. [d] Cum verò aliqua oratio ex assignatis ob aliquam commemorationem omittenda est, posterior semper omittatur V.G. in Missa B.V. quando de ea celebratum est officium, secunda oratio est de Spiritu sancto, tertia de Ecclesia: si commemoratio aliqua acci- [b] Ru. Miss. [c] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 26. [d] Ru. Miss.

Digitized by Google

accidat, pro ſecunda oratione, ſit commemoratio: pro tertia oratio de Spiritu ſancto: oratio pro Eccleſia omittatur.

e Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 26. eQuoties ob publicam Eccleſiæ, vel Religionis cauſam, vel à ſummo Pontifice, vel ab Epiſcopo, vel à Generali, aut Prouinciali Miniſtro oratio aliqua in Miſſa recitanda indicitur, diebus quidem ferialibus vnius locum teneat, quę dicenda eſſet ad libitum: in alijs verò diebus ſupra numerum addatur; tametſi par numerus orationum ſit. Hoc enim caſu cenſetur rubrica diſpenſari.

DE PRAEFATIONE, ET CANONE Miſſæ.

CAP. XII.

f Ru. Miſs. PRęfatio, quę propria alicui feſto aſsignatur, non ſolum ea die, in qua illud feſtum celebratur; ſed etiam per totam ipſius octauam dicatur, ſi illud octaua prędictum ſit: ſi verò infra octauã huiuſmodi feſti, aliud feſtum proprię Prefationis occurrat, feſti aduenientis

g Ru. Miſs. Prefatio dicatur: g prꝛterquam infra octauam Natiuitatis Domini, in qua propria illius octauę prefatio, quocunque feſto aduenient ſemper dici debet.

h Ru. Miſs. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 26. h Quod ſi octaua propriam habeat infra actionem, ea dicatur cum prefatione propria illius feſti. Infra actio enim propria alicuius octauę nunquam omitti debet, quocunq; feſto duplici, aut ſemiduplici infra octauã aduenient, neque etiam in Miſſis votiuis.

i Ru. Miſs. i In Canone Miſſę cum dicitur, *Et Antiſtite noſtro N.* ſpecificari debet nomen Epiſcopi illius Diœceſis, tametſi celebrans ſit exemptus, vel alterius familię.

Id

Digitized by Google

k Id enim decreuit sacra Congregatio Cardinalium. l Vbi celebrans expleuerit consecrationem Calicis, antequam illud extollat, genuflectens dicat, *Hæc quotiescunque feceritis* &c. m tum verò ne statim prosequatur verba Canonis, *Vnde & memores* &c. donec à Calicis adoratione surrexerit.

k Decret. Congreg. Card.
l Ru. Miss.
m Ru. miss.

a Ad Communionem celebrans non genuflectat, sed parum inclinatus dicat ter, *Domine non sum dignus* &c. Cum verò Hostia seipsum signat, non egrediatur extra limites patenæ; Denique cum in fine Missæ populo benedicit, non duos, aut tres digitos, sed totam manum versus Populum extendat.

a Ru. Miss. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 26. Rit. Miss.

DE MISSA, BENEDICTIONE CANDELARVM, & Processione in festo Purificationis B. Virg.

CAP. XIII.

b Idem Purificationis B. Virg. non tam solemni Missa, quam solemniori cereorum ardentium benedictione, ac Processione Romana illustrat Ecclesia, vt eo Mysterio fideles addiscant, neminem ad perfectam sui Purificationem posse pertingere, qui Christum, qui lux est scelerum tenebras depellens, atque interna pectoris illuminans, non solum manibus, atque exteriorum operum luce: sed etiam in animo per internam, atque ardentem charitatis flammam non gestauerit.

b Ru. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 19 Ord. Rom. de off. Eccles.

c Quapropter, vt maiori, qua fieri potest, religione sacra huius diei Mysteria à nobis celebrentur. Altare Maius solito decentius ornetur nobilioribus paramentis, vasculis florum, atque alijs rebus, quæ ad Altaris ornatum pertinent. Superiorque in hac die Conuentualem Missam celebret. d Antequam primæ officium

c Cærem. Cler. Reg. lib. 3. c. 8.

d Cærem. Epis. li. 2. c. 10.

Digitized by Google

inchoetur, mensa parua à Cornu Epistolæ mappa munda contecta paretur, in qua tot candelæ ceræ albæ reponantur, quot ad benedictionem, & distributionem necessariæ erunt, in ea quoque locetur Thuribulum cum Nauicula, vas aquæ benedictæ cum Aspersorio, Alba quoque paramenta pro Missa: à dextris verò mensę Crux Processionalis statuatur, [e] Altare verò circa finem sextæ ornetur Pallio violaceo supra album, & puluino violaceo, quæ post Processionem amoueri debent, nisi festum venerit in Dominicis sexagesimæ, vel septuagesimæ.

e Cærem. Epis. lib. 2. c. 10. Cæremon. Cler. Reg. li. 3. c. 8.

[f] Sexta in Choro absoluta, sex candelæ in Altari accendantur; interea celebrans absque Casula, & manipulo sola stola violacea supra Albam, & Amictum indutus, præcedente Acolytho cum libro, & superpelliceo ad Altare procedat, & cęteris de more obseruatis, si sit dies Dominicus, prius aquæ aspersionem perficiat, tum post Orationem, *Exaudi nos* &c. stans in Cornu Epistolæ intonet, *Dominus vobiscum*, & cętera præstet ad benedictionem cereorum spectantia prout in Missali continetur, Choro ad omnia respondente.

f Ru. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 10.

[g] Expleta benedictione Vicarius, vel eo absente senior, qui est in Choro, stola violacea indutus, candelam benedictam sumens ante Altare genuflectat; ac per medium Altaris ascendens candelam accensam celebranti porrigat, stanti in cornu Epistolę; porrigens autem prius candelam, poltea manus celebrantis deosculetur: [b] Celebrans verò candelam absque osculis accipiens, & tradens eam Acolytho custodiendam ad medium Altaris procedat, vbi altero Acolytho ministrante, candelas distribuat, primum ei, à quo ipse candelam accepit, ac deinde reliquis sacerdotibus, Clericis, & Laicis, qui bini, ac iunctis manibus ab ostio Epistolę procedentes, genu-

g Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 10.

b Cærem. Epis. lib. 2. c. 10. Rit. Miss.

flexi,

Digitized by Google

flexi, ac manum celebrantis osculantes ab eo candelas singuli accipient, ac per ostiolum Euangelij in Chorum redibunt.

[i] Si Prælatus, aut Princeps adfuerit, ijs prius celebrãs candelas distribuat. Quod si ad Altare accedere noluerint, dignior Sacerdos Candelam à celebrante accipiat, & ad illos debitis inclinationibus deferat. Deniq; si mos inualuerit, vt aliquibus quoque secularibus dignioribus, ac benefactoribus Ordinis nostri candelæ distribuantur, celebrans ad ostium cancelli se conferat, ac pro more distribuat. Dum autem candelæ distribuuntur, in Choro decantetur Antiphona, *Lumen ad reuelationem* &c. Cum Psalmo, *Nunc dimittis*, ita tamen, vt post vnum quemque versum Cantici, *Nunc dimittis*, prædicta Antiphona integra repetatur.

i Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 8.

[a] Candelarum distributione peracta, celebrans Acolytho aquam ministrante, manus abluat. Interea cantetur in Choro Antiphona, *Exurge Domine* &c. qua finita celebrans ad Altare conuersus dicat, *Oremus*. *Flectamus genua*, Chorus, *Leuate*, ac deinde prosequatur Orationem, *Exaudi* &c. quæ posita est in Missali.

a Cærem. Epis. lib. 2. c. 10. Rit. Miss. Cærem. Cler. Reg. lib. 3. c. 8.

[b] Interea qui in Choro sunt, ante Altare conueniant; Acolythus sumpto Thuribulo cum Nauicula ante Celebrantem genuflectat: Celebrans verò incensum benedicens more solito mittat in thuribulum: præcedat thuriferarius cum thuribulo fumigante: deinde crux sequatur, media inter duos Acolythos cum candelabris, & candelis accensis: sequantur reliqui per ordinem candelas accensas gerentes: omnibus autem in processionem ordinatis, celebrans postremo loco gradiens dicat, *Procedamus in pace*, Cæteri verò respondeant, *In nomine Christi Amen*, statimque inchoet Antiphonam, *Adorna thalamum* &c. quam Chori alterna-

b Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 10. Ord. Rom. de off. Eccles.

Digitized by Google

tim prosequantur, quemadmodum & reliqua, quæ in Missali habentur. Cum verò Missalia sufficere non possunt, chartulæ paratæ in manibus gerantur, in quibus, quæ canenda sunt, sint descripta.

c Rit. Miss. Cær. Epi. li. 2. c. 10. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 8.

c Processio verò ita dispositа, per medium Ecclesiæ incedens fores ipsius egrediatur, & breui circulo ante Ecclesiam expleto, d cum iterum Ecclesiam ingreditur, inchoetur à Celebrante Responsorium, *Obtulerunt* &c. quod deinde Chorus prosequatur vsque ad Altare, vbi candelabris suo loco collocatis, & Pallio, & Puluino violaceo ab Altari sublatis, celebrans amota stola violacea, ministrante Acolytho, induat Paramenta alba:

d Ru. Miss.

e Cær. Epis. li. 2. c. 10. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 8.

e nisi dies Purificationis occurrat in Dominicis septuagesimæ, sexagesimæ, vel quinquagesimæ: tunc enim paramenta violacea non mutantur, præterquam in Ecclesijs B. Virg. dicatis, in quibus alba etiam in his Dominicis retinentur.

f Rit. Miss.

f Candelæ etiam post Processionem extinguantur, quę tamen iterum accendi debent ad Euangelium, & ad eleuationem Hostiæ, & vsque ad sumptionem Sanctissimi sanguinis accensæ in manibus gestari.

g Ru. Miss. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 8.

g Cęterum quamquam festum Purificationis in Dominicis septuagesimæ, sexagesimę, aut quinquagesimæ occurrens in alium diem transferri contingat, nunquam tamen benedictio candelarum, & Processio transferuntur.

b Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 10.

b Missa verò cum de festo celebratur, solemni ritu dici debet, ac proinde in ea Altare incensari, & pacis osculum dari.

Digitized by Google

DE MISSA, BENEDICTIONE Ramorum, & Processione in Dominica Palmarum.

CAP. XIV.

PAcificum Christi Domini Regnum, quod quilibet iuxta Apostoli consilium, intra seipsum stabile, ac pacatum gerere debet, celeberrima hæc dies, maximis referta Mysterijs, summopere à nobis expetendum insinuat, quam propterea Ecclesia tam eximia Palmarum, atque Oliuarum benedictione, ac supplicatione exornat, vt eo sanctius, ac maiori cum Religione à nobis colatur. f Colloq. 1. Luc. 7.

a Primum igitur ante Primam mensa paretur in Cornu Epistolæ, in qua rami Oliuarum, aut Palmarum bene compositi, atque in fasciculos colligati, benedicendi collocentur, thuribulum quoque cum Nauicula: Vas aquę benedictę cum Aspersorio, Casula, & Manipulus violaceus in ea apponantur, à dextro verò latere Crux gestatoria statuatur. a Cærem. Epis. lib. 2. c. 21. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 16.

b Circa finem sextę sex candelę in Altari accendantur, atque ea expleta, Celebrans sola stola violacea in modum Crucis ante pectus disposita super Albam amictus, cum Ministro superpelliceo induto ad Altare procedat, vbi sicut in cęteris Dominicis aspersionem aquę benedictæ perficiat: c qua peracta in Choro cantatur Antiphona, *Osanna* &c. quæ à Celebrante submissa voce legatur; post Antiphonam celebrans stans in Cornu Epistolæ dicat, *Dominus vobiscum*, Choro illi respondente, prosequatur orationem, legat Epistolam, qua finita Chorus canat Responsorium, *Collegerunt* &c. d Celebrans verò, Acolytho thuribulum, & Nauiculam ministrante, imponat incensum in thuribulum, & benedicat b Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 16. c Rit. Miss. Ordo Ro. d Rit. Miss.

Digitized by Google

more ſolito: deinde in medio Altaris dicto, *Munda cor* &c. & *Iube Domne* &c. in cornu Euangelij, quo à Miniſtro deferri debet liber, dicat *Sequentia ſancti* &c. incenſet ter librum, & proſequatur Euangelium, vſque ad finem: poſtea incenſetur ab Acolytho; quamuis enim in rubricis Miſſalis mandetur, vt Euangelium a Sacerdote ſubmiſſa voce legatur in cornu Epiſtolę, hoc eſt, quia in loco conſueto à Diacono ſollemniter canitur. At apud nos, cũ quod à Sacerdote legitur, ſuccedat loco illius, quod à Diacono canitur, vnde dici debet in loco conſueto, ideſt, in cornu Euangelij, quo dicto, ſtatim ad cornu Epiſtolę rediens, ibidemque à Miniſtro delato libro,

e Rit Miſs. Ordo Ro. de off. diu.

e Procedat ad benedictionem Ramorum dicens, *Dominus vobiſcum*, Orationem, & Prefationem proſequatur, quę notatur in Miſſali. Chorus verò cantet, *Sanctus, Sanctus* &c. quo cantato celebrans dicat, *Dominus vobiſcum* &c. & ſubiungat orationes, quæ habentur in Miſſali. Ad finem quintę orationis, *f Benedic* &c. Acolythus proferat thuribulum, ac Nauiculam, celebrans verò imponens incenſum in thuribulum benedicat illud more ſolito. Tum prius ramos ter aſpergat aqua benedicta, deinde ter adoleat incenſo: tum ſubdat orationes, quę in Miſſali habentur.

f Rit Miſs. Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 21.

g Rit. Miſs. Cærem Epiſ. lib. 2. c. 21.

g Completa benedictione ramorum Vicarius, aut ſacerdos ſenior, eo abſente, habens ſtolam violaceam per gradus Altaris aſcendens à cornu Epiſtolę, deoſculatum ramum celebranti ſtanti in medio Altaris porrigat ſine oſculo manus; celebrans verò facie ad Populum conuerſa ramum ſine oſculo accipiens, ibidem alios quoque ramos diſtribuat, primum ei à quo ipſe accepit, qui genuflexus prius ramum, deinde celebrantis manum oſculatur: b Alij deinde ſacerdotes, Clerici, & Laici ſuo ordine bini iunctis manibus, & oculis in terram demiſſis,

b Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 16.

Digitized by Google

fis, per ostium epistolę accedentes ad Altare eodem modo ramos à celebrante accipiant, ac per ostium Euãgelij ad Chorum reuertantur. [f] Interea dum fit distributio ramorum cantetur in Choro Antiphona, *Pueri Hebræorum*, & tandiu repetatur, donec distributio expleta fuerit.

f Ric. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 21.

[a] Quod si præsens fuerit aliquis Prælatus, aut Princeps, aut Principissa; obseruentur, quę superiori capite dicta sunt in distributione candelarum. Idem enim ritus in vtraque obseruari debet. [b] Si verò multus adsit Populus, ne res longius quam par est, protrahatur, à superiore sacerdos deputetur, qui Laico fratre ramos ministrante, eos populo porrigat; non tamen Laicus ipse ramos distribuat.

a Cærem. Epis. lib 2. c. 10.

b Cærem. Cler. Reg. l. 2. c. 16.

[c] Peracta distributione ramorum celebrans stans in cornu Epistolæ iunctis manibus dicat, *Dominus vobiscum* &c. Deinde orationem *Omnipotens*, qua absoluta, Acolytho ministrante ponat incensum in thuribulum, ac more solito benedicat. Interea omnes, qui sunt in Choro ad Altare procedant cum ramis Oliuarum: vbi instructa processione eo prorsus modo, quo in superiori capite dictum fuit, scilicet thuriferario præcedente, ac ducente thuribulum, ac subsequente Cruce media inter duos ceroferarios cum Candelabris accensis, ac reliquis suo ordine gradientibus, celebrans quoque ramum in manibus gerens dicat, *Procedamus in pace*, vt supra.

c Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 21.

[d] In exordio processionis à celebrante inchoetur prima Antiphona, *Cum appropinquaret* &c. quam alij alternatis Choris prosequantur, sicut & cęteras, quę in Missali leguntur, sicque Ecclesiæ fores egrediantur.

d Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 21.

[e] Gyro ante Ecclesiam facto, cum ad Ecclesiam rursus peruenerint, duo Cantores à superiore deputati,

e Cærem. ibid. Rit. Miss.

Digitized by Google

Eccleſiam ingredientes, fores claudant, & verſa facie ad fores Eccleſiæ duos primos verſus canant, *Gloria laus* &c. Celebrans autem Cruce ſibi adſtante cum reliquis in gyrum diſpoſitis, eoſdem verſus extra Eccleſiam repetant: rurſus Cantores intra Eccleſiam duos ſequentes verſus canant, Choro priores ſemper verſus, *Gloria laus* &c. repetente, & ſic deinceps vſque ad finem.

f Rit. Miſs. Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 21. Rub. Miſs. Rit. Rom.

f His peractis celebrans haſtili Crucis fores Eccleſiæ percutiat, quæ ſtatim aperiantur, & ingredientes proceſſionaliter canant reſponſorium, *Ingrediente Domino* &c. vt notatur in Miſſali, ac Rituali Romano.

g Rit. Miſs. Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 21. Cærem. Cler. Reg li. 3. c. 16. *h* Ru. Miſs.

g Completa proceſſione celebrans ramum ſuper Altare collocans, lauet manus, ſumat Caſulam, Manipulum, & Miſſam ſolemnem more ſolito incipiat: incenſet Altare, præterquam cum Paſſio inchoatur: *h* tunc enim iuxta rubricam Miſſalis non debet benedicere incenſũ, neque incenſare librum, quousque ad Euangelium, *Altera autem die*, peruenerit, tunc enim retrocedens ad latus epiſtolæ benedicat incenſum, dicat, *Munda cor meum*, in medio Altaris, & ter librum incenſet, oblata quoque thurificet, detur pax, ac demum Miſſam abſoluat, vt in die ſolemni:

i Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 21. Cærem. Cler. Reg. lib. 3. c. 16.

i Dum paſſio recitatur, cuncti ramos Oliuarum in manibus habeant, & cum celebrans ad ea verba peruenerit, *Emiſit ſpiritum*, ipſe, & alij omnes verſus Crucem Altaris genuflectãt, & parua mora interpoſita, dato ſigno à celebrante ſuper librum omnes ſurgant, & ipſe reliquum paſsionis, ac Miſſę, vt in die ſolemni proſequatur.

DE

Digitized by Google

DE MISSA, ET PROCESSIONE IN *feria quinta maioris Hebdomadæ.*

CAP. XV.

TRes postremi Hebdomadæ sanctæ dies, de quibus tribus his sequentibus capitibus nobis differendum est, quandoquidem eos, vtpote excellentissimis redemptionis humanæ Mysterijs imbutos) a singulari officiorum, ac Missarum religione Ecclesia prosequitur: non solum profunda animi consideratione, ac pietate præ alijs à nobis colendi sunt, ac celebrandi: sed etiam maiorem à nobis diligentiam, studium, ac mentis attentionem exposcunt, atque eo exactiorem, quo sacra munera, quę his diebus peraguntur, nullo alio anni tempore exerceri solent. a Ru. Breu. Rit. Miss.

b Quapropter superior his omnibus, quæ his diebus agenda sunt, diligentissimo studio pręuisis, vniuersos ad Sacristiam, vel in Refectorium conuocet, Ministros idoneos pro eo tempore deligat, sua cuique munera distribuat, de singulis instruat, ac grauiter admoneat, vt suũ quisque munus ad maiorem Dei gloriam diligenter obeat: Tum reliquos de ijs, quę singulo quoque die gerenda sunt, instituat. Denique sollicitè prouideat, ne quid confusum, aut inordinatum in sacrorum Mysteriorum celebratione, quę his diebus fieri debet, aliquo modo irrepat. Idcirco Tabellam, vt in priori libro dictum est, in Sacristia appendi iubeat, in qua distincta ministeriorum munera, & qui his fungi debeat, exarentur. b Cæremo. Cler. Reg. lib. 3. c. 17.

c Quod autem ad huius diei cultum spectat, locus in hac die in aliquo sacello parari debet, in quo Sanctissimum Sacramentum honorificè condatur, humili, ac deuoto apparatu statui nostro congruenti ornatus. c Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 23.

Mane.

Digitized by Google

d Cærem. Cler. Reg. li.3. c.17. Rit.Miss.

d Mane igitur post sextam, Altaria paramentis albi coloris omnia exornentur, ita tamen, vt suo tempore facile denudari queant. e Et quamuis plures Missæ in hac die celebrari possent, vna tamen tantummodo iuxta antiquam Religionis nostrę, ac etiam aliarum Ecclesiarum consuetudinem, eaque si commodè fieri potest, à superiore celebretur: f in qua omnes Conuentus fratres, atque etiam sacerdotes ad sacram synnaxim accedant, ac propterea tot stolæ in Choro honesto loco exponantur, quot sacerdotes ad communionem accedere debent. Qui verò ea die infirmitate laborant, vel in Chorum ad sacram Communionem deferantur, vel in infirmaria sacra Communione reficiantur.

e Cærem. Cler. Reg. li.3.c.17. f Cærem. Epis. lib.2. c.23.

g Parentur quoque in Choro pro Processione Crux gestatoria, instrumentum ligneum excitatorium, Thuribulum cum Nauicula, & cerei in processione distribuendi. In sacristia verò indumenta sacerdotalia albi coloris, superpelliceum, & velum album oblongum imponendum humeris celebrantis, pręparentur.

g Cærem. Cler. Reg. li.3.c.17.

h Rit.Miss. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c.17.

h Hora sextadecima, vel decima cum dimidia iuxta Gal. Horolo. dicatur Nona in Choro, dentur signa Cãpanæ, sicut in Missa solemni. Superior verò, aut sacerdos celebraturus duas hostias consecrandas patenæ superponat: vnam quidem assumendam, alteram pro sequenti die conseruandam, cum aliquibus particulis, i quapropter sacrista alterum Calicem cum patena, pala, & velo coopertum in Altari parabit, in quo hostia conseruanda recondi debet, & in loco sepulchri collocari, tum albis vestibus indutus, præcedente Acolytho cum superpelliceo, & libro ad Altare procedat, & sicut in die solemni, thus in Altari adoleat: Huius diei solemnitas id peculiare cum alijs nonnullis habet, quod *Kyrie, Gloria in Excelsis, Sanctus*, & *Agnus Dei*, cantantur à Chord.

i Cærem. Epis. lib.2. c.23. Cærem. Cler. Reg. li.3. c.17.

Cum

Digitized by Google

[b] Cum primum verò celebrans inchoauerit, *Gloria in Excelsis* &c. Campana pleno tractu cum omnibus tintinabulis pulsetur vsque ad finem Gloriæ, quæ deinceps silere debet vsque ad Sabbatum sanctum, & loco Campanæ instrumentum excitatorium adhibeatur; Chorus verò reliquum hymni, *Gloria in Excelsis*, prosequatur, Graduale, *Sanctus*, *Agnus Dei*. Post communio omnia canantur in Choro, more solito, absque vlla vocis variatione. Ad eleuationem Sacramenti signum Instrumento excitatorio in Choro edatur. Pax tamen non detur, neque celebrans vltimum Euangelium dicens signet Altare, sed tantum seipsum.

[b] Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2 c. 23. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 17.

[c] Assumpto sanguine celebrans antequam purificationem sumat, Hostiam consecratam in Calice vacuo reponat: & Calicem patena, Palla, & velo contegens in dextra parte corporalis collocet, debitis ante, & post genuflexionibus adhibitis. [d] Interea fratres ad sacram Communionem accedant: primum sacerdotes stolis amicti, deinde Clerici, postremo Laici, deuotè, nudis pedibus, ac manibus ante pectus coniunctis. Sumpta verò purificatione celebrans Missam prosequatur, [e] ac debitas genuflexiones cum accedit, vel recedit à medio Altaris ob sanctissimum Sacramentum in Calice reconditum, vt alibi dictum est persoluat.

[c] Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 23.

[d] Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 17.

[e] Cærem. Epis. lib. 2. c. 23. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 17.

[f] Dum celebrans legit Euangelium Sancti Ioannis in fine Missæ accendantur cerei, & intortitia: Mox cuncti, qui in Choro sunt, ante Altare conueniant: Diaconusque, vel sacerdos Diaconi munus gerens, Alba indutus, ac stola Alba à sinistro humero ad dextrum latus transuersa, ante Altare cum velo serico oblongo appareat. [g] Interea celebrans vtens Casula loco Pluuialis in cornu Epistolæ ter incensum ponat in thuribulo, nihil dicens, neque benedicat incensum, nec minister benedictionem

[f] Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 23.

[g] Rit Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 23.

Digitized by Google

ctionem petat, aut illius manus, aut coclear osculetur. Deinde prodiens ad medium Altaris in supremo gradu genuflectens, thuribulo illi ab Acolytho ministrato, ter sanctissimum Sacramentum incensabit, facta ante, & post eidem profunda reuerentia. [b] Mox Diaconus accedens ad Altare cum debitis reuerentijs Calicem cum Hostia celebranti genuflexo porrigat, ac velum oblongum vtroque celebrantis humero imponens, ipsius extremitatibus Calicem simul cum manibus celebrantis operiat. [c] Celebrãs autem ambabus manibus accepto Calice ad Populum se conuertens, descendat per gradus Altaris, & statim inchoet Hymnum, *Pange lingua gloriosi, corporis* &c. fiat Processio, præcedente Crucifero inter duos ceroferarios, cum candelabris accensis, & reliquis binis suo ordine dispositis. [b] Thuriferarius autem incedens facie versa ad Sacramentum, continuo illud incenset, donec ad paratum locum peruenerit.

[c] Qui crucem defert, vbi ad sacellum constitutum peruenerit, sistat in dextro latere cum ceroferarijs: alij hinc, & inde genuflexi Sacramentum à celebrante delatum adorent, qui vbi ad locum, in quo Sacramentum reponi debet, peruenerit, genuflectat: [d] Diaconus verò reuerenter accedens, amoto velo ab humero celebrantis, cum debitis reuerentijs accipiat Calicem, ac parato loco reponat, mox post celebrantem retrocedat, qui thure in thuribulo misso, ter incenset Sacramentum, & omnes genuflexi paulisper orent: [e] Tum omnes surgant, atque eodem ordine, quo venerant, ad Altare redeant: eo excepto, quod thuriferarius ante omnes incedens non thurificat: statim verò in Choro vesperæ inchoentur, celebransque adhuc paratus primam Antiphonam inchoet.

[f] Post vesperas celebrans cum duobus ministris ad denu-

[b] Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 17. Cærem. Epis. lib. 2. c. 23.

[c] Rit. Miss. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 17.

[b] Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 17.

[c] Cærem. Cler. Reg. ibid.

[d] Rit. Miss.

[e] Rit. Miss. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 17.

[f] Rit. Miss.

Digitized by Google

denudationem Altarium procedat, dum in Choro cantatur Antiphona, *Diuiserunt sibi* &c. & Psalmus, *Deus Deus meus* &c. [g] In denudatione verò primum à superiori mappa incipiat, mox alias amoueat, ac deinde reliqua prosequatur, Clericis cuncta in Sacristiam asportantibus. [b] Denudatione expleta, & relicto ostiolo tabernaculi aperto: completo etiam Psalmo, & illius Antiphona repetita, detur signum instrumento excitatorio pro salutatione Angelica, quam omnes genuflexi dicant, & aliquantisper orabunt.

[g] Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 17.

[b] Cærem. Cler. Reg. ibid.

DE MISSA, ET PROCESSIONE IN feria sexta Paraſceue.

CAP. XVI.

AB hac die, in qua Christi funera lugubri apparatu ab Ecclesia coluntur, cuncta lætitiæ signa procul abijcienda sunt, [i] & iuxta Apostoli consilium, solus is in animo, in cogitatione, in corde gerendus, qui talem sustinuit pro peccatoribus aduersus semetipsum contradictionem.

[i] Heb. c. 12.

[k] Idcirco in mane, vbi in Choro dictæ fuerint Prima, Tertia, & Sexta hora, parentur in Mensa Sacristiæ indumenta sacerdotalia nigri coloris, Bursa Corporalis cum Purificatorio, velum Calicis, Puluinus, omnia nigra. Præparetur quoque, si haberi potest, pannus nigri coloris, mappa, velum oblungum: in Choro thuribulum cum Nauicula, Crux gestatoria nigro colore tecta, Candelæ ceræ communis sex pro Altari, & aliæ fratribus in processione distribuendæ, Vrceoli quoque vini, & aquæ suo loco reponantur. Altare sit nudum, Cruce tantum habeat in medio nigro velo contectam, atque

[k] Cærem. Epis. lib. 2. c. 25.

ita

Digitized by Google

ita dispositam, vt facilè detegi possit. Pro adoratione Crucis præparetur pannus aliquis violaceus, aut niger, puluinusque eiusdem coloris.

a Cærem. Cler. Reg. li.3.c.18. a Circa quartam decimam horam, iuxta superioris placitum, detur signum Missę tabula excitatoria, tantaque vsque ad tertium mora interponatur, vt hora integra fluat. Interea post secundum signum dicatur nona,

b Rit. Miss. Cærem. Cler. Reg. li.3.c.18. b quæ dum cantatur, sternatur in infimo gradu Altaris pannus nigri coloris, & eodem tempore crux super nudum Altare cum candelabris, & candelis extinctis collocetur.

Cærem. Epis. lib.2. c.25. c Ru. Miss. c Porrò tertio signo pulsato superior, vel alter sacerdos celebraturus, indutus paramentis nigri coloris, absque Calice, manibus iunctis, ac Clerico præcedẽte, cum superpelliceo, & Missali ad Altare procedat. Vbi verò ante Crucem in Altari collocatam peruenerit, ante ipsam vterque genuflectat,

d Cærem. Cler. Reg. li.3.c.18. d quod vbique hac die fieri debet, quoties ante Crucem transire contigerit.

e Cærem. Cler. Reg. li.3.c.18. e Mox celebrans supra pannum se prosternat, & caput supra Puluinum in infimo gradu Altaris collocatum inclinet, post ipsum Accolythus quoque seipsum prosternat, & aliquantisper orent. Ocius verò Accolythus surgens, altero Clerico adiuuante tobaleam super Altare nudum extendant, quæ illius planitiem non excedat, Missale supra Puluinum nigrum, aut violaceum collocent à latere Epistolæ, vbi celebrans surrexerit,

f Cærem. Epis. lib.2. c.26. Rit. Miss. Accolythus pannum, ac puluinum amoueat. f Celebrans verò accedens ad Altare osculetur illud in medio, & transferens se ad Cornu Epistolæ primam Prophetiam legat.

g Rit. Miss. g Lecta Prophetia, in Choro cantetur tractus. Tum celebrans dicat, *Oremus. Flectamus genua*, Choro ad omnia respondente, legat orationem, & etiam alteram

Pro-

Digitized by Google

Prophetiam, iterumque poſt illam tractus canatur à Choro, quo expleto celebrans legat Paſſionem in cornu Euangelij propter rationem allatam in cap. 14. De Euangelio in Dominica Palmarum, qua expleta, rediēs ad cornu Epiſtolæ cętera proſequatur, ſicut habetur in Miſſali.

b Completis orationibus celebrans depoſita Caſula in cornu Epiſtolę accedat ad angulum poſteriorem, & miniſtrante Accolytho accipiat crucem iam in Altari præparatam, & facie ad Populum conuerſa, detegat sūmitatem ipſius vſque ad transuerſum lignum, & vtraq; manu illam extollens graui voce dicat, *Ecce lignum Crucis*, Miniſtri verò, qui celebranti adſtant, ſubiungant, eodem tono vocis. *In quo ſalus mundi pependit.* Tum chorus proſequatur, *Venite adoremus*, quod cum dicunt, vniuerſi præter celebrantem genuflectant.

b Rit. Miſſ. Cærem. li. 2. c. 26. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 18.

i Procedat deinde ad anteriorem angulum Epiſtolę, & vna cum miniſtris detegens brachium dextrum crucis, & caput Crucifixi, Crucemque paululum eleuans, paulo altiori voce intonet, *Ecce lignum Crucis*, Miniſtri, & chorus eodem modo, ac tono vt prius, reſpondeant, *In quo* &c. *Venite* &c. Tertio celebrans procedat ad medium Altaris, vbi verſa facie ad Populum, totam crucem denudet, eamque attollens altiori voce dicat, *Ecce lignum Crucis*, cui miniſtri, & chorus eodem tono ſeruato reſpondeant, *In quo ſalus* &c. *Venite* &c.

i Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 26. Rit. Miſſ.

a Crucis denudatione abſoluta, Clerici pannum nigri, aut violacei coloris, vel alterius, qui commodè ab illis haberi poterit, ante gradum extra cancellos à latere Euangelij ſternant, Celebrans verò crucem ligneam, in qua imago Chriſti pendere debet, ſolus deferat ad locum ante Altare præparatum, tum ipſe primus omnium crepidis depoſitis, ac nudis pedibus ter genuflectens

a Rit. Miſſ. Cærem. lib. 2. c. 26. Cærem. Cler. Reg. li. 3. [illegible]

Digitized by Google

ctens crucem adorabit, atque in tertia adoratione Christi Crucifixi pedes osculabitur. Post celebrantem Diaconus, & alij ministri eodem modo Crucem adorent.

b Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 26.

b Post ministros, alij quoque bini suo ordine ad adorationem crucis accedant, nudis pedibus, ter æquali spacio genuflectentes, & crucifixi pedes osculantes. Tum verò surgentes genuflectant Cruci, & in Chorum redeant. c In hac autem adoratione nulla mora interponatur, sed cum primi ad secundam stationem procedũt, alij sequentes ad primam accedant, & dum illi tertiam absoluunt, alij secundam incipiant, & sic deinceps: ne adoratio diutius protrahatur. d Interea dum adoratio à celebrante inchoatur, in Choro improperia canantur à duobus choris iuxta ordinem Missalis.

c Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 18.

d Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 26.

Circa finem adorationis lampas, & sex candelæ cereæ communis accendantur in Altari, celebrans Casulam sumat, Accolythus transferat librum cum puluino ad latus Euangelij: Diaconus verò, aut sacerdos loco Diaconi Alba, ac stola transuersa nigra, aut violacea indutus accipiat Bursam corporalis cum purificatorio, eamque eleuatam tenens, deferat ad Altare, vbi corporale extendat, peractaque adoratione reuerenter sumat Crucem, & ponat super Altare: Accolythus verò pannum, ac puluinum cruci substratum remoueat.

e Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 18.

f Rit. Miss. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 18.

e Interea in sacello, vbi Sacramentum est reconditũ, lampades, & candelabra ita disponantur, vt libera ad Sacramentum via esse possit. f Statim verò in Choro distribuantur candelæ, quæ accendi non debent, nisi cũ ventum fuerit ad sacellum, vbi Sacramentum est reconditum, atque ita processio ordinetur, vt thuriferarius præcedat, tum crux media inter duos Ceroferarios cum candelabris accensis sequatur, ac reliqui deinde bini, Diaconus penultimus ante sacerdotem solus, vltimus autem

autem celebrans Casula nigra indutus, omnes cum silentio incedant.

g Vbi ad sacellum ventum fuerit, candelæ accendantur, Crux inter Ceroferarios à dextro latere hostij sistat; reliquis hinc, & inde dispositis: senioribus propè Sacramentum, iunioribus propè Crucem: Celebrans autem ante infimũ gradũ genuflexus simul cũ omnibus aliquãtisper oret; deinde Accolytho illi Nauiculã, & thuribulum ministrante, absq; benedictione ponat incensũ in thuribulo, & ter Sacramentum genuflexus incenset; nihil dicens: sed ante, & post incensationem profundè se inclinet. b Mox Diaconus ad Sacramentũ accedens, Calicẽ cum Hostia consecreta, post prælibatã genuflexionẽ accipiat, & reuerenter in manu celebrantis genuflexi reponat, ac pronus Sacramentum adoret, velumq; celebrantis humeris imponens, eiusdem extremitatibus Calicem, ac manus sacerdotis tegat.

a Celebrans verò statim surgens, & ambabus manibus Calicem ante oculos eleuatum tenens, se ad Populum vertit, atque intonet. *Vexilla Regis prodeunt* &c. Tunc omnes surgentes, ac canentes processionaliter ad Altare tendant, Thuriferario absque intermissione Sacramentum incensante.

b Vbi ad Altare peruentum fuerit, Diaconus ante infimum gradum Altaris, reuerenter amouens velum ab humeris celebrantis, quod Accolytho tradit custodiendum; præmissa genuflexione sumat Calicẽ de manu celebrantis, ac tunc statim celebrans genuflectat, Diaconus verò Calicem reponat in Altari super Corporale, debitis reuerentijs post repositionem Sacramento exhibitis. c Interea celebrans incensum absq; benedictione mittat in Thuribulum, quod obseruare debet in toto hoc officio, in quo nec celebrans incensũ benedice-

g Rit Miss. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 18.

b Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 26.

a Cærem. Epis. lib. 2. c. 26. Rit. Miss.

b Ru. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 26.

c Rit. Miss.

Digitized by Google

re, nec Minister eius manus, aut thuribulũ osculari debet, terq; Sacramentũ incensẽt, profundis ante, & post inclinationibus adhibitis. Cuncti interea per gyrũ ante Altare dispositi, candelas accensas semper in manibus ferant, donec celebrans Sacramentum consumpserit.

d Ru. Miss. Cærem. Episc. lib. 2. c. 26. d Celebrans verò postquã Sacramentũ incẽsauerit, ad Altare accedat, vbi genuflectens Calicẽ detegat, hostiamq; è Calice super Patenã deponat: Hostiã ipsã digitis, si fieri potest, non tangendo quod si tetigerit, statim digitos abluat. Hostiam verò super Corporale collocet: tum accedens ad cornu Epistolæ vinum, & aquã in Calicem, nihil dicens, infundat: Mox Calicem super Corporale statuat, ac palla contegat.

f Rit. Miss. Cærem. Episc. lib. 2. c. 26. f Post hęc celebrans mittens incensum in thuribulũ, incensẽt oblata, & Altare more solito dicens, *Incensum istud* &c. *Dirigatur* &c. reddensq; thuribulum ministrò dicat, *Accendat* &c. ipse tamen celebrans nõ incẽsetur, neq; alij, sed ad latus Epistolę lauet manus extra Altare.

g Rit. Miss. Cærem. Episc. lib. 2. c. 26. g Lotis manibus redeat ad mediũ Altaris, inclinatusque iunctis manibus dicat secreto. *In spiritu humilitatis* &c. ac deinde genuflectens vertat se ad Populũ in cornu Euãgelij, & dicat, *Orate fratres* &c. nec circulũ cõpleat, ne terga vertat Sacramẽto, sed per eandẽ viã reuertatur ad mediũ: nemo tamen respondeat illi, *Suscipiat* &c.

h Rit. Miss. Cærem. Episc. lib. 2. c. 26. h tũ verò immediatè dicat, *Oremus præceptis* &c. & *Pater noster* &c. Choro respõdente more solito, *Sed libera nos à malo*, celebrans verò, postquam dixerit, *Amen*, secretò, alta voce legat, *Libera nos* &c. vt in Missali, & in fine Chorus respondeat, *Amen*.

i Rit. Miss. Cærem. Episc. lib. 2. c. 26. i Mox celebrans vsq; ad terrã genuflectens, supponat Patenã hostię, quã in dextera manu collocare debet, & sinistra super Altare posita, dextera Hostiã eleuet, ita vt ab omnibus videri, & adorari valeat, oculos semper in Ho-

Digitized by Google

Hostiam intendens. Cętera verò prout in Missali sunt, perficiat, minores hostias, si quę sunt, simul cum maiori consumat. Missa peracta dicantur Vesperæ, & denudẽtur Altaria.

DE MISSA, ET PROCESSIONE IN SABBATO sancto.

CAP. XVII.

Dies hic inter solemniores cõnumerari solet, quos Christianus orbis ab initio maxima religione colendos suscepit, neque enim frustra in eo tot noui ignis, noui luminis, fontium baptismalis, incensi, cerei Paschalis, ac reliquarum sacrarum rerum mysteria celebrarentur: nisi singularis quędam diei prærogatiua in eo eminentius eluceret, [a] qua magnus etiam à Concilijs appellaretur. [a] Concil. Trullens. can. 89.

[b] Quapropter Sacrista huc omnem diligentiam conferre debet, vt vniuersa, quę tam ad Chorum, quam ad Ecclesiam, eorumque suppellectilem spectant, hoc tempore ita munda sint, vt nihil desit ad perfectum decorem Domus Dei. Mappæ in Altaribus mutentur, Altariaque decentius solito exornentur. [b] Cæremon. Cler. Reg. li. 3. c. 19.

[c] Mane vbi dicta fuerint Prima, tertia, & sexta, Altare maius albis, ac venustioribus paramentis ornetur: Attamen supra pallium album aliud violaceum ita aptetur, vt cum opus fuerit, facile remoueri possit. Paretur in latere Euangelij candelabrum, in quo figi debeat Cereus Paschalis, nonnullis floribus ornatus: sex quoque candelæ albæ in candelabris locentur. In Sacristia duplicia paramenta, alba videlicet, & violacea solemnissima componantur. [d] Mensa ante fores Ecclesiæ, nisi temporis iniuria impediat, alioquin intra fores Ecclesiæ [c] Cæremon. Episc. lib. 2. c. 27.

[d] Rit. Miss. Cæremon. Cler. Reg. li. 3. c. 19.

Digitized by Google

erigatur,quę sit mappa mũda cõtecta, in qua vas aquæ benedictæ cũ aspersorio, quinq; grana incensi in peluicula,Cereus paschalis,& arundo floribus ornata cũ tribus candelis,aliquantulum in calce inflexis, & æqualiter inter se distantibus; nonnulla etiam ligna sulphurata super mensam ad flammam excitandam simul cum candela reponantur.

b Cærem. Epis. lib.2. c.27.& 28. Rit. Miss.

b Igne verò in aliquo honesto loco è silice excitato, prunæ ardentes in tripode colligantur,& post nonã ante fores Ecclesiæ,vbi mensa parata est, statuantur.

i Cærem. Cler. Reg. li.3.c.19.

i Tẽpore cõgruo, circa horã 14. signo tabula ter dato,nona in Choro post tertiũ signũ dicatur,qua peracta

Rit. Miss. Cærem. Epis. lib.2. c.27.

processio instituatur,hoc modo. Præcedat thutiferarius cum thuribulo absq; prunis, sequantur Accolythi sine cereis,aut candelabris:deinde cõuentus per ordinẽ:vltimus celebrãs alba,ac stola violacea indutus,medius inter Diaconũ stola alba amictũ, & Subdiaconũ violacei coloris manipulũ gestantẽ procedat vsq; ad fores Eccl.

k Rit. Miss. Cærem. Epis. lib.2. c.27.

k Illuc cũ peruenerint celebrãs, cõuerso ad Altare vultu,benedicat prius nouũ ignẽ, deinde quinq; grana incẽsi, eo modo quo habetur in Missali: dũ verò grana incẽsi benedicit, thuriferarius forcipe sumat ex carbonibus benedictis,& mittat in thuribulũ,celebrãs quoq; in idẽ incensũ ponat,benedicẽs illud more solito:Mox aqua benedicta ter aspergat ignẽ,& grana dicens,*Asperges* &c.sine Psalmo,*a* atq; eodẽ modo ter incensũ super ignẽ,& grana incensi adoleat:statimq; vnus ex Accolythis sumens ligna sulphurata,ex nouo igne candelã accendat,interea omnia luminaria Ecclesię extinguãtur, prẽter candelam, quę ex nouo igne est accensa.

a Cærem. Epis. lib.2. c.27.

Diaconus autem accipiens arundinem trium candelarũ.Subdiaconus verò Crucem portans:altero ex Accolythis lancem cum quinque granis incensi, Altero

verò

Digitized by Google

verò accenſam ex nouo igne candelam, deferentibus, Eccleſiam hoc ordine ingrediantur. Præcedat thuriferarius, deinde Accolythi, tum ſubdiaconus: poſt eum Conuentus proceſſionaliter diſpoſitus. Poſtremo celebrans procedat.

Diaconus vbi Eccleſiam ingreſſus fuerit, inclinata arundine vnam ex tribus candelis Accolytho accendendam porrigat, qua accenſa mox Arundinem eleuãs, & ambabus manibus tenens, genuflectat. Solus cantans voce mediocri, *Lumen Chriſti*, quod dum dicit, omnes cum eo genuflectant, præter cruciferarium, Chorusque reſpondeat eodem tono. *Deo gratias*, [b] mox ſurgentes vlterius ad medium Eccleſiæ progrediantur, vbi Diaconus ſecundam candelam accendendam Accolytho porrigat, & cum reliquis genuflectens voce paulum altiori, iterum dicat, *Lumen Chriſti*, cui à Choro vt prius reſpondeatur, *Deo gratias*, Poſtremo ante gradus Altaris tertia candela accenſa, Diaconus altius adhuc vocem eleuans, dicat, *Lumen Chriſti*, cui ſimiliter reſpõdeatur à Choro, *Deo gratias*.

[b] Rit. Miſſ. Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 27.

[c] Poſthæc Diaconus arundinem accenſam vni Accolythorum præbens, librum accipiat, petat genuflexus à Celebrante benedictionem dicens, *Iube Domne benedicere*, cui celebrans benedicens dicat, *Dominus ſit in corde tuo, & in labijs tuis vt dignè, & competenter annuncies ſuum Paſchale præconium*, Tum manum celebrantis oſculetur: celebrante ſtante in cornu Epiſtolæ, Diaconus librum deferat ad cornu Euangelij: Interea Accolytho miniſtrante nauiculam, & thuribulum, celebrans benedicens incenſum more ſolito, mittat in thuribulum: Diaconus verò incenſato libro, habens à dextris Subdiaconum cum cruce, & thuriferario, à ſiniſtris verò Accolythum cum arundine, & alterum gerentem

[c] Rit. Miſſ. Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 27.

Digitized by Google

in vase quinque grana incensi, voce intelligibili legat absque cantu, *Exultet iam* &c. & quoties quiescit, vocē in vltima dictione inflectat, & cętera pręstet, quę in Missali prescribuntur.

d Cærem. Epis. lib. 2. c. 28. Rit. Miss.

d Expleto pręconio celebrans indutus Casula, stola, & Manipulo violacei coloris, & stans in cornu Epistolę legat primam Prophetiam, qua absoluta dicat. *Dominus vobiscum* &c. & *Flectamus genua*, & orationem; Reliquę Prophetiæ in Choro legantur, alta quidem, & intelligibili voce, sed expeditè, ac sine cantu. Tractus verò omnes canantur in Choro, e Celebrans verò dum Prophetię legūtur, easdem legat in cornu Epistolæ submissa voce, Diaconus verò, & Subdiaconus in Sacristiā redeuntes à proprio ministerio cessent in fine Prophetiarum, & ad quemlibet versum tractus, semper vox in penultima syllaba inflectatur.

e Cærem. Epis. lib. 2. c. 28.

Cærem. Cler. Reg. l. 3. c. 19.

f Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 28.

f Lecta vltima Prophetia, celebrans deposita Casula, ante infimum gradum Altaris, seipsum prosternat, dum litaniæ in Choro à duobus Cantoribus inchoantur. Et quamquam ex rubrica dum dicitur, *Peccatores*, celebranti surgendum esset, & in Sacristiam eundum, attamen propter nostri cantus brevitatem, vt omnia opportuno tempore fiant, vbi cantores peruenerint ad verba, *Propitius esto*, celebrans surgat, & ad Sacristiam pergens induat se paramentis albis, Calicemque cum Hostia, & particulis in pixide asseruandis præparet, & maturè ad Altare solo Accolytho superpelliceo indutо precedente, accedat.

b Cærem. Cler. Reg. l. 3. c. 19.

b Interea in Altari cerei accendantur, Cereus verò Paschalis, & Arundo trium candelarum in cornu Euangelij vsque ad finem Missę defixa non extinguantur.

g Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 28.

g Celebrans autem more solito Missam inchoet, Altare incenset: Introitum, & *Kyrie*, pronunciet. Vbi ad finem

Digitized by Google

nem litaniarum ventum fuerit, in Choro solemniter, ac morosè canatur, *Kyrie eleison*, alternatis choris; quibus absolutis, celebrans graui, ac sonora voce intonet, *Gloria in Excelsis Deo*, Choro reliqua prosequente: eodem tempore (nisi Cathedralis, aut principalis Ecclesiæ Campanę adhuc sileant) Campana pleno tractu, & tintinabula omnia per totum hymnum in lętitiæ signum pulsantur.

d Post epistolam celebrans ter cantet, *Alleluia*, gradatim per quodlibet, *Alleluia*, vocem eleuans, Choro eodem tono post quodlibet, *Alleluia*, idem, *Alleluia*, repetente: à quo etiam immediatè postea, & versus, & tractus canantur, celebrans postquam illa secreto apud se dixerit, benedicat incensum, ponat in thuribulo, dicat, *Munda cor meum* &c. & more solito incensans legat Euangelium, *e* post Euangelium tamen nõ dicat, *Credo*, neque offertorium: sed dicto, *Dominus vobiscum*, & *Oremus*, faciat offertorium, ac reliqua de more prosequatur, sicut in Missa solemni. *d* Rit. Miss. *e* Rit. Miss.

f Ad Præfationem, *Sanctus*, canatur à Choro, ad eleuationem Sacramenti pulsetur Campana pleno tractu. In hac Missa pax non datur, nec dicitur, *Agnus Dei*, nec post communio. *f* Rit. Miss. Cærem. Epis. lib. 2. c. 28.

g Sumpta purificatione à celebrante, senior in choro intonet Antiphonam, *Alleluia*, quam chorus prosequatur simul cum Psalmo, *Laudate Dominum* &c. Celebrãs verò omnibus secreto apud se repetitis, stans in cornu Epistolę inchoet Antiphonam, *Vespere autem Sabbati* &c. quæ à Choro expleatur, & statim post illam in Choro canatur, *Magnificat*, ipse verò Antiphonam, & *Magnificat*, submissa voce legat. *g* Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 19.

h Repetita Antiphona à Choro, celebrans osculato Altari in medio dicat, *Dominus vobiscum*, & orationem, *h* Rit. Miss.

Digitized by Google

& *Ite missa est*, cui addat duo, *Alleluia*, Accolytho respõdente, *Deo gratias Alleluia, Alleluia.*

i Cærem. Cler. Reg. li. 3 c. 19. Rit. Miss.

i Post Missam candelę, quę sunt in Arundine auferantur, nec amplius accendantur, Cereo duntaxat remanente, qui in omnibus Missis Conuentualibus ad Euangelium, & ad eleuationem Sacramenti, tum etiam ad Vesperas cum dicitur, *Magnificat*, & ad *Completoriũ*, cum canitur, *Nunc dimittis*, & in Matutino cum dicitur Euangelium, & *Te Deum laudamus*, & *Benedictus*, toto tempore Paschali est accendendus.

a Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 19.

a In hac die, qui Vesperas dicunt extra Chorum, prę-mittere debent, *Pater noster*, & *Aue Maria*, *Deus in adiutorium* &c. *Gloria Patri*, & *Alleluia*, postea dicant Antiphonam, *Alleluia*, deinde Psalmum, *Laudate Dominum* &c. Antiphonam, *Vespere autem Sabbati*, ante *Magnificat*, deinde, *Magnificat*, atque iterum repetita Antipho na, Orationem recitent, vt in Missali, & Breuiario: loco verò, *Ite Missa est*, dicatur, *Benedicamus Domino Alleluia Alleluia*, *Fidelium animæ* &c. & *Pater noster*, secreto: nam vnum quodque officium suo principio, ac fine constare debet.

b Suarez to. 3. disp. 8 sect. 2. Azor. sum. p. 1. lib. 10. c. 24. Microlog. cap. de Eccles. obser. c. 53.

b Sunt, qui in hac die priuatim Missam celebrari posse sentiant: sed cum perpetuus in Ecclesia mos obtinuerit, vt nulla in hac die, pręter solemnem, priuata Missa dicatur: nos communi consuetudini inherentes, in hac die priuatas Missas in nostris Monasterijs celebrari prohibemus. Attamen si casu aliquo celebranda esset, poterit celebrans iuxta doctrina Dominici à soto quam inter recentiores sequitur c Suarez, atque eam tutam existimat, concurrentibus, quę secundum Doctores concurrere debent, ab ea parte Missam inchoare, qua incipit solemne Paschale officium. Nimirum à litanijs, d vt sentit Micrologus, qui suo tempore post Baptismum

c Suarez to. 3. disp. 8 sect. 7.

d Microl. de Eccles. obser. c. 53.

Presby-

Digitized by Google

Presbyteros hac die celebrare consueuisse, atque à litanijs incipere solitos fuisse affirmat.

At verò post litanias celebrans à signo crucis, ab Introitu, à Psalmo, *Iudica* &c. & confessione Missam exordiri debet, quibus more solito peractis ad Altare ascendat, in medio osculetur, & immediatè dicat, *Kyrie eleison*, & reliqua prosequatur, vt in Missale habentur; pro post communione dicat Antiphonam, *Vespere autem Sabbati*, deinde orationem.

DE MISSA IN VIGILIA PENTECOSTES.

CAP. XVIII.

MYsteria, quæ in Sacrosancto Pentecostes die, Spiritu sancto visibili linguarum symbolo personaliter in orbe apparente, peraguntur, adeo diuina sunt, ac veneranda, vt ea chatolica Ecclesia, diuino hoc Spiritu illustrata solemni vigilia, ac singulari Missę ritu prosequenda esse voluerit, ea potissimum ratione, vt dū amplioris deuotionis cultu erga diuinam Spiritus sancti Maiestatem afficimur, vberius ipsius dona in nos difundantur: quapropter in hac die, præter ea, quæ ad interiorem mentis ornatum pertinent, vniuersa, quæ ad Ecclesiam, Chorum, Altaria, & sacra ministeria spectant, mundissima, & ornatissima esse debent, vt diei solemnitati respondeant.

In hac die, dicta Nona, celebrans pręcedente Accolytho superpelliceo induto ad Altare procedit, & facta reuerentia ascendens per medium Altaris illud in medio deosculatur: tum accedens ad cornu Epistolę primam Prophetiam legit: post quam omnisso, *Flectamus genua*, recitat orationem. Alię verò Prophetię legun-

tur

Digitized by Google

tur in choro, & poſt ſecundam, tertiam, & quartam Prophetiam canuntur tractus, abſque vlla vocis inflexione in fine.

Poſt Prophetias, celebrans Caſula depoſita ante Altare procumbat. Interim in Choro litaniç à duobus cantoribus decantantur, ac cętera peraguntur, iuxta illa, quę in ſuperiori capite de Sabbato ſancto dicta ſũt. Quapropter ſeruata forma, quam ibi pro inſtituti noſtri ratione tradidimus, cętera, quę in Miſſali præſcripta ſunt, diligentiſſimè obſeruentur.

DE MISSA SOLEMNI TEMPORE *Capituli Generalis, ſeu Prouincialis.*

CAP. XIX.

QVoties Generale, aut Prouinciale Capitulum celebrandum eſt, primum in loco Capituli Generalis, aut Prouincialis ipſa die, in qua electio P. Generalis, aut Prouincialis Miniſtri perficienda eſt, Miſſa ſolemnis de Spiritu ſancto celebrari debet, poſt ſextam, cum dies ieiunij ſit, tametſi in ea occurrat feſtum duplex: nam quia tunc agitur de re grauiſſima, ad quam ritè peragendam Spiritus ſancti auxilium neceſſariò eſt implorandum: Idcirco quęlibet alia Miſſa, huic quæ Conuentualis erit, optimo iure cedere debet. Hanc verò à Miniſtro Generali in Capitulo Generali, & à Prouinciali in Capitulo Prouinciali æquum eſt celebrari. Cum verò Miſſa ſolemnis ſit, in ea ter Campana, vt in feſto ſolemni, pulſabitur: vna quoque oratio tantum dicatur, *Gloria in Excelſis*, & *Credo*, in ea recitentur. Altare quoque incenſandum erit, & pax danda. Cunctique Patres ſaltem Capitulares, eidem intereſſe debent,

Digitized by Google

bent, *Ad sanctus*, Campana pleno tractu pulsetur, demum generalis in Missa fratrum Communio fiat, Missę quoque priuatæ, nisi officium sit duplex, de Spiritu sancto dicantur. Si verò sit duplex, post orationem officij recitetur oratio de Spiritu sancto, quod fieri debet toto tempore Capituli.

In alijs verò Monasterijs totius nostræ Congregationis, si Generale Capitulum celebretur: sin Prouinciale, in singulis Ecclesijs Prouinciæ pariter eo die Missa solemnis de Spiritu sancto à superiore celebretur, eo modo, quo in loco Capituli Generalis celebrari solet; eo excepto, quod Sacramentum in Altari non exponitur. Missæ quoque priuatę ea die sint de Spiritu sancto, aut si duplex occurrat, oratio de Spiritu sancto in omnibus Missis addatur orationi diei. In alijs verò diebus oratio de Spiritu sancto apponatur in omnibus missis, vbi officium duplex non fuerit, atq; eo tempore vniuersi totius religionis, aut Prouinciæ fratres assiduas ad Deum pro electionibus Capituli preces fundant.

Suffragia quoque dum Capitulum Generale celebratur, per cuncta Ordinis Monasteria, eademque tempore Prouincialis Capituli in vnaquaque Prouincia post Vesperas, & Completorium, nec non post laudes deuotè fiant, vt electiones, & Religionis negotia ritè iuxta Dei beneplacitum expediri valeant.

DE

Digitized by Google

DE ORATIONE QVADRAGINTA HORARVM, *quæ tempore Capituli Generalis, aut Prouincialis, siue alia graui de causa celebrantur.*

CAP. XX.

ORatio quadraginta horarum, à quadraginta horarum spacio, quo Saluator noster secundum carnem defunctus in tumulo iacuit, in Ecclesia ortum, ac institutum habuit, quę ea potissimum ratione maiorem ad Deum exorandum vim, atque efficaciam sibi cõparare creditur, quod ea in Iesu Christi mortis memoriam fiat, quę, vt Deo Patri gratissima, ita & ad diuinam opem impetrandam efficacissima esse solet.

Cum igitur ob Capitulum Generale, aut Prouinciale, aut graui alia ex causa oratio quadraginta horarum indicitur, Pridie illius diei in Vespere detur signum longiori pulsu Campanæ: Altare maius decentissimè, vt in pręcipuis festiuitatibus, solemni apparatu exornetur. Sex, vel octo lampades concẽnantur, Candelabra cum candelis integris pręparentur, thymiamaterium componatur, Altare albi coloris paramentis honestioribus paretur, Vascula florum, rami virides, & si quę in Domo sunt, sacrę imagines congruis locis aptentur. Imaguculæ tamen quędam rudes, paruulę, vel fictili opere fabrefactę, vel cartulis depictæ, quę offensionem potius quàm deuotionem animis prębent, ad Altaris ornatũ non adhibeantur. Icona detegatur, Ciborium quoq; gestatorium paretur, vt in eo opportunè Sacramentum exponi valeat.

Omnibus itaque ritè dispositis, si oratio pro Generali, aut Prouinciali Capitulo fiat, pridie quam electio peragatur, opportuno tẽpore Missa ternis vicibus pulsetur,

Digitized by Google

ſetur, quę à ſuperiore Domus celebrari debet, vel ſi ille aliquo impedimento ſit detentus, ea ab altero ſacerdote idoneo, ad illius celebrationem deputando dicatur.

Celebrans igitur albis paramentis indutus, ac duabus hoſtijs ſuper patenam collocatis, præcedente Accolytho cum ſuperpelliceo, & libro ad celebrandum accedat, Miſſa erit de Sanctiſſimo Sacramento, etiamſi fuerit duplex, aut Dominicus dies, eſt enim pro re graui, atque in ea vna tantum oratio dicatur, cum *Gloria in Excelſis*, & *Credo*, pax detur, & Altare more ſolito incenſetur. Celebrans duas hoſtias conſecret, vnam quidem aſſumendam, alteram exponendam in Altari per quadraginta horarum ſpacium.

Circa finem Miſſæ Crux pręparetur, candelę quot neceſſarię ſunt, in Choro diſtribuantur, & conuenientibus vniuerſis ante Altare, dum celebrans Hoſtiam cõſecratam in Ciborio clauſtris chriſtallinis circumſepto reponit, candelę accendantur. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 31. Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 137.

Vbi verò Hoſtia in Ciborio ita recondita, vt per clauſtra chriſtallina videri poſſit, & ſuper Altare collocata fuerit. Celebrans ad infimum vſque Altaris gradum genuflectens, loco pluuialis Caſulam retineat, & Accolytho thuribulum, & Nauiculam cum oſculis miniſtrante, incenſum in thuribulum mittat, benedicat more ſolito, deinde ter Sacramentum incenſet, profundis ante, & poſt incenſationem reuerentijs adhibitis.

Mox Diaconus, vel alius Sacerdos loco Diaconi, Alba, ac ſtola ab humero ſiniſtro ad dextrum latus trãſuerſa indutus, reuerenter, ac pręuijs genuflexionibus ad Sacramentum accedens, Ciborium in manibus ſumat, & ad celebrantem deferat, ſtatimque velum humeris ipſius circumponens, veli extremitatibus ita Ciborij ſummitatem contegat, vt ad pedem vſque Ciborij defluant. Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 23. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 31.

Digitized by Google

fluant. Tum cum reuerentijs recedens, celebrãs surgat, & Ciborium vtraque manu eleuatum gestans, vertat se ad Populum, inchoetque versum, *Tantum ergo Sacramentum*, quem vniuersi genuflexi prosequantur. Quo finito surgitur, intonatur Hymnus, *Pange lingua* &c. & Cruce inter duos ceroferarios candelabra accensa gestantes præcedente, ordinetur Processio per Ecclesiam more solito: Thuriferario versa ad Sacramentum facie semper illud incensante: Interim dum processio fit, Cãpana pulsetur.

a Cærem. Epis. lib. 2. c. 23. Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 17.

a Absoluta processione, vbi celebrans ad Altare redierit, in plano Altaris sistat, cunctisque genuflexis, Diaconus stans in infimo gradu Altaris, præmissa genuflexione ante Sacramentum, Velum ex humeris celebrantis remoueat, tum Ciborium de illius manibus accipiat, & in Altari super Corporale collocet, statimque Celebrans genuflectat, ac duo Accolythi post Sacerdotem genuflexi litanias inchoent, cæteris respondentibus, quibus hunc versiculum addant, *Vt Congregationem nostram regere, & illuminare dignetis*, qui bis ab Accolythis repetatur. b Quibus peractis celebrans stans recitet preces, & orationes, quibus addat orationes de Sanctissimo Sacramento, de Spiritu sancto, de B. Virg. de B. Francisco, de Sancto Patrono Ecclesiæ, & postremam, *Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna* &c. Deinde genuflectens iterum cum debitis reuerentijs ter incenset Sacramentum, quod suo loco decenter collocabit, & postquam aliquantisper orauerit, ad Sacristiam redeat. c In Altari verò non minus, quàm sex candelæ, & sex lampades toto orationis tempore aptè dispositæ ardeant.

b Cærem. Epis. lib 2. c. 23.

c Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 137.

d Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 31.

d Mox in choro, vel Sacristia schedula affigatur, in qua ij distinctè notentur, qui singulis horis vicissim durante

Digitized by Google

rãte orationis tempore, ante Altare flexis genibus orationi vacare, & continuatè sibi inuicem toto quadraginta horarum spacio succedere debent. Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 138.

e In fine orationis, prescriptus quoque modus obseruetur, vt Missa solemnis celebretur de Sanctissimo Sacramento, qua absoluta, Celebrans retenta Casula, in infimo gradu Altaris genuflectat: Mox duo Accolythi post Sacerdotem genuflexi litanias incipiant, Choro respondente, quas vsque ad preces prosequantur: Celebrans verò postquam preces, & orationes, vt in principio recitauerit, Sacramentum incensęt, Ciboriumque cum Sacramento à Diacono paratum accipiens, intonato, *Tantũ ergo Sacramentum* &c. sicut prius instruatur Processio, pulsetur Campana. Post processionem celebrans collocato per manus Diaconi in Altari Sacramento, illud de more incensęt. f Demum ad Altare accedens, ambabus manibus Ciborium cum Sacramento accipiat, & versa ad Populum facie, nihil dicens, benedicat Populo formans Sacramento signum Crucis, primum à Capite vsque pectus, tum à dextra ad sinistram Ciborium ducens. Depositò verò Ciborio intra tabernaculum, vbi aliquantisper orauerit, ministro præcedente ad Sacristiam reuertatur. e Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 137. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 31. f Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 31.

Sicubi verò in Ecclesijs nostrę Congregationis pro alia re graui oratio quadraginta horarum instituenda, sit, vel hic ordo seruetur, mutatis orationibus, quæ dici debent iuxta necessitatis exigẽtiam, vel si tanta solemnitas propter religiosorum paucitatem adhiberi non possit, omissa vltima processione, in Missa, cum terminari debet oratio, sacra hostia à celebrante assumatur, atq; ita finem accipiat oratio,

DE

Digitized by Google

DE MODO QVO SANCTISSIMVM *Sacramentum in Altari exponi debet, & recondi.*

CAP. XXI.

SAnctiſſimum Sacramentum iuxta Eccleſiæ leges in Altari nunquam exponi debet, niſi pro communi Eccleſiæ, aut Religionis neceſſitate, aut pro alia re graui, non autem pro leui, vel ad cuiuſque libitum. Idcirco Domorum ſuperiores admonendi ſunt, vt à frequentibus Sanctiſſimæ Euchariſtiæ expoſitionibus, quæ interdum leuiſſima ex cauſa in Altari fiunt, omnino abſtineant. [b] Vbi verò grauis aliqua cauſa id poſtulauerit, Sacramentum ſumma cum veneratione, ac decenti Altaris cultu, atque ornatu exponatur.

[a] Synod. Med. 11. in monit. Act. Med. Eccl. p. 2. fo. 408.

[b] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 137.

Attamen inter expoſitiones diſtinguendum eſt. Quandoque enim tantum aperitur oſtium Ciborij, ſeu Tabernaculi, ita vt Pixis tantum, in qua Sacramentum eſt reconditum, videri queat. Aliquando verò Sanctiſſima Euchariſtia è tabernaculo extrahitur, & in Ciborio geſtatorio, ſeu cuſtodia ante oſtium tabernaculi omnibus palam videnda collocatur.

Prior nec tanto apparatu, nec tanta ſolemnitate indiget, cum mediocris apparatus ſufficere queat, neque enim tunc Altare albis paramentis ornari debet, aut Miſſa ſolemnis dici, aut luminaria parari. Sed [c] vbi Celebrans Sanctiſſimum ſanguinem in Miſſa Conuentuali, vel priuata ſumpſerit, debitis reuerentijs adhibitis, aperiat oſtiolum tabernaculi, ac velum ante illud accommodet, quod vſque ad pedem tabernaculi fluat. [c] Interea ſex candelæ, ac quatuor lampades in Altari accendantur, quæ tandiu ardeant, quo ad oſtiolum tabernaculi

[c] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 137.

Digitized by Google

bernaculi apertum fuerit, ac nulla alia solemnitate adhibita Missam perficiat.

Quod si extra Missarum tempus Sacramentum hoc modo exponi contigerit, Prius Campana sex, vel septẽ tintinni dentur, quo signo audito omnes ante Altare conueniant: Candelæ, ac lampades in Altari accendantur. Tum sacerdos lotis manibus superpelliceo, & stola alba indutus, ferens clauem tabernaculi, & librũ, genuflectat in infimo gradu Altaris, & paulisper cũ cęteris circumstantibus in silentio oret. Tũ accedens ad Altare præmissa genuflexione aperiat ostium tabernaculi, velũ ante ipsum aptet, atq; iterum genuflectens retrocedat vsq; ad vltimum gradum Altaris, vbi rursus genuflectẽs intonet, *Tantum ergo Sacramentum*, cęteris quatuor illos versus prosequentibus, quibus absolutis, duo Accolythi stantes dicant, *Panem de Cœlo* &c. Choro respondente, *Omne delectamentum* &c. Sacerdos orationem de Sacramẽto, & alias iuxta necessitatem dicat, & postquã aliquantulũ orauerint, recedant: prouideat interim superior, vt aliquis ante Sacramentũ cõtinuo stet, & oret. [a] [a] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 137.

Vbi verò Sacramentum vespertina hora recondendũ fuerit, altero signo Campanæ, vt prius, Fratres conuocẽtur ad Altare, vbi sacerdos deputatus superpelliceo, ac stolâ ornatus, in infimo gradu Altaris genuflexus, Accolytho thuribulũ, & nauiculam ministrante, ter Sacramentum incensat. Si dies Dominicus, aut festum fuerit, aut magnus cõcursus Populi, duo Accolythi litanias, vel B. Virg. vel Sanctorum incipiant, quibus absolutis, & dictis orationibus iuxta temporis exigentiam, sacerdos, vt prius, incensat Sacramentum.

Post incensationem inchoet, *Tantum ergo Sacramentum*, prosequente Choro vtrumq; quaternariũ; Dum verò inchoatur, *Gloria, & honor Deo*, Sacerdos ad Altare

aſcendat, Pixidemque ex Altari extractam vtraque manu tenens, vertat ſe ad Populum, & dum verba illa pronunciantur, *Sit & benedictio*, eleuato Sacramento Populo benedicat, ac Pixidem cum Sacramento in ſuum locum reſtituat, & oſtium tabernaculi claudat.

At in poſteriori expoſitione: Cum Sacramẽtum extra tabernaculum in Ciborio, vel cuſtodia producitur: maior apparatus, ac ſolemnitas requiritur: nam imprimis hęc expoſitio nunquam ſine Miſſa ſolemni, ſi poſſibile eſt, fieri debet. Altare albis paramentis eſt ornandum,[b] Decem ſaltem lumina accendenda, vaſcula florum, atq; alia Altaris ornamenta adhibenda.

[b] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 137.

[c] Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 23.

[c] Sacerdos itaque ſolemniter celebrans, vbi Sanctiſs. ſanguinem ſumpſerit, Hoſtiam prudenter in lunula, ac Ciborio geſtatorio accommodet, ne eã frangi contingat: tum loco parato decenter reponens, velo oblongo ex vtraq; parte pendente latera operiat: [d] ſi omnino extra tabernaculum Sacramentum collocatũ ſit, deſuper paruum Conopeum ſerico confectum habeat, vt venerabile Sacramentum ea, qua par eſt, maieſtate appareat.

[d] Cærem. Cler. Reg. li. 3. c. 26.

[e] Rit. Miſs. Cærem. Epiſ. lib. 2. c. 23.

[e] Sacerdos verò Miſſam perficiens accedendo, & recedendo, vt alias dictum fuit, genuflectat, ac cętera obſeruet, quæ tunc ex rubrica illi præſcribuntur.

Cum verò Sacramentũ recondendũ fuerit, ea quidẽ obſeruentur, quę de priori expoſitione dicta ſunt: ſed prętera ſacerdos Alba, & ſtola in Crucis modum ante pectus ducta amictus, precedente Accolytho ſuperpelliceo induto, ad Altare procedat. Vbi in infimo gradu genuflectens paulisper oret, tũ Sacramentum incenſet, deinde à duobus Accolythis litanię B.V. aut Sanctorũ cantentur, Sacerdos ſtans orationes tempori congruas legat, ac rurſus Sacramentũ incenſet: quo incenſato intonet, *Pange lingua* &c. Mox duo Accolythi dicãt, verſus

Digitized by Google

fus, *Panem* &c. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix* &c. *Ora pro nobis B. P. Francisce* &c. quibus etiam addatur de Sancto Patrono Ecclesiæ. Sacerdos stans orationes suo ordine pronunciet: quibus absolutis, tertio Sacramentum incenset. Postea ad Altare accedens Ciborium Sacramenti ambabus manibus sumens dicat, *Benedicat vos omnipotens Deus*, Tum facie ad Populum conuersa eleuans Sacramentum vsque ad Caput, *Pater*, tum deprimens vsque ad pectus dicat, *Filius*, tum à dextra ad sinistram dicens addat, *& Spiritus sanctus*, Choro respondente, *Amen*, Ciborium verò cum Sacramento in tabernaculo reponatur, ostiumq; tabernaculi claudatur; curet deinde Sacrista, vt sequenti die Hostia à Missam Conuentualem celebrante assumatur.

DE PRIMA MISSA SACERDOTIS *solemniter celebrantis.*

CAP. XXII.

CVm primum nouus sacerdos Missam est celebraturus, in primis profunda animi humilitate, ac ineffabilis huius Mysterij consideratione, vt par est, ad tantũ ministeriũ seipsũ disponat: tum eorum omniũ, quę in Missa peraguntur, significationẽ perspectã habeat: quæ memorię commendanda sunt, teneat: demum in sacris Missę actionibus ita frequenter eousque exercitatus fuerit, quod in his postea nullo modo hæsitet, aut cunctetur.

a Altare solito decentius ornari debet, vt quod nouũ sacerdotem ad sacrificium peragẽdum debet recipere, noua quoq; exterioris ornatus figura, militantis, ac triũphantis Ecclesię tunc ouantis lętitiam prę se ferat, nihil

a Cæremon. Cler. Reg. l. 2. c. 30.

tamen in eo apparatu curiosum, superfluum nihil, nihil à nostra simplicitate dissonum appareat. Non aurea, non argentea, nõ demum serica peristromata è parietibus pendeant, eoque aliud quicquam, quod luxum, aut pompam redolet, in nostris apparatibus eniteat, sed vili, ac simplici ornatu contenti, mentem fratris ad Cęlestium mysteriorum, quæ tunc peragi debent, contemplationem transferant, atq; amplioris, ac vberioris gratiæ ornamenta disponant.

Patrinum, aut Matrinam tam ex secularibus, quam Regularibus, viris, aut fœminis, nouus sacerdos nullo modo sibi adsciscat, iuxta veterum Patrum nostrorum sanctiones, quin etiam huiusmodi vsus nec nominetur in nobis, vt eo liberius, ac vtilius Christo Patrino, ac Sanctissima Virgine Deipara matrina absque vlla macułę suspicione vti possit. Pridie illius diei ipse nouus sacerdos in Vesperis, sicut etiam in Completorio, Matutino, & alijs horis sequentis diei, Hebdomadarij officio fungatur. Dicta missa Conuentuali, tempore congruo à superiore præscribendo, Missa sicut in die solemni ter pulsetur.

Cęterum quamuis ea Missa solemniter celebrari soleat, id tamen ita necessarium nõ est, vt etiam priuatim celebrari non possit. Quapropter si ea die nullum festum duplex occurrat, Missa etiam votiua vel solemniter, vel priuatim absque vlla solemnitate à nouo sacerdote celebrari poterit. Nouo igitur sacerdote paramentis Missæ conuenientibus induto, [b] Alter quoque sacerdos, qui eidem assistere debet, superpelliceo amictus, vel Albam, ac desuper stolam transuersam gerens, illum comitetur, qui vbi Calicem suã Hostia instructum acceperit, omnes hoc ordine ad Altare progredientur. Primum duo Ministri cum duobus intortitijs

[b] Cærem. Cler. Reg. l. 2. c. 30.

accensis

Digitized by Google

accensis præcedent: deinde Accolythus superpelliceo indutus cum Missali ante pectus erecto sequetur: Assistens post Accolythum Calicem in manu gestans gradiatur, vltimus celebrans iunctis manibus, oculis in terram defixis, lento passu, ac grauiter post omnes incedat.

Postquam ad Altare peruenerint, celebrans inter Assistentem, & Accolythum genuflectat in infimo gradu Altaris, Sacramentum reuerenter adorans, Assistens verò post genuflexionem Calicem in Altari supra Corporale extenso statuat, & Missam in libro reperiat, ac signacula, vbi opus est, distribuat: tum ad dexteram partem Sacerdotis rediens, Accolytho sinistram tenente, medius Sacerdos surgens Missam incipiat, cui Accolythus respondeat, Assistente interim simul cum celebrante, vel stante, vel se inclinante, ac debitas illi cæremonias, ac verba ijsdem actibus, ac verbis ministrante. quod Assistens in toto hoc Missæ ministerio præstare debet.

Confessione absoluta Ministri cum intortitijs discedant: celebrans verò cum per medium ad Altare ascendit, eundem quoq; Assistens comitetur, & ante celebrãtem dicat, ac perficiat quecunque celebrans dicere, ac perficere debet.

Accolythus thuribulum, & Nauiculam ministrabit, celebrans verò more solito Altare incensans, Diacono sibi per omnia assistente vniuersa perficiat, quæ ad Missæ celebrationem spectant.

Ad Euangelium iterum intortitia ferantur, sicut etiã ad elenationem Sacramenti, quæ postea extingui non debent, donec celebrans in Sacristiam redierit.

Post celebrationem Missæ celebrans eodem, quo venerat ordine in Sacristiam redeat. Cuncti verò, qui [a] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 15.

qui in Choro sunt, suo ordine illius manus oscu-lentur.

DE RITV QVO SACRAMENTVM pœnitentiæ est administrandum.

CAP. XXIII.

SAcerdotes, quibus ligandi, & soluendi potestas à Deo demandata est, quique inter dispensatores Mysteriorum Dei diuino, ac Ecclesiastico munere sunt cooptati, magnopere curare debēt, vt creditā clauium dispensationem prudenter, ac fideliter, vt tanta res postulat, pro dignitate exequi studeant, ne terribile illud Dei iudicium audiant. [b] *Veh vobis, quia clauditis regnū Cœlorum ante homines, vos enim non intratis, neque introeuntes finitis intrare.*

[b] Matt. 23.

Quamobrem qui ad confessiones audiendas, vel à Prouinciali Ministro, vel à superiore Domus deputati fuerint, iniunctū sibi onus accuratè perpendant, sciantque ex eorum prudentia, vel imprudentia pœnitentium vitam, ac interitum æternum pendere: idcirco ea scientia præditi sint, qua inter lepram, & lepram dijudicare: peccata, ac peccatorum species discernere valeant: demum quæcunque ad suum munus perfectè exequendū necessaria sunt, perspectissima habeant. [c] Antequam Confessiones audiant, eisdem cōsultum est, vt se, suosque pœnitentes Deo obnixè commendent, tantumque cœlestis gratiæ lumen, & auxilium in eo ministerio obeundo postulent, vt Deo primum, tum sibi, deinde ac pœnitentium saluti plenè satisfacere valeant.

[c] Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 762. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 33.

[a] Magnus ille Carolus Borromęus, sapientissimus rerum diuinarum Magister, quandam precationis formā olim

[a] Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 762.

Digitized by Google

olim ſuis Confeſſarijs præſcripſit, qua ante huius Sacramenti adminiſtrationem vterentur, in hunc ferè modum, paucis duntaxat mutatis, compactam.

℣. *Cor mundum crea in me Deus.*
℟. *Et ſpiritum rectum innoua in viſceribus meis.*
℣. *Ne proijcias me à facie tua.*
℟. *Et ſpiritum ſanctum tuum ne auferas à me.*
℣. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.*
℟. *Et ſpiritu principali confirma me.*
℣. *Docebo iniquos vias tuas.*
℟. *Et impij ad te conuertentur.*
℣. *Libera me de ſanguinibus Deus Deus ſalutis meæ.*
℟. *Et exultabit lingua mea iuſtitiam tuam.*
℣. *Domine exaudi &c.*
℟. *Et Clamor meus &c.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oratio.

OMnipotens, & miſericors Deus, qui me indignum famulum tuum, propter immenſam miſericordiam tuam, miniſtrum feciſti officij Sacerdotalis, mediatoremque ad orandum, & intercedendum apud Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum pro peccatoribus, & ad pœnitentiam reuertentibus conſtituiſti, ſuſcipe orationem meam, quam fundo pro famulis tuis, qui ad pœnitentiam ſunt venturi, vt des illis ſpiritum compunctionis, quo reſipiſcant à Diaboli laqueis, quibus adſtricti tenentur, & ad te per dignam ſatisfactionem reuertantur, Per eundem Dominum noſtrum &c.

Hac vel altera precandi formula, quæ cuique melior viſa fuerit, noſtri quoque confeſſarij vti poterunt, vt diuini muneris miniſterium pro dignitate exerceant.

Digitized by Google

[b] Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 519. & 520. Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 33. [c] Concil. Med. 5.

[b] Hac igitur præparatione prælibata, Confessarius ad ministrandum pœnitentiæ Sacramẽtum grauis, & compositus accedat: non iaceat, aut alio modo incompositè se gerat: nõ vbique indifferenter, nullo inter locum, & locum discrimine seruato: sed vel in Sacristia, vel alio honesto loco sedens, [c] vtpote peccatorum Iudex à Deo constitutus, pœnitentes audiat, nihil leue, aut garrulum in Confessione proloquatur: præsertim cum Dei in eo munere personam, atque auctoritatem præferat.

[d] Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 519. Rit. Miss.

[d] Pœnitentes attentè, & accuratè audiat, nihilque patiatur sub murmure incertum, aut confusè prolatum effluere. Ideoque sic vbi opus fuerit, pœnitentes admoneat, vt clara, & intelligibili voce peccata distinctè pronuncient, & si rudes, ac illiterati fuerint, doceat circumstantias, vel aggrauantes, vel speciem peccatorum mutantes explicare. Nam etsi vt plurimum fratrum confessio circa venialia tantum peccata versetur, de quo Deo gratiæ impensius agendæ sunt, perfectionis tamen studium, atque ipsa Sacramenti sanctitas postulant, vt exacta quoque venialium confessio fiat.

[e] Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 519. & 520.

[e] Peracta confessione, si de aliquibus pœnitens sit admonendus, quæ vel ad confessionem, vel ad ipsius salutem pertineant, id grauiter, ac prudenter præstet: Alioquin illos post salutarem pœnitentiam iniunctam absoluat, neque vllos extra salutis negotium cum pœnitentibus eo tempore sermones admisceat.

[a] Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 760.

Cętera, quæ ad Confessarij scientiam, munus, ac prudẽtiam spectant, quandoquidem à plurimis Doctoribus copiosè exarantur, consultò præterimus. [a] Id tamen Confessarios admonemus, vt Doctores in hoc genere probatos sedulo præ manibus habeant, vt ex eorũ assidua, ac diligenti lectione, quæ adhoc Sacramentum

ritè

Digitized by Google

ritè adminiſtrandum vtilia, & neceſſaria ſunt, facilius addiſcant.

DE RITV, QVO FRATRES ACCEDERE debent ad Sacramentum pœnitentiæ.

CAP. XXIV.

Pœnitentiæ Sacramentum, quandoquidem ea ratione à Deo inſtitutum eſt[b] (teſte Chryſoſtomo) vt peccata miſerante Deo remittat, Paradiſum reſeret, contritum hominem ſanet, triſtem exhilaret, vitam de interitu reuocet, perdita reſtauret, vires reformet, abundantiorem que gratiam animę refundat: [c] Maxima profecto reuerentia, ac Religione adeundum eſt, ne quod ad vitę remedium diuina benignitate nobis collatum fuit, oſcitantię vitio in noſtram perniciem, ac interitum vertatur.

[b] Chryſoſt. ſerm. de pœnit.

[c] Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 520.

[d] Pœnitens igitur cum primum ad pœnitentię Sacramentum accedere voluerit, (quod bis in qualibet hebdomada, videlicet die Dominico, & Iouis [e] iuxta conſtitutionum noſtrarum placita, fratres omnes præſtare debent:) tametſi venialium duntaxat peccatorũ culpis ſe irretitum ſentiat; earum tamẽ multitudinem, ſpeciem, & grauitatem, [f] præſertim ſi celebraturus ſit, prius apud ſe diligenter examinet, ac vehementer, atq; ex animo deploret: in quo mentis aciem, ad Deum potius offenſum, quem toto corde diligere oportebat, intendere, quam ad ipſa peccata deflectere debet, quare ſanctiſsimã Ieſu Chriſti Crucifixi imaginẽ ſibi ante oculos proponat, ante cuius conſpectũ genuflexus, perinde ac ſi is præſens eſſet, gemens peccata ſua recenſeat. Nonnulla capita ſibi in mente ſtatuat, ad quæ vniuerſa

[d] Act. Med. Eccl. ibid.

[e] Conſt.

[f] Act. Med. Eccl. p. 4. fo. 730.

Digitized by Google

uersa peccata reducat, quæ ab eo vt plurimum perpetrari solent, vt ad ea confugere valeat, quoties conscientiam examinare voluerit. Huiusmodi plura [g] apud D. Bonauenturam, atque alios Doctores leguntur, quibus ad perfectam, & ordinatam peccatorum suorum confessionem instituì possit.

[g] D. Bonau. in reg. nouit.

Caueat tamen pœnitens, ne ordinariam quandam conferendi formulam, quę apud auctores interdum legitur, ita memoriæ commendet, vt ab ea nihil mutando, addendo, aut minuendo eandem semper cantilenā canere videatur: sed ab ijs ordinem tantum capitum, & modum, quo peccata sua recensere debeat, addiscat: & peccata propria, eo modo, quo perpetrata sunt, prius apud se diligenter explorata, distinctè pronunciet.

[b] Præmisso igitur diligenti conscientiæ examine, ac firma deliberatione apud se inita, vniuersa peccata etiam leuissima, atque ea præsertim, ad quę se magis propensum agnoscit Deo adiuuante deuitandi: tempore præstituto ad Confessarium tanquam ad vices Christi gerentem accedat, [a] nudis pedibus, capite aperto, vultu demisso, manibus iunctis, ac supplicibus, tanquam Diuinę Maiestatis lęsę reus, ad pedes Confessarij corruens terram osculabitur, dicens, *Benedicite Pater*, ac decenter toto corporis habitu, & situ se ita componat, vt instar supplicantis sit: deinde seipsum signans dicat, *Confiteor*, vsque ad *Ideo precor:* postea omnia peccata magno cordis gemitu, integrè, intelligibiliter, distinctè, ac fideliter exponat, pœnitentiam iniunctam accipiat, [b] & humo rursum prę reuerentia Sacramenti deosculata recedat, pœnitentiamque primo quoque tempore expleat.

[b] A&. Med. Eccl. p. 4. fo. 520. D. Bonau. reg. nouit. c. 3.

[a] D. Bon. in reg. nouit. c. 3.

[b] D. Bon. in reg. nouit. c. 3.

DE

Digitized by Google

INSTRVCTIONES QVAEDAM *Confessarijs necessariæ quoad modum absoluendi Pœnitentes.*

CAP. XXV.

CVm sancta sanctè administranda sint, nec grauior Deo vnquam iniuria inferatur, quam cum Sacerdotum vitio Sacramenta polluuntur, & res diuinæ improbè administrantur. Idcirco caueant Confessarij, ne ad pœnitentiæ Sacramentum administrandum crimine aliquo lethali irretiti accedant, quod prius, vel oris Confessione, vel animi saltem pœnitudine non expiauerint, atque ita se ad huius Sacramenti dispensationem disponant, vt ex eo abundantiorem gratiam referant.

Tum verò meminisse debent: se à Deo Opt. Max. sce lerum Iudices esse constitutos, vt cœlesti gladio peccata confodientes, Pœnitentes Iudicialiter absoluant. Quapropter non stando, non genuflectendo, non iacendo, sed iuxta Ecclesiasticas sanctiones sedendo confessiones audiant, ac pœnitentes absoluant.

Dum confessiones audiunt, nunquam faciem ad pœnitentem conuertant: sed caput alteram in partem inflectant, & caputio contegant, ne ex obuio ipsorum aspectu Pœnitentes verecundiam contrahant, ac propterea cum in Cella pœnitentes audiuntur, claudatur fenestra, vt liberius, ac sine verecundia peccata declarare queant.

Peracta peccatorum Confessione, confessarius antequam pœnitentem absoluat; pœnitentiam illi imponat, non dimidiatam, scilicet, vt dum illum absoluit vnum, *Pater noster*, & *Aue Maria*, recitet, tum Miserere post abso-

Digitized by Google

absolutionem dicendum iniungat, sed totam post absolutionem pœnitentiam peragendam iniungat: Pœnitens enim dum absoluitur animum potius in silentio ad diuinæ gratiæ infusionem parare debet, quam aliquid ore recitare. Mox absolutionis formam voce intelligibili, manu super pœnitentis caput, iuxta antiquum Ecclesiæ vsum extensa pronunciet: sententia enim, etiam ab ipso reo debet audiri.

In ipsa verò absolutionis sententia maximè perpendendum est, quod cum ex D. Thomæ, ac aliorum Theologorum sententia, opera à Pœnitente post Confessionem facta vim maiorem ad satisfactionem sortiantur, si ea Confessarius virtute clauium Pœnitenti in peccatorum satisfactionem imponat: idcirco Confessario consultum est, vt in absolutione vtatur verbis auctoritatem importantibus, veluti, *Iniungo tibi in satisfactionem* &c. vt in formula absolutionis adnotatur.

Postremo, cum ex summorum Pontificum priuilegijs olim nostro Ordini concessis, Confessarij aliquas idulgnentias Pœnitentibus elargiri valeant, quæ nec dum reuocatæ censentur: Hinc ne earum omissio in Pœnitentium damnum, ac præiudicium redundet, sub finem absolutionis addi poterunt verba, quæ in formula absolutionis ordinaria assignantur.

PROBATIORES FORMVLÆ absolutionum, quibus Confessarij pro temporum, ac criminum exigentia vti debent.

CAP. XXVI.

CONfessarius non vnam omnibus criminibus absolutionem impendere debet, cum multi interdum casus

Digitized by Google

casus occurrant, in quibus variæ absolutiones varijs temporibus, ac criminibus sunt accommodandæ, quapropter probatiores absolutionum formas hoc loco colligere voluimus, ne eas Confessarij longius querant, sed quoties opus fuerit, in promptu habeant.

Forma absolutionis ordinariæ.

[a] *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam. Amen.* [a] Act. Eccl. Med. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 33.

Tum dextera versus pœnitentem eleuata dicat.

Indulgentiam absolutionem, & remissionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens, & misericors Dominus. Amen.

Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius te absoluo ab omnibus peccatis tuis, & si quam indulgentiam virtute cuiuscunque priuilegij tibi ebcedere possum, quam maiorem possum concedo. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen.

Hic Confessarius format signum † super pœnitentẽ.

Passio Domini nostri Iesu Christi, Merita B. M. Virginis, & omnium Sanctorum sint tibi in remissionem peccatorum, augumentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. In quorum etiam peccatorum satisfactionem virtute clauium tibi ascribo quicquid boni vnquam feceris, & mali sustinueris. Amen. Vade in pace, & noli amplius peccare, & ora Deum pro me.

[b] Si confessio fiat breuius, & frequentius, omitti poterunt, *Misereatur* &c. & *Indulgentiam*, & inchoetur à verbis, *Dominus noster Iesus Christus*. [b] Cærem. Cler. Reg. li 2. c. 33.

[c] Quod si casus accidat, in quo mors immineat, sufficiat dicere, *Ego te absoluo ab omnibus censuris, & peccatis tuis. In nomine Patris* &c. [c] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 33.

For

Digitized by Google

Forma absolutionis ab excommunicatione maiori, in foro tantum interiori.

Si excommunicatio fuerit occulta, & nulli reseruata, Confessarius seruatis erga excommunicatum, quę de iure seruanda sunt, eundem absoluens hac forma vtatur.

d Rit. Ro. d *Parcat* &c. *Misereatur* &c. *Indulgentiam* &c. *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius te absoluo ab excommunicatione, quam incurristi ob talem causam,* (& explicet causam V.G. ob percussionem Clerici) *& restituo te vnitati, & participationi fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ. Iterum te absoluo ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris* &c. *Passio* &c.

Hac formâ quoque vti poterit Confessarius in excommunicatione minori.

e Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 33. Si dubium fuerit an Pœnitens sit excommunicatus, detur absolutio ad cautelam hoc modo. *Parcat* &c. *Misereatur, Indulgentiam* &c. *Dominus noster* &c. *& ego auctoritate ipsius te absoluo à vinculo excommunicationis* ob talem causam (explicetur causa,) *si illud incurristi*, vel dicatur, *ab omni vinculo excommunicationis, si aliquo teneris, & restituo te* &c. quæ absolutio pœnitenti impendi potest, quoties Confessario placuerit, ad cautelam.

Forma absolutionis ab excommunicatione maiori in foro exteriori.

f Confessarius neminem absoluere potest ab excommunicatione in foro exteriori, nisi illi facultas ab eo de-

Digitized by Google

demandata fuerit, cui excommunicatio est reseruata. Cum verò absoluendi potestas illi à superiore commissa fuerit. Si in mandato certa forma præscripta fuerit, illa omnino seruetur: si verò in commissione dicatur, vt absoluatur in forma Ecclesiæ consueta: Absolutio publicè, vel in Refectorio, vel in Cella fiat, in qua forma canonica seruetur. Primum, vt Confessarius à Pœnitente iuramentum exigat de parendo mandatis Ecclesiæ, quæ illi fient pro tali causa, ac præsertim ne deinceps contra illum Canonem, aut Decretum delinquat, cuius præuaricatione censuram incurrit. Secundò excommunicatus prius competenter satisfaciat lęsis, sicut satisfacere tenetur: vel saltem de satisfaciēdo cautionē det sufficientem.

[a] Tertiò Confessarius, vel superior sedens, Pœnitentem humeris nudatum ante se genuflexū habeat, eumq; virga, aut funiculis leuiter per se, vel per alium super humeros percutiens, dicat totum Psalmum, *Miserere mei Deus* &c. vel alterum Psalmum pœnitentialem, qui Psalmus cani debet alternatim à fratribus. Deinde surgat, & detecto capite dicat, *Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster* &c.

[a] Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c 33.

℣. *Et ne nos inducas intentationem.*
℟. *Sed libera nos* &c.
℣. *Saluum fac seruum tuum.*
℟. *Deus meus sperantem in te.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis non nocebit ei.*
℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum spiritu tuo.*

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

Deus cui proprium est misereri semper, & parcere, suscipe deprecationem nostram, vt hunc famulum tuum, quē vinculum excommunicationis constringit, miseratio tuæ pietatis clementer absoluat. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

§ Rit. Ro. Mox sedeat, & coperto capite dicat, *Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius, & Sanctissimi Domini nostri Papæ,* (si à Papa fuerit Delegatus) alioquin, *admodum R.P. Generalis, aut Prouincialis* (si ab horum aliquo ei delegata fuerit potestas) *mihi commissa, absoluo te à vinculo excommunicationis, in quam incurristi, vel incurrisse es declaratus propter talem causam* (causa explicetur,) *& restituo te communioni, & vnitati fidelium, & sanctis Sacramentis Ecclesiæ. In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti Amen,* ac dextera super pœnitentem protensa signum Crucis producat.

Forma absolutionis à suspensione, vel interdicto.

§ Rit. Ro. Si Confessarius facultate sibi commissa aliquem à suspensione, vel interdicto absoluere voluerit. Post iuramentum præstitum, vt dictum fuit de excommunicatione. Pœnitens dicat, *Confiteor,* Sacerdos verò more solito pronunciet, *Misereatur* &c. *Indulgentiam* &c. Deinde subiungat, *Auctoritate Sanctiss. nostri Domini nostri Papæ N. vel Illustrissimi D. Cardinalis Legati* &c. *ego absoluo te à vinculo suspensionis, vel interdicti, in quod incurristi propter talem causam* (exprimat causam,) *seu incurrisse declaratus es. In nomine Patris* &c. Amen.

Per-

Forma absolutionis plenariæ vigore alicuius Priuilegij, seu Iubilei.

a Tempore Iubilei, siue cum aliquis vigore alicuius priuilegij, petit absolui plenariè à quibuslibet Censuris: Confessarius hac forma vtatur. a Cæremon. Cler. Reg. li. 2. c. 33.

Misereatur, Indulgentiam &c.

Dominus noster Iesus Christus te absoluat, & ego auctoritate ipsius & Sanctiss. D. N. Papæ N. vigore specialium literarum apostolicarũ, vel generalis Iubilei, seu Indulgentiæ plenariæ in forma Iubilei tibi concessa, & mihi commissa absoluo te. (dicatur prout stat in literis Priuilegij, vel Iubilei) *ab omni excommunicatione maiori, vel minori, suspensione, & interdicto, & ab omnibus Censuris à iure, vel ab homine quacunque causa illatis, & dispenso tecum in omni irregularitate præterquam* &c. exprimantur irregularitates reseruatæ in Bulla. *Iterum absoluo te ab omnibus peccatis tuis. In nomine Patris* &c. *Passio* &c.

Forma absolutionis ab apostasia.

b Cum superior, siue confessarius ex delegatione superioris fratrem Apostatam ab Apostasię crimine absoluere voluerit, die præscripta signo tegulę Fratres ad Refectorium, quo nos loco Capituli vtimur, cõuocentur. Ibi pœnitens nudatis humeris genuflexus ante superiorem, vel Delegatum dicat suam culpam superior verò, vel delegatus leuiter virga, vel funiculis humeros illius percutiens cum astantibus alternatim dicat, *Miserere*, quo absoluto, dicat, *Kyrie eleison*, & alia, vt supra in absolutione ab excommunicatione in foro exteriori. b Cæremon. Cler. Reg. lib. 2. c. 33. Direct. Inquisit.

Digitized by Google

Forma dispensationis ab irregularitate.

e Cærem. Cler. Reg. l. 2. c. 33. e Irregularitas non absolutione, sed dispensatione tollitur, in confessione, & extra confessionem. Si fiat in confessione, tunc postquã Confessarius à peccatis absoluerit, subiungat, *& eadem auctoritate dispenso tecum super irregularitate, siue irregularitatibus,* (si sint plures,) *in quas incurristi ob talẽ, vel tales causas,* (exprimat causas,) *& restituo te executioni ordinum, & officiorũ tuorũ. In nomine Patris* &c. (vel si nullo ordine sit insignitus,) *& habilem reddo te ad omnes ordines suscipiendos.*

Si verò extra confessionem dispenset, prioribus, quę ad Sacramentum absolutionis pertinent, omissis: sedẽs superior, pœnitente genuflexo, dicat.

Auctoritate Sanctiss. D. N. Pp. N. ego dispenso tecum super irregularitate, quam ob talem causam, (ipsam exprimendo) *contraxisti, & restituo te executioni ordinum, & officiorum tuorum, vel habilito te ad omnes ordines suscipiendos. In nomine Patris* &c.

Formula absolutionis plenissimæ in articulo mortis.

f Rit. Rò. f *Misereatur tui* &c. *Indulgentiam absolutionem* &c. *Dominus noster Iesus Christus per merita sanctissimæ passionis te absoluat, et gratiã suã tibi infundat, & ego auctoritate ipsius, & Beatorum Apost. Petri, & Pauli, & sãctorũ Pont. mihi in hac parte commissa, & tibi concessa: absoluo te ab omni vinculo excõmunicationis Maioris, vel minoris, vel sententia suspensionis, & interdicti, & dispenso tecũ in omni irregularitate, si quã incurristi, & restituo te vnioni, & participationi fidelium, nec non sanctis Sacramentis Ecclesiæ. Eadẽ auctoritate ego absoluo te ab omni trangressione votorũ tui Ord. & statutorũ Papalium, Generalium, Prouincialium, Custodialium, localium, & synodalium*

Digitized by Google

dalium quorumcunq; Eadem auctoritate absoluo te ab omni diuino officio male persoluto, horis indebitè transpositis, vel dimissis: Item eadem auctoritate te absoluo ab omnibus peccatis tuis, quibus contra Deum fragilitate humana, ignorantia, vel malitia deliquisti, concedens tibi remissionẽ, & indulgentiã plenariã omnium peccatorum tuorũ confessorũ, & cunctorũ de quibus etiã non recordaris, aut oblitus fuisti: inquantũ Claues Ecclesiæ se extendunt. Itẽ eadem auctoritate ego absoluo te à pœnis Purgatorij, quas pro peccatis commissis, & delictis in hoc mundo perpetratis meruisti, restituendo te illi innocentiæ, in qua eras quãdo baptizatus fuisti. In nomine Patris, † & Filij, † & Spiritus sãcti † Amen, quod si hac vice nõ decesseris, reseruo tibi hãc gratiã vsq; ad extremum mortis tuæ articulum.

Vi huius absolutionis omnes casus, tam Papę, quàm superioribus reseruati dimittuntur. Nauarr.

Forma absolutionis Generalis, ac plenariæ, quæ à regularium superioribus in visitatione Fratrum, atque alijs temporibus dari solet.

Mos est in ordine nostro Antiquissimus, vt Gen. ac Prouin. Minister, siue ab ijs visitatores delegati, tam in visitatione Fratrum, quã etiam in Cap. Gener. seu Prouinciali, ac diebus solemnioribus, iuxta priuilegia à sũmis Pontific. illis concessa fratres vna collectos generaliter ab omnibus censuris, & pęnis ecclesiasticis absoluant, ac in irregularitatibus, & inhabilitatibus, & alijs canonicis impedimentis dispẽsent, quatenus ipsorũ se extendit auctoritas. Quę absolutio quamquã Sacramẽtalis non sit, sed solum Iurisdictionis, ea tamen tanti põderis est, vt à casibus Papalibus, ac reseruatis omnem reseruationẽ, ac pręsẽtationis vinculũ auferat; si ex fratribus quispiam in eos, vel ignoranter inciderit, vel eo-

Digitized by Google

Nauarrus in Manu. rum tunc temporis memor non esset, dummodo omnis ab eo dolus, aut fraus longè absit.

Adde, quod eodem tempore Generalis, & Prouincialis ministeri, suis subditis indulgentiam plenariam, ijsdē priuilegijs suffragantibus concedere valent. Quare vbi fratres omnes coram ipsis genuflexi, dixerint *Confiteor Deo omnipot.* &c. absolutionis beneficium illis sub hac forma impendat.

Parcat vobis &c.

Per aspersionem sanguinis Domini nostri Iesu Christi, & per merita B. Virg. Mariæ, Seraphici P. N. Francisci omniumque Sanctorum, atque Sanctarum Misereatur vestri omnipotens &c.

Dominus noster Iesus Christus per suā pijssimā misericordiā vos absoluat, & ego auctoritate ipsius, & officij mei, & statutorū, & Priuilegiorū Ord. quaſungor, vos omnes absoluo ab omnibus sententijs generalibus, & specialibus à Iure, vel ab homine latis, nec nō ab omnibus Censuris excōmunicationis maioris, vel minoris suspensionis, & interdicti, si quas quomodocunq; incurristis, in quantum mea auctoritas se extendit, & restituo vos sanctis Sacramentis, Ecclesiæ communioni, & fidelium vnitati.

Item eadē auctoritate dispenso vobiscū super irregularitatibus, inhabilitatibus, & alijs pœnis Ecclesiasticis, in quantum possum, & valeo: Aboleo etiā à vobis omnē maculā infamiæ vndecunq; contractæ: vosq; in posterū habilito atq; restituo ad pristino statuum vestrorum gradus, ad omnes actus legitimos, tum ordinis, tum Iurisdictionis, ad omnia officia, ac Religionis nostræ beneficia; prout nostra se extendit auctoritas.

Demum eadē auctoritate absoluo vos ab omnibus peccatis vestris, ac plenariam de illis concedo vobis indulgētiā, iuxta formā S. R. E. consuetam. In nomine Patris &c.

Ite

Digitized by Google

Ite in pace nolite amplius peccare, & orate Deum pro me.

Postremo aliquam illis pœnitentiam iniungat, nisi ante absolutionem forsitan iniunxerit.

DE MINORVM HOSTIARVM consecratione, & ritu in Communione Fratrum seruando.

CAP. XXVII.

GRauissima profectò ratione nō vacat, quod Prisci Congregationis nostræ Patres constitutionibus sanxerunt, vt scilicet præter sacerdotes, qui quotidie celebrare debent, fratres vniuersi, nisi aliquo morbo detenti fuerint, bis in hebdomada, nimirum die Iouis, & Dominico ad sacram synaxim accedant, & qui frequentius Domini Corpore saginari voluerit, id liberè cum superioris benedictione, ac licentia præstare queat. [b] Const.

[a] Vox enim est Sancti Ignatij, Apostolorum discipuli ita scribentis. *Date operam, vt crebrius congregemini ad Eucharistiam, & gloriam Dei: quando enim sæpius in idem loci conuenitis, labefactantur vires Sathanæ, & ignita illius ad peccatum iacula irrita resiliunt.* [a] S. Ignat. Epist. ad Ephes.

Hinc Basilius antiquos Monachos quotidie ad Eucharistiam accedere solitos fuisse insinuat, & ipse frequentem, ac quotidianam Corporis Christi refectionē plurimum commendat, his verbis. [b] *Communicare per singulos dies, & participare de sacro Corpore, & sanguine Christi, pulchrum est, & valde vtile, ipso manifestè dicente, qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinē habet vitam æternam. Quis enim ambigit, quia frequens vitæ participatio nihil aliud sit, quàm pluribus modis viuere? Nos idcirco quater in singulis Hebdomadis commu-* [b] S. Basil. ad Cæsar. Patricium. Ioan. 6.

Digitized by Google

nicamus, in die Dominico, in quarto die Hebdomadæ, in paraſceue, & in Sabbato, ac in alijs diebus, ſi qua fuerit memoria ſancti alicuius.

c Chryſoſt. hom. 51. in Matt.

c At verò non ſatis eſt, ad Euchariſtiam accedere, niſi dignè accedatur, neque accedentem ſufficit credere, ſed fidem cum mentis candore, ac cordis munditia ad Altare adferre. d *Noli parare fauces*, (inquit Auguſtinus,) *ſed cor*. Perſpicua enim eſt Apoſtoli doctrina, e *Quicunque manducauerit panem hunc, vel biberit Calicem Domini indignè iudicium ſibi manducat, & bibit.*

d Auguſt. de verb. diu ſer. 33. c. 5 in Euã gel. Luc.

e 1. Cor.

f Bonau. in Reg. Nou. c. 4.

f Diebus igitur præſcriptis, vel alijs iuxta ſuperioris beneplacitum aſſignatis, qui ad ſacram ſynaxim conuẽturi ſunt, animam prius ab omni ſorde in Sacramento pœnitentiæ purgatam, ad Diuinam hanc refectionem, quam diligentiſſimè præparent. Viliſſimam ſui ipſorum non tam naturam, quàm naturæ in ipſis ſtatum, ac conditionem culpis, ac ſceleribus labefactatam, ac omni bono indignam, cum ampliſſimo Dei dono quod in Euchariſtia datur, conferentes. Hinc ſeipſos vſque ad ima deprimant: illinc diuinam benignitatem attollant.

Cum verò a Chriſto dictum fuerit, *Hæc quotieſcunque feceritis, in mei memoriam facietis*, neque aliud ſacra Communio ſit, præterquam participatio eiuſdem Corporis, & ſanguinis Domini, quæ in Cruce Deo Patri immolata ſunt: Certè æquum eſt, vt nunquam abſque intima Paſſionis, & mortis Chriſti meditatione ad Sacramentum accedant: ſed in eam potiſſimum mentis oculos, & affectum intendentes, ſtudeant cum primis ardenti ipſius charitate inflammari, ac vnitiuo amore in eum transformari.

Ea enim eſt huius Sacramenti vis, vt dignè percipiẽtem, & amantem in Chriſtum abſorbeat: eo planè modo, vt docet Cyrillus Alexandrinus. g *Sicut ſi quis li-*

g Cyrillus Alex. in Ioan. c. 17.

que-

Digitized by Google

quefacta cera aliam ceram infuderit, alteram cum altera per totum commisceat, necesse est. Ita si quis carnem, & sanguinem Domini recipit, cum ipso ita coniungitur, vt Christus in ipso, & ipse in Christo inueniatur.

Hæc obiter de præparatione dicta sint: pleraq; enim alia fusius, & copiosius à D. Bonauentura in stimulo diuini amoris, & ab alijs auctoribus exarantur, quæ apud illos requiri possunt. [a] Id tamen vniuersi addiscant, quod tum ex Patrum doctrina, tum ex ipso vsu comprobatum est: Maiorem, vel minorem Religiosorum profectum potissimum ex digniori, vel minus digna Sacramenti huius perceptione pendere.

[a] Gregor. Nyss. Orat. Catheс. 137. Chrysost. Hom. 81. in Matth. Cyrillus Alex. li. 4. c. 14.

[b] Generalis communio diebus præscriptis semper in Missa Conuentuali fiat, neque ab ea, quispiam absque superioris, aut Confessarij licentia se eximat. Qui verò ad sacram Communionem sunt accessuri: ante Missã Conuentualem, ex illo granorum numero, quæ in Choro à tergo Altaris filo insita esse debent, quilibet vnum versus Altare in signum futuræ Communionis producat. Sacrista verò cum primum celebrans ad Altare procedere voluerit, numero communicandorum ex numero granorum, quæ producta sunt, explorato; Celebrantem admoneat, vt tot minores hostias, ac plures si pro renouatione hostiarum, quæ sunt in Pixide, opus fuerit, in patena parare possit. [c] Quod si præter fratres, alij etiam quamplurimi seculares sint communicandi, Sacrista Calicem cum palla præparet, in quo minores hostiæ optimè à fragmentis purgatæ, siue ad certum, siue ad incertum numerum consecrandæ recondantur, & antequam celebrans offertorium fecerit, in Altari super Corporale, ac petram sacratam reponat.

[b] Conſt.

[c] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 34.

[d] Celebrans verò, cum ad offertorium peruenerit, Calicem cum hostijs amota palla detegat, vel si paruus

[d] Ru. Miſs. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 34.

Digitized by Google

numerus hoſtiarum ſit, in patena ſimul cum maiori hoſtia accipiat, & offerat intentionem ad omnes, & ſingulas hoſtias abſque numeri determinatione dirigens: tū poſt offertorium iterum Calicem hoſtiarum, ſi adeſt, palla operiat. [e] Dicturus in Canone, *Qui pridie*, Calicē hoſtiarum ſuper petram ſacratam collocatum paululū ad ſe trahens, ac detegens, ita, vt hoſtias videre valeat, verba conſecrationis ſuper omnes proferat, omnesque, ac ſingulas conſecrare intendat, ad nullum ſe determinatum numerum contrahens, ne fortè in numero interdum errare contingat. Dum verò profert verba conſecrationis, aduertat, vt Calix cum minoribus hoſtijs omnino ſuper petra conſecrata ſitus ſit: poterit tamen ſi Miſſæ cęremonias impediat vſque ad horam Communionis aliquantulum ſemoueri.

[e] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 34.

[f] Poſt eleuationem verò cum hoſtiam repoſuerit ſuper Corporale, Calicem hoſtiarum palla cooperiat, & poſt Calicem vini collocet.

[f] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 34.

Statim verò, vt celebrans *Agnus Dei*, pronunciauerit communicandi, qui in Choro ſunt, ſimul cum Accolytho, qui Miſſæ inſeruit, generalem de more reconciliationem genuflexi, ac profundè inclinati inter ſe faciant; antea verò particularis vniuſcuiuſque viciſſim iam prę-ceſſiſſe debuit: tum verò benedictione à ſuperiore, vel à ſeniore, qui eſt in Choro petita, [g] Accolytho cum mappula communionis prędecedente, Primum Clerici, deinde Laici quaterni, vel bini duntaxat ab oſtio Euangelij nudis pedibus, manibus iunctis, oculisque demiſſis, ac debitis reuerentijs ſuo ordine in infimo gradu Altaris genuflectant: Accolythus mappulam ante communicandos extendat, nullusque communicandorum accipiat in manibus pro mappula oram planetæ ſacerdotalis: Interea expectent, donec celebrans Sanctiſſimum ſanguinem

[g] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 34.

Digitized by Google

guinem hauserit. Quo hausto omnes, tam qui ante Altare, quam qui in Choro sunt, profundè se inclinantes dicant simul, *Confiteor*, eodem tempore illud inchoantes, & perficientes: quo peracto celebrans terga vertens ad cornu Euangelij, Sacramentum à sinistris habens, faciem ad communicandos conuertat dicens.

[a] *Misereatur* &c. & *Indulgentiam* &c. Sacerdote proferente, *Indulgentiam* &c. omnes se signo crucis muniãt si dies Dominicus fuerit, in quo Sacramentum renouandum sit, mox Accolytho scamnum deferente, celebrans præmissis reuerentijs per scamni gradus ascendens, Tabernaculi ostium, claue inter indicem, & medium digitum compressa, aperiat, Pixidem cum particulis sacramentalibus extrahat, ac super Corporale collocet: postquam è gradibus scamni descenderit, Accolythus scamnum remoueat; ipse verò iterum genuflectens pixidem aperiat, [b] vt vna ex minoribus hostijs dextera manu inter pollicem, & indicem collocata, Pixidemque per nodum complectens, vel patenam cum hostijs inter indicem, & medium digitum comprimens, oculis ad Sacramentum defixis, se ad communicandos vertens, dicat. *Ecce Agnus Dei* &c. Deinde ter, *Domine non sum dignus*, & communicandi, si fratres fuerint, idẽ quoque ter cum celebrante clara voce cum pectoris tunsione pronunciẽt: statimque ad communicandum accedens pixidem, seu patenam ad os cuiusque communicandi admoueat, antequam ori alicuius Sacramentũ inferat. Cum verò vnicuique Sacramentum porrigit dicat, *Corpus Domini nostri Iesu Christi* &c. signum crucis Sacramento intra labium Pixidis, vel patenæ formans: [c] nullum autem aliud post illum signum crucis super communicatos, vsque ad vltimam Missæ benedictionem edat.

[a] Rit. Miss.

[b] Rit. Miss. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 34.

[c] Rub. Miss.

Com-

Digitized by Google

d Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 716.

d Communicandi verò non ore vix aperto, aut lingua extra labia extracta: ſed capite in altum erecto, ore mediocriter expanſo, ac lingua intra labia porrecta, & mappulam ad mentum contrahentes ſe ad communionem appoſitè diſponant, & ſacramentales ſpecies non ſtatim dentibus premant, aut concidant: ſed paulatim in lingua emolliri patiantur, donec ſaliuę vehiculo ſpõte in ſtomachum labantur: recedentes profundè ante Altare ſe inclinent, & per oſtium Epiſtolæ in Chorũ reuertantur.

Cęteri quoque præſcripto ordine ad communionẽ accedentes, eundemque ritũ obſeruantes, eadem via in chorum redeant.

f Gærem. Cler. Reg. li 2. c. 34.

e Si ſęculares viri, aut fęminæ ſint communicandi; ſtatim poſt fratres accedere iubeantur, ijsq; poſt ſumptum Sacramentum purificatio in vaſe vitreo præbeatur: f Celebrans etiam mulieres communicans dicat, *Domine non ſum dignus*, peracta communione Pixidem à fragmentis ſuppoſito Calice expurget: tum nouas in ea particulas ponat, ac ſuo loco intra tabernaculum recondat, debitis ante, & poſt reuerentijs adhibitis.

f Ru. Miſs.

g Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 716. S. Bonau. in reg. nouit. c. 4.

g Fratres verò qui ſacra communione ſunt refecti, poſtquam purificationem ſumpſerint, introuerſi immẽſam diuinæ benignitatis magnificentiam profunda cognitione apud ſe ruminantes, ardentiſſimis, quoad fieri poterit, deſiderijs ſeipſos accendant: atque iteratis affectibus ſeipſos in Chriſtum transfundant, h vt illud Apoſtoli verè vſurpare queant, *Viuo autem iam non ego, viuit verò in me Chriſtus.*

h Colloſs. 2

e Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 34.

i Si in fine Miſſæ, vel extra Miſſam ex cauſa aliquis ſit communicandus, ſacerdos ſtola, & ſuperpelliceo indutus Corporale ſuper Altare extendat, & aperto oſtio tabernaculi ante Sacramentum genuflęctens, Pixidem

cum

Digitized by Google

cum Sacramento extrahat, ac ſuper Corporale reponat, Accolythus interim duas in Altari candelas, ac interortitia accendat: Mappam communionis ante communicandum extendat, & à latere Epiſtolæ genuflexus dicat, *Confiteor*, ſacerdos verò conuerſus dicat, *Miſereatur* &c. *Indulgentiam* &c. Deinde genuflectens, Sacramentum cum Pixide ſumat, & ad communicandum conuerſus oculis in Sacramentum defixis, ter dicat, *Domine non ſum dignus*, tum illi Sacramentum tradat.

Poſt communionem, Pixide ſuper Corporale repoſita, ac ſuo operculo tecta, ante ipſam genuflectens ad communicatos ſe conuertat, eisque benedicēs dicat, *Benedictio Dei omnipotentis † Patris, & Filij, & Spiritus ſancti deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper Amen.* Semel Crucem ſuper ipſos formans: Tum debitis reuerentijs adhibitis Pixidem cum Sacramento intra tabernaculum recondat, & oſtium claudat, digitosque vino, & aqua in aliquo vaſe ad id deputato, vel in Calice abluat, & ablutionem in ſacrarium fundat.

DE RITV ADMINISTRANDI SACRAM Euchariſtiam Fratribus infirmis.

CAP. XXVIII.

INter potiſſima humanæ infirmitatis remedia, nullum eſt homini vtilius, nullum ſalubrius, quàm pius ſacræ Euchariſtiæ eſus; quo non ſolum animæ, ſed etiam interdum Corporis vires refocillantur. [a] Hinc meritò Conciliorum decretis ſancitum legitur, vt cum primũ fideles languore correpti graui corporis infirmitate laborant, humiliter vitali hoc pane reficiari poſcant.

[a] Concil. Nicæn. c. 13 Conc. Gorund. c. 3.

Quamobrem Auguſtinus infirmum hominem his verbis

verbis hortatur, [e] *Illud quoque viuificum Dominici Corporis supplementum non renuas, quin potius illud amicissimè quæras, fideliter comedas, cibus ille etenim incomparabilis, ineffabilis, viaticum tibi erit saluberrimum, Redemptionis tuæ prætium, Redemptionis monimentum.*

e Aug. ser. 25. de tẽp.

Fratres itaque graui ægritudine laborantes cum primum pœnitentiæ Sacramento animam à peccatis expurgauerint, tum sacram Eucharistiam sibi deferri humiliter petant. [a] Superior verò, in morbis præsertim acutis, eam infirmis præbere nullo modo procrastinet, sed salubri potius diligentia morbi periculum præueniat: In languoribus autem diutinis, si id ægrotus deuotè postulauerit, [b] qualibet saltem Dominica die, cœlesti hac esca illum reficere non recuset, non tamen per modum viatici, melius enim est abundantiorem in ea elargienda, ac suscipienda existere, quam illius auaritia, aut penuria laborare.

a Act. Med. Eccl. p. 4. fo. 536. Rit. Rom.

b Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 536.

[c] Cum verò sacra Eucharistia infirmo laboranti deferenda est, qui præest curę infirmorum, locum in quo iacet infirmus, ab omni sorde expurget: flores aspergat, aut aromata accendat, vt eo odore loci fœtor, si quis est, expellatur: ibi quoque mensam præparet, linteo mundo stratam, in qua sit imago Christi Crucifixi, vasculum aquæ benedictæ cum aspersorio, duo vrceoli vini, & aquæ cum purificatorio pro ablutione, & extersione digitorum sacerdotis: Aliud quoque vas pro purificatione post sumptam communionem Infirmo porrigenda.

c Rit. Ro. Act. Eccl. Med. p. 4. fo. 537. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 35.

[d] Alia quoq; mappa præparanda est ante pectus Infirmi tempore communionis supponenda, etsi infirmus sit sacerdos, stola quoque paretur, quæ ab humeris infirmi, dum communicatur pendeat.

d Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 35. Rit. Rom.

His in Infirmaria præparatis in Choro præparetur Crux

Digitized by Google

Crux processionalis, Cerei, & intortitia: in Sacristia amictus, Alba, cum stola, ac Cingulo, velo oblongo, Corporale cum Calice vacuo, Patena, & Palla.

e Dato signo octo, aut decem tintinnis Campanę: superior, vel Hebdomadarius, vel potius ipse Cōfessarius infirmi, aut alius sacerdos à superiore deputādus, postquam manus lauerit, in Sacristiam pergat, vbi superpelliceo indutus, stolaque collo sibi imposita Calicem cū patena, palla, & Corporali sumat, & ad Altare accedens ibi aliquantulum oret, tum Corporale super Altare extendat, Interim candelę, & intortitia accendantur, & omnibus genuflexis, & candelas accensas gerentibus, sacerdos prędmissa genuflexione ostium tabernaculi aperiens, Pixidem que cum Sacramento sumens super Corporale reponat, iterumque genuflectens particulam consecratam è Pixide extrahat, & in Calice reponat, Calicem patena, palla, & Corporali obtegens, tum Pixidem suo loco intra tabernaculum recondens ostium claudat.

e Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 8.

f Post hæc genuflectens, ac ipsum Domini Corpus adorans, vnus ex sacerdotibus velum sericum oblongū super vtrunque humerum ipsius expandat. Ipse verò Calicem cum corpore Domini accipiens, vtraque veli extremitate Calicem contegat, atque hoc ordine ad Infirmi cellam processionaliter procedant. Prædat Clericus cum Campanula, eam assidue pulsans, deinde Crux inter duo candelabra accensa: Tum duo Ministri, alter cum aqua benedicta, & aspersorio, Alter cum libro cęremoniarum: Mox fratres omnes bini cum luminibus, suis locis dispositi, quos omnes duo seniores sequentur duo intortitia maiora propè Sacramentum deferentes. Post eos sacerdos portans Corpus Domini ad faciem vsque eleuatum, cum altera manu superpo-

f Rit. Rom. Cęrem. Cler. Reg. lib. 2. c. 35.

sita

Digitized by Google

sita procedat. Post se habens duo alia intortitia. Interea dum proceditur, recitetur alternatim psalmus, *Miserere mei* &c. pro remissione peccatorum infirmi laborantis.

Interea infirmarius curabit, vt infirmus, nisi vehemẽtiori morbo laboret; si commodè potest, propè lectum genuflectat, appositio illi scabello, quo fulciatur, & sub genibus puluino, sin morbo grauatus fuerit, in lecto sedeat, stolam ad collum pendentẽ gerat si est sacerdos, Mappa candida expandatur ante pectus infirmi. Ipse quoque infirmarius, vel super, vel propè lectum infirmi stabit genuflexus, vt opportunè illum adiuuare queat.

[a] Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. l. 2. c. 35.

[a] Cum autem fratrum processio ad Cellam infirmi peruenerit, qui gestat campanulam à sonitu cessabit. Sacerdos verò, ingrediens dicet, *Pax huic domui*, cui cæteri respondebunt, *& omnibus habitantibus in ea*, & cũ sacerdote Accolythi tantummodo candelabra accensa gerentes, & Ministri ferentes aquam benedictam cum Cæremoniali, & præterea duo seniores cum intortitijs simul ingredi poterunt.

[b] Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. l. 2. c. 35.

[b] Sacerdos ingressus Corporali super mensam explicato, in eo Calicem inter candelabra accensa deponat, & genuflexus Sacramentum adoret: & accepto aspersorio prius infirmum, deinde cubiculum aqua benedicta aspergat dicens, *Asperges me* &c. *Gloria* &c. & repetita Antiphona, *Asperges me*, dicat versus, & orationem sequentem.

℣. *Adiutorium nostrum* &c.
℟. *Qui fecit.* &c.
℣. *Domine exaudi orationem* &c.
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

Exaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris Sanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foueat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

[c] Poſt orationem ſacerdos Aegrotum verbis ſuauibus alloquens, eundem conſoletur, atque ad ęgritudinis moleſtias patienter perferendas hortetur: demum eidem perſuadeat, vt ad Euchariſtię Sacramentum dignè ſuſcipiendum ſe ipſum non tam peccatorum contritione, quam ardenti mentis affectu diſponat. [c] Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 35.

Infirmus verò inſtar ſanctorum Patrum, ſuppliciter ab omnibus veniam poſtulans, ſi fortè aliquem verbo, vel factis lęſerit, aut dicto contriſtauerit, aut malo aliquo exemplo offenderit, omnium ſe orationibus humiliter commendet. Sacerdos verò nomine omnium ſatisfactionem acceptet, viciſſimque ab eo veniam petat. Amplius illi ſancta Crux offeratur adoranda, & oſculanda; deinde ipſe infirmus, ſi poteſt, vel pro eo Acolythus Confeſſionem reciter, qua abſoluta ſacerdos dicat, *Miſereatur tui* &c. *Indulgentiam* &c. Deinde genuflectens Sacramentum accipiat, ac tenens illud ſuper os Calicis, & infirmo oſtendens, dicat, *Ecce Agnus Dei* &c. deinde ter more ſolito. *Domine non ſum dignus* &c. [a] ſi infirmus communicatur per modum viatici: quod tunc tantum fieri debet, cum grauiter ęgrotat, & de illius morte timetur, dum ſacerdos ſacram hoſtiam illi tribuit, dicat, *Accipe frater viaticum Corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui te cuſtodiat ab hoſte maligno, & perducat in vitam æternam Amen.* Mox ſacerdos vino, & aqua digitos in Calice purificans, & purificatorio abſtergens purificationem in vaſe vitreo effundat, detq; [a] Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 35.

infir-

Digitized by Google

infirmo hauriendam. Ipse verò purificatorio Calicem abstergat. Caueat tamen sacerdos, ne Eucharistiam administret infirmo, qui integro sensu non constet, vel qui ob morbi vim, ac naturam, citò illam euomere posset.

b Rit. Ro. Cærem. Clst. Reg. li. 2. c. 35. c Rit. Ro.

b Quod si ægrotus non communicatur per modum Viatici, cum ei Sacerdos porrigit Sacramentum, dicat, *Corpus Domini nostri Iesu Christi*, &c. vt alijs de more dicitur. c Postquam infirmus purificationem sumpserit, Sacerdos dicat, *Dominus vobiscum*, &c.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, aterne Deus te fideliter deprecamur, vt accipienti fratri nostro sacrosanctum Corpus D.N. Iesu Christi Filij tui, tam corpori, quàm animæ profit ad remedium sempiternum, qui tecum viuit, & regnat in vnitate Spiritus sancti Deus, per omnia &c. *Amen.* Et data benedictione infirmo, extinguantur candelæ; & intortitia, nisi nocturnum tempus fuerit, quo tempore duæ saltem candelæ accensæ deferri debent ab Acolythis, & ordine, quo venerunt, in Ecclesiam reuertantur: dicentes, *Benedicite omnia opera*, &c. vel *Te Deum*, &c. & cæteris recedentibus, Sacerdos in Sacristiam cũ Acolythis redeat.

Postquam infirmus sacrum Viaticum sumpserit, Superior, vel alter Sacerdos grauis, ac maturus ab eo deputatus opportuno tempore stola, ac superpelliceo indutus ad cellam infirmi se conferat: Acolytho aspersorium cum aqua benedicta ferente, & in ingressu dicat, *Pax huic domui.* ℟. *Et omnibus*, &c. Mox infirmum, lectum, & cubiculum aspergens aqua benedicta, dicat, *Asperges me Domine*, &c. Deinde dulci sermone ægrotum aliquandiu consoletur. Quod vbi præstiterit, surgens, legat super infirmum Psalmum *Qui habitat*, &c.

siue

Digitized by Google

siue alterum ex Pœnitentialibus cum, *Gloria Patri*, in fine dicat, *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter* &c.

℣. *Et ne nos inducas.*
℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *Saluum fac ſeruum tuum.*
℟. *Deus meus ſperantem in te.*
℣. *Mitte ei Domine auxilium de ſancta.*
℟. *Et de Sion tuere eum.*
℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*
℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*
℣. *Eſto ei Domine turris fortitudinis.*
℟. *A facie inimici.*
℣. *Dominus opem ferat illi.*
℟. *Super lectum doloris eius.*
℣. *Domine exaudi orationem.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Deus cui proprium eſt miſereri ſemper, & parcere ſuſcipe deprecationem noſtram, vt nos, & hunc famulum tuũ, quos delictorum catena conſtringit, miſeratio tuæ pietatis clementer abſoluat.

Deus infirmitatis humanæ ſingulare præſidium, auxiliũ tui ſuper infirmum famulum tuum oſtende virtutem, vt ope miſericordiæ tuæ adiutus, Eccleſiæ tuæ ſanctæ incolumis repreſentari mereatur.

Concede hunc famulum tuum, quæſumus Domine Deus perpetua mentis, & corporis ſanitate gaudere, & gloriosa B. Mariæ ſemper virginis interceſſione, à preſenti liberari triſtitia, & æterna perfrui lætitia. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Digitized by Google

Benedictio Dei Patris omnipotentis † & Filij, & Spiritus sancti descendat super te, & maneat semper. ℟. *Amen.* Deinde aspergat eum aqua benedicta.

Si infirmus ex deuotione petierit, vt aliqua sacra verba super ipsum legantur: poterit sacerdos, hęc quæ sequuntur, eodem infirmo si commodè potest, respondente, recitare.

Psalmus.

Domine ne in furore tuo arguas me, neque in ira tua corripias me. Miserere mei. Domine quoniam &c. in fine Gloria Patri &c.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Sequentia S. Euãgelij: (Hęc sacerdos dicens, seipsum prius, deinde infirmum signet in fronte, in ore, & in pectore) *secundum Matthæum.* ℟. *Gloria tibi Domine.*

In illo tempore cum introijsset Iesus Capharnaum accessit ad eum Centurio rogans eum, & dicens &c.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus salus æterna credentiũ, exaudi nos pro infirmo famulo tuo N. pro quo misericordiæ tuæ imploramus auxilium, vt reddita sibi sanitate, gratiarum tibi in Ecclesia tua referat actiones. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Psalmus. 15.

Conserua me Domine quoniam speraui in te &c *Gloria Patri* &c.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

℣. *Sequentia S. Euangelij secundum Marcum.*

℟. *Gloria tibi Domine.*

In illo tempore: Recumbentibus vndecim discipulis, apparuit illis Iesus, & exprobrauit incredulitatem eorũ &c.

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

Virtutum cœlestium Deus, qui ab humanis corporibus omnem languorem, & omnem infirmitatem præcepti tui potestate depellis: adesto propitius huic famulo tuo N. vt fugatis infirmitatibus, & viribus receptis, nomen sanctũ tuum, instaurata protinus sanitate, benedicat. Per Christũ Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Psalmus 19.

Exaudiat te Dominus in die tribulationis &c. Gloria Patri &c.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Sequentia S. Euangelij secundum Lucam.

℟. *Gloria tibi Domine.*

In illo tempore: surgens Iesus de Synagoga introiuit in Domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui fragilitatem humanæ conditionis, infusa virtutis tuæ dignatione confirmas, vt salutaribus remedijs pietatis tuæ corpora nostra, & mentes vegetentur: super hunc famulum tuum propitius intende, vt omni necessitate corporeæ infirmitatis exclusa, gratia in eo pristinæ sanitatis perfectæ reparetur. Per Christum Dominum nostrum.

℟. *Amen.*

Psalmus 85.

Inclina Domine aurem tuam, & exaudi me &c. Gloria Patri &c.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Sequentia S. Euangelij secundum Ioannem.

℟. *Gloria tibi Domine.*

Digitized by Google

In illo tempore: erat dies festus Iudeorum, & ascendit Iesus Ierosolymam &c.

Oremus.

Respice Domine famulum tuum in infirmitate sui corporis laborantem, & animam refoue, quam creasti, vt castigationibus emendatus continuo se sentiat tua medicina saluatum. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Psalmus 90.

Qui habitat in adiutorio Altissimi &c. *Gloria Patri, Filio* &c.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus infirmitatem famuli tui propitius respice, atque ad protegendum eum dextram tuæ Maiestatis extende. Per Christum Dominum nostrum. ℟. *Amen.*

Super ægros manus imponent, & bene habebunt: Iesus Mariæ filius mundi salus, & Dominus meritis, & intercessione sanctorum Apostolorum suorum Petri, & Pauli, & omnium sanctorũ sit tibi clemens, & propitius. Amen.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Initium S. Euangelij secundum Ioannem.

℟. *Gloria tibi Domine.*

In Principio erat verbum, & verbum erat apud Deũ, & Deus erat verbum &c. ℟. *Deo gratias.*

Postea benedicens infirmum subiungat, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis Patris, † *& Filij, & Spiritus sancti, descendat super te, & maneat semper. Amen.*

Deinde aspergat eum aqua benedicta.

DE

Digitized by Google

DE RITV, QVO EXTREMA VNCTIO administrari debet Fratribus infirmis.

CAP. XXIX.

EXtremę vnctionis Sacramentum, ea potissimum ratione institutum fuit, vt extremo Agone cum Diabolo conflictantes, inde sibi virtutem ac prędium compararent, quo postremum de tartareo hoste tropheum referrent, quare ex Sãctorum Patrum doctrina, ac prędsertim [a] D. Augustini qui graui aliqua infirmitate premuntur, prius quidem sacro Dominici Corporis viatico seipsos muniant; deinde ingraueścente morbo, si mortis periculum adsit, quandiu sensu adhuc integro cõstant, sacro Oleo se inungi deposcant, vt piè, ac deuotè Sacramentum suscipere valeant. Nam etsi extra probabile, ac imminens mortis periculum nemini extrema vnctio conferenda sit, [b] vt ex Concilio Florentino constat: cum tamẽ illud est prędsens, superior sacramentalem vnctionem ęgroto conferre non differat, ne ob moram illum absque Sacramento decedere contingat.

[a] Augustser. 15. de temp.

[b] Concil. Flo. vbi formam sacr. tradit. Rit. Ro.

[a] Habeant igitur in primis omnes Ecclesię nostrę fenestellam à latere dextro Altaris in pariete constructã, intus tabulis nuceis compactam, ac panno serico circũuestitam, quę ostiolo, ac claue obfirmetur, in qua oleum infirmorum ab Episcopo consecratum in vase stanneo, aut plumbeo serica bursa inuoluto (quod vas Cotyla incluſum esse debet,) intra gossipium, siue bombacem asseruetur: [b] Illud verò quotannis iuxta Ecclesiastica decreta renouari debet in die Iouis Sancti, vetere cõbusto, ac cineribus intra sacrarium proiectis; ne veteri Chrismate ægrotus contra Ecclesię leges inungatur.

[a] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 140.

[b] Concil. Nicæn. 1. can. 69.

Digitized by Google

e Rit. Ro. Act. Eccl. Med. P. 1. fo. 140. e Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 36.

e Cum verò extrema vnctio miniſtranda fuerit: Primum in Cella infirmi menſa mappa munda, ac candida ſternatur, in qua hęc reponantur: nimirum, vas aquę benedictę cum Aſperſorio, Peluicula cum Goſſipio, aut ſtuppa in ſeptem globulos diuiſa, ad loca vnctionis abſtergenda: theca cartacea ad globulos goſſipij poſt inunctionem recipiendos, alia quoque Peluicula cum mica panis, ad abſtergẽdos digitos ſacerdotis; Vas aquę cum mantili ad eiuſdem manus poſt inunctionem abluendas, & extergendas.

d Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 36.

d Dato ſigno octo, vel decem ictibus Campanę, vniuerſi fratres in Eccleſiam conueniant: Duo cerei in candelabris accendantur. Imago quoque Crucifixi lignea in promptu ſit, tum ſacerdos, qui ſacrum Oleum eſt miniſtraturus ſtola ſupra ſuperpelliceum indutus, omnibus diligenti ſtudio pręuiſis, quę ad huiuſmodi miniſterių pertinent: vas Olei ſancti è feneſtella extrahat, aperiat, paret, e Tum verò præcedente Acolytho cũ Crucifixo inter duos ceroferarios, cum candelis accenſis: & ſi nocturnum tempus fuerit, duobus adhuc intortitijs adhibitis, ex ordine bini ad Cellam infirmi procedant, interim recitantes, *Miſerere*, ſacerdos verò vtraq; manu vaſculum olei infirmorum deferens burſa incluſum poſtremus gradiatur.

e Cærem. Cler. Reg. ibid.

f Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 36.

f Vbi ad Cellam peruenerint, qui Crucifixum gerit, cum duobus Ceroferarijs priores ingrediantur, deinde ſacerdos ingrediens, dicat. *Pax huic domui*, alijs reſpondentibus, *& omnibus* &c. poſtea vaſculo olei ſuper menſam repoſito, Crucifixum piè deoſculandum ægroto porrigat: moxque infirmum aqua benedicta in modum crucis, Cellam quoque, & adſtantes aſpergens, dicat, Antiphonam, *Aſperges me* &c. Deinde verbis conſolatorijs infirmum, ſi tempus ferat, hortetur, vt breui, ac tran-

Digitized by Google

transitoria hac vita contempta, ad æternę vitæ desiderium animum attollat. g Sic enim Concilium Augustense docet his verbis. *Sacerdos infirmum consoletur, à curis, ac desiderijs præsentis vitæ, ad spem æternæ salutis erigat: Diabolum, & terriculamenta eius alto animo contemnere, Christique misericordiam sperare doceat. Deniq; breuiter infirmum admoneat, vt ad percipiendam huius Sacramenti gratiam seipsum piè, ac deuotè disponat.* g Conc. Augu. c. 20

h Qua hortatione peracta sacerdos dicat versiculum, h Rit. Ro. Carem. Cler. Reg. li. 2. c. 36.

℣. *Adiutorium nostrum* &c.
℟. *Qui fecit* &c.
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Introeat Domine Iesu Christe Domum hãc sub nostræ humilitatis ingressu æterna fœlicitas, diuina prosperitas, serena lætitia, charitas fructuosa, sanitas sempiterna: effugiat ex hoc loco accessus dæmonum, adsint Angeli pacis, domumque hanc deserat omnis maligna discordia. Magnifica Domine super nos nomen sanctum tuum, & benedic † nostræ conuersationi: Santifica nostræ humilitatis ingressum, qui sanctus, & pius es, & permanes cum Patre, & Spiritu sancto in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus, & deprecemur Dominum nostrum Iesũ Christum, vt benedicendo benedicat † hoc tabernaculum, & omnes habitantes in eo, vt det eis Angelum bonum Custodem, & faciat eos sibi seruire ad considerandum mirabilia de lege sua, auertat abeis omnes contrarias potestates, eripiat eos ab omni formidine, & ab omni perturbatione, ac sanos in hoc tabernaculo custodire dignetur. Qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Digitized by Google

Oremus.

Exaudi nos Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus, & mittere digneris ſanctum Angelum tuum de cœlis, qui cuſtodiat, foueat, protegat, viſitet, atque defendat omnes habitantes in hoc habitaculo. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

Rit. Ro. Poſt orationes, quæ vel in parte, vel in totũ omitti poſſunt, ſi mortis periculum vrgeat, infirmus ſi poteſt, vel pro eo Acolythus dicat, *Confiteor*, quo abſoluto, Sacerdos dicat, *Miſereatur*, &c. *Indulgentiam* &c.

Et quamuis iuxta Romanum rituale nulla tunc infirmo dari debeat abſolutio; attamen quia ex Priuilegijs Ordinis noſtri in morte plenaria Indulgentia cuilibet ægrotanti conferri poteſt: idcirco ſi iam prius fuit plenariè abſolutus; tunc ei in hac forma Plenaria indulgentia concedatur. *Auctoritate Domini noſtri Ieſu Chriſti, & Sanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Summorum Pontificum mihi in hac parte commiſſa, & tibi conceſſa: Concedo tibi indulgentiam plenariam, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum ſecundum Ordinis noſtri Priuilegia; quod ſi fortè hac vice non moriaris: auctoritate prædicta reſeruo tibi hanc Indulgentiam pro vero mortis articulo. In nomine Patris, & Filij*, &c.

Rit. Rom. Omnes deinde præter Acolythos, & miniſtros infirmi à cella exeuntes, ac ante oſtium circum circa genuflexi recitent ſeptem Pſalmos cum litanijs, laicis Fratribus interim pro infirmo orantibus.

Rit. Rom. Cær. Cler. Reg. lib. 2. c. 36. Interea Sacerdos ſumpto vaſculo Olei ſancti, & ad infirmum accedens dicat, *In nomine Patris,† & Filij,† et Spiritus ſancti.† Extinguatur in te omnis virtus Diaboli per impoſitionem manuum noſtrarum, & per inuocationem omnium ſanctorum Angelorum, Archangelorum, Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum,*

Con-

Digitized by Google

Confessorum, atque omnium simul Sanctorum. Amen.

Antequam vngatur ægrotus, infirmariæ Præfectus panno lineo madefacto, leuiter partes vngendas extergat, vt si quę sordes his inhærent, abstergantur. Duo verò Acolythi assistentes, vnus librum vna manu ante sacerdotem teneat, altera vas gestet, in quo gossipij globuli post vnctionem sunt reponendi: Alter vna manu candelam ad legendum ministret, altera Peluiculam cum globulis gossipij teneat. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 36.

[a] Sacerdos verò vna manu vas olei gestans, altera pollice in Sancto oleo intincto vngat destinatas partes infirmi, in formam crucis, distribuens verba cuiusque vnctionis ad ambas partes, prius dextram, postea sinistram inungens, oculorum quidem palpebras, Aurium infimam partem vtpotè planiorem, Narium verò intimam, labiorum extremam, pedes in superiori parte, Manus interius: [b] nisi sit sacerdos, sacerdotum enim manus tantum exterius inunguntur: ægroto ad omnes vnctiones, si potuerit, respondente. [a] Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 36. [b] Rit. Ro.

Prius igitur oculos inungens dicat,

Per istam sanctam vnctionem, † & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per visum deliquisti. Amen.

Ad Aures.

Per istam sanctam vnctionem, † & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per auditum deliquisti. Amen.

Ad Nares.

Per istam sanctam vnctionem, † & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per odoratum deliquisti. Amen.

Ad os compressis labijs.

Per istam sanctam vnctionem, † & suam pijssimam misę-

Digitized by Google

misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per gustum, & locutionem deliquisti. Amen.

Ad Manus.

Per istam sanctam vnctionem, † & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per tactum deliquisti. Amen.

Ad Pedes.

Per istam sanctam vnctionem, † & suam pijssimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quicquid per gressum deliquisti. Amen.

Ad Lumbos.

Per istam sanctam vnctionem, † & suam pijssimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus, quicquid per lumborum delectationem deliquisti. Amen.

c Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. c His peractis sacerdos vase olei sancti cooperto, ac supra mensam collocato, medullam panis accipiens manus abstergat, & abluat, ablutio verò in piscinam sacrarij est proijcienda: simul cũ Cineribus gossipij, seu stuppæ combustæ, qua loca inuncta abstersa fuerunt.

d Rit. Ro. d Post hæc sacerdos ad infirmum conuersus dicat.

Kyrie eleisõ, Christe eleisõ, Kyrie eleison. Pater noster &c.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed libera nos* &c.

℣. *Saluum fac seruum tuum.*

℟. *Deus meus sperantem in te.*

℣. *Mitte ei Domine auxilium de sancto.*

℟. *Et de sion tuere eum.*

℣. *Esto ei Domine turris fortitudinis.*

℟. *A facie inimici.*

℣. *Nihil proficiat inimicus in eo.*

℟. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.*

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. Do-

Digitized by Google

℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Deus, qui per Apostolum tuum Iacobum locutus es, infirmatur quis in vobis? inducat Presbiteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, et si in peccatis sit remittetur ei: Cura quæsumus Redemptor noster gratia sancti Spiritus languores istius infirmi, eiusque sana vulnera, & dimitte peccata, atque dolores cunctos mentis, & Corporis ab eo expelle, plenamque interius, & exterius sanitatem misericorditer redde, vt ope misericordiæ tuæ restitutus, ad pristina reparetur officia, qui cum Patre, & Spiritu sancto viuis, & regnas Deus in sæcula sæculorum. Amen.

Oremus.

Respice quæsumus Domine famulum tuum N. in infirmitate sui Corporis fatiscentem, & Animam refoue, quam creasti, vt castigationibus emendatus, se tua sentiat medicina saluatum. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Oremus.

Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, qui benedictionis tuæ gratiam ægris infundendo corporibus, facturam tuam multiplici pietate custodis, ad inuocationem tui nominis benignus assiste, vt famulum tuum ab ægritudine liberatum, & sanitati donatum dextra tua erigas, virtute confirmes, potestate tua aris, atque Ecclesiæ tuæ sanctæ cum omni desiderata prosperitate restituas. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

* Dum inunctiones fiunt, si fortè infirmus moriatur, sacerdos ab vnctione desistat, si tantum dubium est, an sit Defunctus, vnctionem prosequatur: si mortis periculum vrgeat, alijs omnibus omissis, sola inunctio fiat.

* Rit. Rom. Cerem. Cler. Regul. 2. c. 36.

Ora-

[b] Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 36.

[b] Orationibus absolutis, sacerdos salutaria monita, ac consolationis verba ægroto præbeat, quibus magis aduersus diabolicas technas roboretur, & ad cœlestem patriam anhelet, tum verò eodem ordine omnes ad Ecclesiam reuertantur: stuppa, verò, vel gossipium simul cum theca cartacea comburatur, & cinis proijciatur in sacrarium.

DE CVRA ERGA FRATRES MORIENTES agenda.

CAP. XXX.

MOrientium cura gemina potissimum de causa agenda est. Prima, vt qui propria virtute destituti in extremo vitæ discrimine sibi ipsis opitulari nequeunt, eam apud nos opem, ac solatium inueniant, quod illis humanum, ac diuinum ius exhibendum dictat. Altera, quod eo potissimum tempore, diuina lege imperante, ijs fraternæ charitatis officium quisque impendere debet, cum extremo conflictu cum Diabolo pugnantes auxilium velut à nobis tanquam ab amicis expectant, quo facilius, & tartareum hostem prosternere, atque æternę vitæ præmia capescere valeant.

[a] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 37. Rit. Rom.

[a] Quapropter cum primum nostrorum aliquis grauo morbo laborare cęperit, superior omni studio inuigilet, vt quęcunque, tum ad corporis, tum ad Animæ subsidium conferunt, illi diligentissimè administrentur; ne quid debito fraternæ charitatis officio desit. Infirmariæ Præfectus, maiorem in his, quę ad Corporis curam spectant, diligẽtiam adhibeat: [b] superior verò, &, qui animę infirmi fratris curam gerit, sacrum Dominici Corporis viaticum, tum extremam vnctionem tempestiuè illi præ-

[b] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 37. Rit. Rom. Cærem. Cõg. Cass. c. 26.

Digitized by Google

præbeant: atque ab eo tempore omnes Fratres frequentius laborantem inuisant, spiritualibus verbis consolentur: nemo seculares sermones vel cum infirmo, vel in cella infirmi misceat; sed grauiter, ac suauiter, quæ Dei sunt tantum loquantur; quibus infirmus ad salutem ædificari valeat.

e Vbi verò infirmus sacram Vnctionem susceperit, ad pedes lectuli imago Christi crucifixi statuatur, simul cum vase aquæ benedictæ, & asperforio: Superior verò prouideat, ne vnquam deinceps solus sit infirmus; sed diu, noctuq; vnus, vel plures Fratres eidem vicissim assistant, qui sæpè (interpellatè tamen) de rebus diuinis cũ eo loquantur: nullus verò quicquam, quod ad refectionem corporis spectat, præter Infirmariæ Præfectum, vel quod ipse permiserit, infirmo administret.

e Cærem. Cler. Reg. Cær. Congreg. Cass. c. 26.

Interea Prælatus, vel alter Sacerdos ab eo deputatus opportuno tempore ad infirmum accedens, eundem dulcibus verbis consoletur, & salutaribus monitis hortetur; vt se ad bene moriendum disponat; tum breues quasdam protestationes ab eo, dum mente sanus, ac sensibus integer est, præstandas proponat, quibus seipsum aduersus diabolicarum tentationum fraudes, quæ morientes interdum circumuenire solent, præmuniat: prius tamen nonnullas interrogationes præmittat, quibus infirmi animus ad actus Fidei, Spei, & Charitatis eliciendos excitetur: quæ in fine huius capitis describuntur.

His interrogationibus prælibatis, cum ægrotus perfectè se ad Dei nutum, ac volũtatem siue ad vitam, siue ad mortem composuerit: eidem persuadeat, vt quandiu mentis est compos, nec dolore nimium fatigatur, breues Protestationes, quæ in fine capitis adnotantur, solus apud se legat: si tamen id infirmitas ferat: si verò præ

morbi

Digitized by Google

morbi anguſtia eas legere non valet, ipſe Sacerdos eas diſtinctè, ac morosè eidem legere poterit, admonens infirmum, vt quæ ore ab eo pronunciantur, ipſe animo, & corde proſequatur.

His proteſtationibus abſolutis, poterit infirmus vltimum animæ ſuæ teſtamentum condere. Cuius teſtamenti formam in fine capitis apponere viſum fuit, vt quiſque pro deuotione eo vti poſsit.

Hoc teſtamento ex intimis cordis viſceribus ante Deum prolato, ægrotus in Domino confiſus, ſe ad extremum diem in Domino claudendum animi potius, quàm oris affectibus præparet: ac propterea ad Chriſtũ conuerſus, ea ad illum corde potius, quàm ore ſuſpiria emittat, quæ ibidem in fine capitis vltimo loco ſunt poſita.

a Cærem. Cõgr. Caſſ. c. 26. Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 37.

a Aegroto ad finem vitæ properante, Fratres crebris campanulæ ictibus iuxta antiquam formam conuocati, ad cellam infirmi accurrant, omnibus alijs exercitijs, quæ rectè intermitti poſſunt, intermiſſis. Quod ſi in diuinis officijs, aut in menſa fuerint, Prælati munus erit, tunc quanto plures Fratres poterit, ac præcipuè Sacerdotem ad infirmum deſtinare. Sacerdos ſuperpelliceo indutus, & ſtola ab humeris pendente, morientis animam Deo commendet, vt habetur in fine capitis.

b Rit. Ro.

b Indulgentias plenarias inuocato Ieſu nomine ore, vel corde ſuſcipiendas offerat, Imaginem Crucifixi ſæpè deoſculandam porrigat, atque in eum totam ſuam ſpem collocare doceat, abſque tamen vociferatione, aut clamore; ſed ſuauiter, atque efficaciter: frequenter infirmum, lectum, ac cellam aqua benedicta ad Dæmones effugandos aſpergat.

c Cærem. Cler. Reg. lib. 2. c. 37.

c Fratres verò genuflexi Pſalmos pœnitentiales, Litanias Sãctorum, ac B. V. pro agonizãte Fratre recitent.

Sacer-

Digitized by Google

Sacerdos verò, si post Animæ commendationem moribūdus adhuc sit superstes, tria, *Pater noster*, & *Aue Maria*, omnibus dicenda imponat modo, qui in fine Capitis infra notatur, & infirmo adhuc in extremis laborante, Passionem Domini supra ipsum legat, quæ toties replicari potest, quoties infirmus expiraturus creditur. Infirmo suggeratur, vt dicat Christi verba in Cruce Animam expirantis, *In manus tuas Domine* &c. Item *Maria mater gratiæ* &c. atque alios Sanctos sibi Patronos inuocet; Hæc omnia sine clamore, aut strepitu moribundo commemorentur. Candela benedicta accensa in mensa habeatur, quam iuxta antiquam consuetudinem ægrotus in manibus habeat, quo tempore Animā expirat, iuxta illud Euangelij, [d] & *Lucernæ ardentes in manibus vestris*, qua etiam post obitum signetur. Cærem. Cōg. Cass. c. 26. Rit. Ro. [d] Luc. 12.

Si frater Matutino tempore in extremis laborat: iubeat superior, vt vel Missæ pro Agonizante fratre dicantur, vel si fuerit officium duplex oratio pro eodem addatur.

[e] Postquam Anima è Corpore egressa fuerit, Sacerdos assistens dicat Responsorium, *Subuenite*, vt infra habetur: statim verò detur signum Campana, sicut in salutatione Angelica, si mane defunctus è viuis excesserit, omnes Missæ pro defuncto celebrentur, quod si occurrat festum duplex applicentur, cum oratione pro defuncto. [f] Mox à Prætecto Infirmariæ, cæteris Laicis fratribus adiuuātibus, Corpus lauetur, nisi recenter inunctus fuerit, tunc enim sufficit, vt sordes membrorum, quæ oculis patent extergantur: tum habitu, corda, & fœmoralibus induatur. Si fuerit Sacerdos, stola collo ipsius circumponatur, quæ ex humeris æqualiter pendeat: brachia in modum Crucis disponantur, atque in feretro collocatus, ligneo puluino capiti eius supposito, in aliquo honesto [e] Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 37. Cærem. Cōg. Cass. c. 26. [f] Cærem. Epis. lib. 2. c. 8. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 37. Cærem. Cōg. Cass. c. 26.

Digitized by Google

neſtò loco clauſo, vſque ad ſepulturę tempus reponatur, Cruce ad caput, & duobus candelabris accenſis ad caput, & ad pedes appoſitis, quę ſemper ardere debēt, donec ſepeliatur Defunctus: ante pectus gerat imaginē ligneam Chriſti crucifixi: Quod ſi fuerit Clericus, aut Laicus in manibus habeat coronam B. Virg. omnes verò tam ſacerdotes, quam Clerici, ac Laici Regulam in manu gerant.

In die Paraſceues, & in primo die Paſchatis Defunctus non ſepeliatur, ſed ſepultura in ſequentem diem differatur: quia in his diebus Miſſa pro Defunctis celebrari non poteſt. In alijs verò omnibus anni ſolemnitatibus poteſt tumulari, & pro eo iuxta rationale Defunctorum vna Miſſa pro defunctis celebrari.

Interrogationes morientibus facienda.

Sacerdos.

Cum abſque recta in Deum fide, nemo Deo placere, atque in Domino obdormire queat. Credis vniuerſos fidei articulos, & quicquid ſancta Mater Eccleſia Apoſtolica, & Romana credit, & tenet?

Infirmus. *Credo, & teneo.*

Sacerdos. *An non pro hac fide Eccleſiæ ſanctæ Apoſtolicæ, & Romanæ te mori paratum eſſe, atque in ea Diaboli tentationibus quibuscunque non obſtantibus mori velle declaras?*

Infirmus. *Declaro.*

Sacerdos. *An non tuorum peccatorum omnium veniā, toto corde à Deo poſtulas, ac ſperas?*

Infirmus. *Poſtulo toto corde, ac ſpero.*

Sacerdos. *Doles ne ex toto corde, & ex puro amore Dei, non propter metum gehennæ, aut alterius temporalis dam-*

Digitized by Google

damni de omnibus peccatis, quibus Deum, proximum, Animam, ac Regulam tuam mortaliter, aut venialiter offendisti.

Infirmus. *Doleo ex toto corde.*

Sacerdos. *Optas ut omnium peccatorum tuorum grauiorum, ac leuiorum nunc specialiter reminiſci, vt omnia ſpecialiter contritionem habere poſſes?*

Infirmus. *Opto.*

Sacerdos. *Proponis, ſi Deo placuerit, de hac te infirmitate conualeſcere, cum Dei adiutorio omnia peccata pro viribus deuitare, atque eorum omnium cauſas excindere, & temporalem potius mortem oppetere, quàm de cetero Deum per peccatum mortale offendere?*

Infirmus. *Propono cum Dei adiutorio.*

Sacerdos. *Ignoſcis ex toto corde ijs omnibus, qui tibi verbo, aut facto aliquo nocuerunt, idque propter amorem Ieſu Chriſti Crucifixi Domini noſtri.*

Infirmus. *Ignoſco ex toto corde.*

Sacerdos. *Si alicuius famam, aut honorem læſiſti, vis ne omnia integrè reſtituere?*

Infirmus. *Volo.*

Sacerdos. *Doles te in omni vita tua Deum toto corde, tota anima, ac totis viribus tuis non dilexiſſe?*

Infirmus. *Doleo.*

Sacerdos. *Proijcis in Deum Creatorem, ac Redemptorem tuum omnem ſpem, ac fiduciam tuam?*

Infirmus. *Proijcio.*

Sacerdos. *An non totum te committis voluntati, ac beneplacito Domini Dei tui in vita, & in morte, vt de te in tempore, & æternitate faciat quicquid illi placuerit?*

Infirmus. *Totum committo.*

Sacerdos. *An non de proprijs meritis diffiſus, confidis te merito duntaxat ſanguinis, ac Paſſionum Domini*

Digitized by Google

nostri Iesu Christi esse saluandum.

Infirmus. *Confido.*

Sacerdos. *Si igitur Dæmon tibi, vel contra Catholicam Fidem, vel contra spem salutis æternæ, vel contra charitatem Dei aliquid suggesserit, vel te ad errorem, vel desperationem, vel meritorum tuorum præsumptionem pertrahat, annon nunc pro ex tunc omnes huiusmodi suggestiones detestaris, atque in his, quæ hactenus dicta sunt firmum esse velle protestaris.*

Infirmus. *Detestor, ac prôtestor.*

TESTAMENTVM ANIMAE IN morte ab ægroto condendum.

CAP. XXXI.

IN nomine Sanctiss. Trinit. Patris, & Filij, & Spiritus sancti ego N. miser peccator in extremo vitæ meæ discrimine constitutus: cum diem, & horã prorsus ignorem, in qua Dominus venturus est, vt terrenam hanc Corporis mei domum perfodiat, & ex ea habitatorem spiritum eijciat: quandiu mens sana, & sensus integri in me adhuc vigent: optans quam maxime interioris Domus meæ res maturè disponere: nulla me, aut morbi, aut æternorum tormentorum vi cogente, sed sponte, ac pleno animo diuina tantum charitate impellente, vltimam hanc meam cordis voluntatem, firmam deliberationem, irreuocabile propositum, Testamentum, nullo vnquam tempore delendum, aut cassandum (Te Angele Dei, qui perpetuus mihi custos à Deo destinatus es, tanquam Notario rogato excipiente, & conscribente, ac Beatiss. Virg. S.P. meo Francisco, Sanctis Tutelaribus meis, ac vniuersis B. Angelis, & Sanctis volui testibus inuocatis) publico scripto declarare, ac conde-

re

re velut,vt si quando morbi violentia, aut Diaboli humani generis Hostis tentatione, ijs contrarium aliquid mihi subrepserit,quicquid illud fuerit, prorsus nullum, cassum,ac inualidum existat.

Primum igitur,quamquã modo omniũ bonorũ egenus sim,nudus,miser,ac miserabilis:plurima tamen tam corporis, quam animi bona à Deo me accepisse fateor, quorum saltẽ vsus in meo ortu mihi creditus fuit, quę nunc Deo creditori hoc meo testamento reddere, atq; omniũ heredem instituere cogito, vt me totum hereditate possideat:& cum primum anima è corpore soluta fuerit, totum quod suum est tanquam heres legitimus repetat. In primis quoniam me Dei Creaturam esse agnosco,à quo omnia,tum naturæ,tum gratiæ bona accepi:quo fit,vt omni tam diuino,quã humano Iure totus in ipsius possessionem cedam. Idcirco Deum Creatorẽ, ac Plasmatorẽ meũ omniũ bonorũ meorũ, atque adeo mei ipsius heredẽ hoc testamento instituo, ac pronũcio. Corpus cũ omnibus suis mẽbris,& sensibus;Animã quoq; suis viribus,ac potentijs instructã: Demũ vniuersa naturæ bona, quæ olim à Deo mihi collata sunt hæc omnia integrè Deo Creatori meo tãquã ab eo Iure creationis,causæ,& principij iustè possessa relinquo.

Lugeo equidem vehementer (Deus meus) me non semel improbè eorum vsurpationis, ac negotiationis crimine irretitum fuisse. Cum ea,fœdere,cum Dęmone per suggestiones fallenti, ac præterea, cum mundo illecebras persuadente,demum cum carne ad concupiscentias impellente,inito,in profanos, ac indignos vsus, & abusus distraxi.

At verò ad meliorem nunc mentem reuersus:omnes mundo,ac singulos contractus cum ijs ipsis, & eorum quolibet,in diuinæ possessionis præiudicium initos,tan-

Digitized by Google

quam iniquo titulo fretos prorsus rescindo, reprobo, ac detestor, summam tuam misericordiam obtestans vt illatæ iniuriæ memoriam delere, & totam, ac integram mei ipsius possessionem hoc meo testamento tibi delatam repetere, ac pristino iure possidere velis.

Amplius cùm me Iesu Christi Domini mei sanguine redemptum, atq; à Dæmonis potestate ereptum esse nõ ignorem: quod iure redemptionis in me velut propriũ possidet, id totũ illi debeo: quamobrem animã, & spiritũ meũ in hac obitus mei hora hoc meo testamẽto, in manus tuas Domine Iesu Christe dono, ac cõmendo, vt eã benignè suscipiẽs, in dextra electorũ colloces: At neq; id satis est: nã cũ nihil omnino gratiarũ, aut Cœlestium donorũ vnquã habuerim, quod tui ipsius merito a bũdè, nõ acceperim: hinc ingẽs mihi animo suboritur tristitia, quãdo omnẽ me gratuitorũ bonorũ substantiã, sępe mihi à benigno Patre restitutã, prodigo filio peior, ac scelestior sępius male viuendo, ac scelera iterando dissipasse recolo, & tã amantissimum sanguinẽ pro me effusũ, ingrato animo, ac tam perdite conculcasse, ac nihili feciſſe reminiscor: quo fit, vt Iustius, quam prodigus ille filius ad te Redemptorẽ meũ, profusus lachrimis cõuersus illud inclamare debeã, *Pater peccaui in Cœlum, & coram te, Iam non sum dignus vocari filius tuus*.

Verumtamen, quoniã hæc omnia iam mihi per pœnitentiam ex tua benignitate reddita esse confido: ea hoc meo testamẽto, tibi Deo, ac Domino meo Iesu Christo accepta refero, pro ijsq; impensius, quã possim gratias ago, id à te suppliciter postulans, vt ea mihi nunc in extrema hac necessitate constituto, nõ solũ integra seruare, sed, & augere digneris; donec spiritus cũ hoste supremo agone conflictans, extremam victoriæ coronam illorum adminiculo ferat.

Præ-

Digitized by Google

Præterea quia neque aurum, neque argentum in zonis possideo, neque vlla fortunæ bona, præter ea, quę olim Professionis meæ tempore, cum votum paupertatis emitterem, mihi exinde pauperrimam vitam agenti, reliqua esse potuerunt, quandoquidem ea Iure donationis inter viuos semel tibi Deo possidenda obtuli, antiquam donationem hoc testamento confirmo, atq; altissimæ Paupertatis votum iterum emittens iterumque renouans, ea tibi Deo meo iterum lego, ac dono.

Corporis quoque bona, quæ per Castitatis votum, ac religiosæ vitæ austeritatē, cum primum euangelicam hanc Regulam professus sum, tibi Deo in sacrificium à me semel immolata sunt, eadem nunc per ipsius voti renouationem iterum sponte hoc meo testamento tibi dono, ac voueo.

Postremo animi bona, quæ volūtaria meiipsius abnegatione, & obedientiæ voto à me semel in professione emisso tibi Deo in legitimam professionem cesserūt, rursus instaurato voto tibi perpetuo, ac inuiolabili huius testamenti Iure possidenda trado, id tantum intimo, ac profundo cordis gemitu à te Deus meus efflagitans, vt quæcunque vel Dæmonum suggestione, vel carnis Blanditijs, vel mundi cupiditatibus allectus, aduersus antiquas, ac iuratas hasce bonorum cessiones, ac promissiones vllo vnquam tempore ausus, ac molitus sum, Demum quicquid contra hanc Euangelicam P. mei Francisci regulam, quam præ manibus habeo, quoquo modo vitio meo, vel naturæ imbecillitate, vel constanti malitia deliqui, id totum sanguine vnigeniti filij tui delere, ac omnino nullum, cassum, ac irritum esse velis.

Hanc verò vltimæ voluntatis meæ dispositionem, declarationem, testamentum omni meliori modo, ac forma compactum, ac sanguine Iesu Christi Domini

Digitized by Google

mei consignatum, ratum, firmum, ac inuiolabile esse decerno, ita vt nulla vnquam exceptio, nulla Iuris oppositio, nulla temporis præscriptio, nulla propriæ voluntatis inconstantia, nulla vis, nulla Dæmonum suggestio, nullus dolus, nulla fraus, nulla calumnia aduersus illud ab hostibus humani generis parata, id vnquam enerare, infringere, aut dissoluere valeat.

Suspiria Animæ in extremo vitæ periculo laborantis.

IN extrema ista necessitate ad te confugio suauissime Iesu impræparatus, & peccatorum sarcina onustus, confisus quod, qui latronem ferò pœnitentem suscepisti, nec me peccatorem repellas. Ecce Domine mi tenent me vndique angustiæ, vndique premor, vndiq; inuador. Si tu me ejcis, quis recipiet? Si tu destituis, quis consolabitur? Totum igitur me trado voluntati tuæ, non enim possum viuens, aut moriens manus tuas effugere. Pro vitæ prorogatione non rogo Deus meus, sed te, qui es vita æterna in animam meam inuoco. Heu dulcis amator. Heu Domine mi, quod te vnquam offenderim, quod tuas inspirationes, & monita tam sæpè neglexerim, quod vnquam aliud præter te amauerim, pro hoc doleo Deus meus, atque vtinam des mihi, vt ex verò corde doleam. Si vis, vt ex hac infirmitate moriar, suscipe spiritum meum, licet ad vesperam venerim omnium nouissimus, si me aliquandiu Purgatorij pœnis tradere velis, fiat voluntas tua. Plurima enim in me esse scio, quæ purgatione opus habent: priusquam ad tuam sanctam societatem peruenire merear. Si me perpetuis gehennæ tormentis tradas, sis benedictus: nihil enim aliud quàm gehennam commerui, durum tamen mihi valde esset ab amabili facie tua separari.

In

Digitized by Google

In omnibus tamen fiat voluntas tua ad gloriam tuam. Sed reminiſcor precioſi ſanguinis tui pro me effuſi, & ſpero fruſtra effuſum non iri. Tuo ſanguine, tuis pœnis, tuis meritis ſuauiſsime Ieſu tibi ſatisfacere volo pro peccatis meis. His mihi cœlum comparabo. Pro vitæ igitur prorogatione non rogo, tu enim noſti qualiter me gererem in vita, ſi conualeſcerem, fortaſſe te frequenter adhuc offenderem, (quo enim diuturnior vita, eo grauior peccatorum ſarcina,) ſi tamen me vis conualeſcere, dona mihi gratiam tuam, ne te amplius peccatis meis offendam. In omnibus fiat voluntas tua. Amen.

Ordo commendationis Animæ.

LITANIÆ.

KYrie eleiſon.
Chriſte eleiſon.
Kyrie eleiſon.

Sancta Maria.	ora pro eo.
Omnes Sancti Angeli, & Archangeli.	orate pro eo.
Sancte Abel.	ora pro eo.
Omnis Chorus Iuſtorum.	orate pro eo.
Sancte Abraham.	ora pro eo.
Sancte Ioannes Baptiſta.	ora pro eo.
Omnes Sancti Patriarchæ, & Prophetæ.	orate pro eo.
Sancte Petre.	ora pro eo.
Sancte Paule.	ora pro eo.
Sancte Andrea.	ora pro eo.
Sancte Ioannes.	ora pro eo.
Omnes Sancti Apoſtoli, & Euangeliſtæ.	orate pro eo.
Omnes Sancti Diſcipuli Domini.	orate pro eo.

Digitized by Google

Omnes Sancti Innocentes.	orate pro eo.
Sancte Stephane.	ora pro eo.
Sancte Laurenti.	ora pro eo.
Omnes Sancti Martyres.	orate pro eo.
Sancte Syluester.	ora pro eo.
Sancte Gregori.	ora pro eo.
Sancte Auguſtine.	ora pro eo.
Omnes Sancti Pontifices,& Confeſſ.	orate pro eo.
Sancte Benedicte.	ora pro eo.
Sancte Pater Franciſce.	ora pro eo.
Omnes Sancti Monachi,& Eremitę.	orate pro eo.
Sancta Maria Magdalena.	ora pro eo.
Sancta Lucia.	ora pro eo.
Omnes Sanctę Virgines,& Viduę.	orate pro eo.
Omnes Sancti,& Sanctę Dei.	Intercedite pro eo.
Propitius eſto.	Parce ei Domine.
Propitius eſto.	libera eum Domine.
Propitius eſto.	libera eum Domine.
Ab ira tua.	libera eum Domine.
A periculo Mortis.	libera eum Domine.
A mala morte.	libera eum Domine.
A pœnis Inferni.	libera eum Domine.
Ab omni malo.	libera eum Domine.
A Poteſtate Diaboli.	libera eum Domine.
Per natiuitatem tuam.	libera eum Domine.
Per crucem,& Paſsionem tuam.	libera eum Domine.
Per mortem,& ſepulturam tuã.	libera eum Domine.
Per glorioſam Reſurrect.tuam.	libera eum Domine.
Per admirabilem Aſcenſ.tuam.	libera eum Domine.
Per gratiã Spiritus ſancti Paracliti.	lib. eum Domine.
In die Iudicij.	libera eum Domine.
Peccatores.	Te rogamus audi nos,
Vt ei parcas.	Te rogamus audi nos.

Digitized by Google

Kyrie eleiſon.
Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon.

Deinde cum in agone ſui exitus anima anxiatur dicantur ſequentes Orationes.

Oremus.

Proficiſcere Anima Chriſtiana de hoc mundo, in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creauit: in nomine Ieſu Chriſti filij Dei viui, qui pro te paſſus eſt: in nomine Spiritus ſancti, qui in te effuſus eſt: in nomine Angelorum, & Archangelorum: in nomine Thronorum, & Dominationum: In nomine Principatuũ, & Poteſtatum: in nomine Cherubim, & Seraphim: in nomine Patriarcharum, & Prophetarum: in nomine Sanctorum Apoſtolorum, & Euangeliſtarum: in nomine Sanctorum Martyrum, & Confeſſorum; in nomine Sanctorum Monachorum, & Eremitarum; in nomine Sanctarum Virginum, & omnium Sanctorum, & Sanctarum Dei: hodie ſit in pace locus tuus, & habitatio tua in Sancta Sion. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. Amen.

Oremus.

Deus Miſericors, Deus clemens, Deus, qui ſecundum multitudinem miſerationum tuarum peccata pœnitentium deles, & præteritorum criminum culpas venia remiſsionis euacuas: reſpice propitius ſuper hunc famulum tuum N. & remiſsionem omnium peccatorũ ſuorum, tota cordis confeſsione poſcentem deprecatus exaudi. Renoua in eo pijſsime Pater quidquid terrena fragilitate corruptum, vel quidquid diabolica fraude violatum eſt: & vnitati corporis Eccleſiæ membrum redemptionis annecte. Miſerere Domine gemituum, miſere-

Digitized by Google

miserere lacrymarum eius: & non habentem fiduciam, nisi in tua misericordia, ad tuę Sacramentum reconciliationis admitte. Per Christum Dominum nostrum. ℟. Amen.

Commendo te Omnipotenti Deo, Charissime Frater,& ei,cuius es creatura, committo: vt cum humanitatis debitum morte interueniente persolueris, ad auctorem tuum,qui te de limo terræ formauerat, reuertaris. Egredienti itaque animę tuę de corpore, splendidus Angelorum Cętus occurrat: Iudex Apostolorum tibi senatus adueniat: Candidatorum tibi Martyrum triumphator exercitus obuiet: liliata te Rutilantium Confessorum turma circumdet: Iubilantium te Virginum Chorus excipiat: & beatę quietis in sinu Patriarcharum te complexus astringat: mitis, atque festiuus Christi Iesu tibi aspectus appareat,qui te inter assistentes sibi iugiter interesse decernat. Ignores omne,quod horret in tenebris, quod stridet in flammis, quod cruciat in tormentis. Cedat tibi teterrimus Satanas cum satellitibus suis: in Aduentu tuo te comitantibus Angelis contremiscat, atque in ęternę noctis chaos immane diffugiat. Exurgat Deus,& dissipẽtur inimici eius,& fugiant qui oderunt eũ à facie eius. Sicut deficit fumus, deficiant: sicut fluit cera à facie ignis, sic pereant peccatores à facie Dei: & iusti epulentur,& exultent in conspectu Dei. Confundantur igitur,& erubescant omnes tartareę legiones, & Ministri Satanę iter tuum impedire non audeant. Liberet te ab ęterna morte Christus, qui pro te Crucifixus est. Liberet te à cruciatu Christus,qui pro te mori dignatus est. Constituat te Christus filius Dei viui intra Paradisi sui semper amęna virẽtia, & inter oues suas te verus ille Pastor agnoscat. Ille ab omnibus peccatis tuis te absoluat,atque ad Deum teram

teram ſuam in electorum ſuorum te ſorte conſtituat. Redemptorem tuum facie ad faciem videas, & præſens ſemper aſſiſtens, manifeſtiſſimam beatis oculis aſpicias veritatem. Conſtitutus inter agmina beatorum, contemplationis diuinę dulcedine potiaris in ſecula ſeculorum. ℟. Amen.

Oremus.

Suſcipe Domine ſeruum tuum in locum ſperandę ſibi ſaluationis à miſericordia tua. ℟. Amen.

Libera Domine animam ſerui tui ex omnibus periculis Inferni,& de laqueis pœnarum,& ex omnibus tribulationibus. ℟. Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Enoch,& Eliam de communi morte Mundi. ℟. Amen.

Libera Domine animam ſerui tui, ſicut liberaſti Noè de diluuio. ℟. Amen.

Libera Domine Animam ſerui tui, ſicut liberaſti Abraham de Hur Chaldęorum. ℟. Amen.

Libera Domine Animam ſerui tui,ſicut liberaſti Iob de paſſionibus ſuis. ℟. Amen.

Libera Domine Animam ſerui tui, ſicut liberaſti Iſaac de hoſtia, & de manu Patris ſui Abraham. ℟. Amen.

Libera Domine Animam ſerui tui, ſicut liberaſti Loth de Sodomis,& de flamma ignis. ℟. Amen.

Libera Domine Animam ſerui tui, ſicut liberaſti Moyſen de manu Pharaonis Regis Aegyptiorum. ℟. Amen.

Libera Domine Animam ſerui tui, ſicut liberaſti Danielem de Lacu Leonum. ℟. Amen.

Libera Domine Animam ſerui tui,ſicut liberaſti tres pueros de camino ignis ardentis, & de manu regis iniqui. ℟. Amen.

Libera

Digitized by Google

Libera Domine Animam serui tui, sicut liberasti Susannam de falso crimine. ℟. Amen.

Libera Domine Animam serui tui, sicut liberasti Dauid de manu Regis Saul, & de manu Goliæ. ℟. Amen.

Libera Domine Animam serui tui, sicut liberasti Petrum, & Paulum de Carceribus. ℟. Amen.

Et sicut beatissimam Theclam Virginem, & Martyrem tuam de tribus atrocissimis tormentis liberasti, sic liberare digneris Animam huius serui tui, & tecum facias in bonis congaudere cœlestibus. ℟. Amen.

Oremus.

Commendamus tibi Domine animam famuli tui N. precamurque te Domine Iesu Christe Saluator Mũdi, vt propter quam ad terram misericorditer descendisti, Patriarcharum tuorum sinibus insinuare non renuas. Agnosce Domine Creaturam tuam, non à Dijs alienis creatam, sed à te solo Deo viuo, & Vero: quia non est alius Deus præter te, & non est secundum opera tua. Lętifica Domine animam eius in conspectu tuo, & ne memineris iniquitatum eius antiquarum, & ebrietatum, quas suscitauit furor, siuè feruor mali desiderij. Licet enim peccauerit, tamen Patrem, & Filiũ, & Spiritum sanctum non negauit, sed credidit, zelum Dei in se habuit, & Deum, qui fecit omnia fideliter adorauit.

Oremus.

Delicta Iuuentutis, & ignorantias eius, quæsumus, ne memineris Domine: sed secundum magnam misericordiam tuã memor esto illius in gloria claritatis tuæ, Aperiantur ei cœli, colletentur illi Angeli. In regnum tuum Domine seruum tuum suscipe. Suscipiat eum sanctus Michael Archangelus Dei, qui militiæ cœlestis

me-

Digitized by Google

meruit principatum. Veniant illi obuiam Sancti Angeli Dei, & perducant eum in ciuitatem cœlestem Ierusalem. Suscipiat eum Beatus Petrus Apostolus, cui à Deo claues Regni Cœlestis traditę sunt. Adiuuet eum S. Paulus Apostolus, qui dignus fuit esse vas electionis. Intercedat pro eo S. Ioannes electus Dei Apostolus, cui reuelata sunt secreta cœlestia. Orent pro eo omnes Sancti Apostoli, quibus à Domino data est potestas ligandi, atque soluendi. Intercedant pro eo omnes Sancti, & electi Dei, qui pro Christi nomine tormenta in hoc seculo sustinuerunt: vt vinculis carnis exutus peruenire mereatur ad gloriam Regni cœlestis: præstante Domino nostro Iesu Christo: qui cum Patre, & Spiritu sancto viuit, & regnat in secula seculorum. ℟. Amen.

POST EGRESSVM ANIMAE DE Corpore.

CAP. XXXII.

Responsorium.

SVbuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, suscipientes animam eius, offerentes eam in conspectu Altissimi.

℣. *Suscipiat te Christus, qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te.*

℟. *Suscipientes animam eius offerentes eam in conspectu Altissimi.*

℣. *Requiem æternam dona ei Domine.*

℟. *Et lux perpetua luceat ei offerentes eam in conspectu Altissimi Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster &c.*

℣. *Et ne nos inducas in tentationem.*

℟. *Sed*

Digitized by Google

℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *Requiem æternam dona ei Domine.*
℟. *Et lux perpetua luceat ei.*
℣. *A porta inferi.*
℟. *Erue Domine animam eius.*
℣. *Requieſcat in pace.*
℟. *Amen.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus &c.*
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Tibi Domine commendamus animam famuli tui N. vt defunctus ſeculo tibi viuat, & quæ per fragilitatem humanæ conuerſationis peccata commiſit, tu venia miſericordioſiſſimæ pietatis abſterge. Per Chriſtum Dominum noſtrum.

DE RITV, QVO CORPVS DEFVNCTI IN Eccleſiam deferri, & illius exequiæ celebrari debent.

CAP. XXXIII.

DEfunctorum exequias varijs Pſalmis, Hymnis, & orationibus S. Eccleſia proſequi ſolet, non vt hinc decedentes filios lugeat, ſed vt defunctos materna potius pietate complectatur, & quos è gremio ſibi morte ereptos eſſe cognoſcit, in æterni Patris ſinum quàm citius tranſmittere feſtinet. Porrò ſi id Chriſtiani officij Eccleſia erga ſeculares viros præſtat, qui in Chriſti fide, & Eccleſiæ Catholicæ gremio extremum diem obierunt: quid de Religioſis cenſendum erit? qui ſedula cœleſtium virtutum exercitatione Chriſti Crucem

Digitized by Google

cem iugiter ferentes, cum ea poſtremum quoque diem in Domino clauſerunt? Horum profecto mors, cum precioſa in conſpectu Domini cenſenda ſit: planè equũ eſt, vt omni religione, [a] iuxta Eccleſiaſticas regulas, ac pietate ipſorum funera celebrentur, qui cum Chriſto viuere creduntur.

[a] Concil. Tolet. 3. c. 22.

[b] Idcirco debito poſt obitum fratris interuallo vnius ſcilicet diei, vel circiter, obſeruato, vel ſi repentina mor te raptus fuerit, viginti quatuor non minus horarum ſpacio expectato: [c] cum ſuperiori viſum fuerit, detur ſignum Campana octo, vel decem ictibus conciſis à Sacriſta, quo audito, fratres omnes in Chorũ conueniãt; vbi candelæ ſingulis diſtribuantur, cum duobus ſaltem intortitijs, quæ extincta ferri debent vſque ad Corpus Defuncti. Deinde ordinetur proceſſio hoc modo, vnus cum aqua benedicta, & aſperſorio præcedat, & poſtea alius cum thuribulo, & Nauicula, tertio loco duo cum luminaribus, quarto loco Crux, ſequantur cęteri bini, & bini. Poſtremo loco ſacerdos ſuperpelliceo, & ſtola indutus cum Rituali incedat.

[b] Act. Eccl. Med. p. 1. fo. 251. Rit. Rom. [c] Rit. Ro. Cærem. Epiſ. lib. 2. cap. 38. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 37.

[d] Cum ad defunctum peruenerint, Crucem deferens ſiſtat in capite feretri, reliqui verò circa feretrum adſtãtes accendant cereos. [e] Sacerdos corpus defuncti aqua benedicta in modum crucis aſpergens incipiat Antiphonam. *Si iniquitates obſeruaueris Domine, Dõmine quis ſuſtinebit.*

[d] Cærem. Cler. Reg li. 2. c. 37. [e] Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 37.

Pſalm. *Deprofundis clamaui* &c. totus dicatur alternatim à Choro. ℣. *Requiem æternam dona ei Domine Et lux perpetua luceat ei.* Repetatur. Antiph. *Si iniquitates obſeruaueris Domine, Domine quis ſuſtinebit.*

[f] Mox efferatur cadauer, ſi Defunctus ſacerdos fuerit, à ſacerdotibus, ſi Clericus à Clericis, ſin Laicus à Laicis fratribus deferatur. Cruce præcedente, ac cęteris

[f] Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 37.

Digitized by Google

ris de more cum cereis accensis proceſſionaliter ad Eccleſiam per clauſtrum procedentibus. Sacerdos feretrum præcedat, tum poſtremo loco corpus Defuncti cum duobus ſaltem intortitijs ſequatur.

g Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 37. Cærem. Epiſc. li. 2. c. 38.

g Interea dum Cadauer defertur, Campana pulſetur, ſacerdos verò intonet Antiphonam, *Exultabunt Domino oſſa humiliata*, deinde dicatur à Choro alternatim Pſalmus, *Miſerere mei Deus* &c. Cum ad Eccleſiam peruentum fuerit, in ingreſſu Eccleſiæ repetatur Antiphona, *Exultabunt* &c. Eccleſiam ingreſſi, cantabitur reſponſorium.

b Rit. Ro.

b ℟. *Subuenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini, ſuſcipientes animam eius, offerentes eam in conſpectu Altiſſimi.*

℣. *Suſcipiat te Chriſtus, qui vocauit te, & in ſinum Abrahæ Angeli deducant te, ſuſcipientes animam* &c.

℣. *Requiem æternam* &c.

℟. *Et lux* &c. *offerentes eam* &c.

a Rit. Ro. Cærem. Cler. Reg. li. 2. c. 37.

a Repoſito Corpore Defuncti in medio Eccleſiæ, ſi ſacerdos fuerit, capite ad Altare verſo, ſi Clericus, aut Laicis pedibus ad Altare maius tendentibus: Ceſſet ſonitus Campanæ. Duo candelabra cum candelis accenſis vnum in capite, alterum ad pedes feretri ſtatuantur, & dum aliquis ex fratribus Laicis ex ſuperioris mandato corpori Defuncti aſſiſtit. Sex candelę in Altari ceræ communis accendantur, & ſtatim in Choro inchoetur ab Acolythis officium Defunctorum ab Inuitatorio, *Regem cui omnia viuunt*, quod totum ſub ritu duplici dicatur, duplicatis Antiphonis, cum laudibus b iuxta rituale Romanum.

b Rit. Ro.

Poſt Antiph. *Ego ſum* &c. quę dicitur poſt, *Benedictus*, Hebdomad. intonet, *Pater noſter*, quod dicitur ſecreto, deinde.

Et

Digitized by Google

Et ne nos inducas &c.
Sed libera nos &c.
℣. *A porta inferi.*
℟. *Erue Domine animam eius.*
℣. *Requiescat in pace.* ℟. *Amen.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus* &c.
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Absolue quæsamus Domine animam famuli tui N. fratris nostri ab omni vinculo delictorum, vt in Resurrectionis gloria inter Sanctos, & electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum.

[c] Interea dum laudes in Choro canuntur, Sacerdos se ad Missam solemnem celebrandam preparet, & absolutis laudibus, post tria Campanæ signa, ad Altare paramentis nigri coloris ornatum cum Clerico superpelliceo induto, procedat: vbi in principio Missæ non incenset Altare, neque librum, cum legit Euangelium, sed tantum post offertorium incensat oblata, & Altare, vt aliàs de more: Acolythus verò celebrantis nec manum, nec Thuribulum osculetur Porrò Missa in die obitus Defuncti cum vna tantum oratione celebrari debet, tum reliqua omnia obseruari quæ in Missis Defunctorum obseruanda præscribuntur. [c] Cær. Epis. lib 2 c. 38. Cær. Cler. Reg. li. 2. c. 37.

[d] Missa peracta, Sacerdos deposita Casula, & Manipulo, stola in modum crucis ante pectus disposita, expectet donec, qui sunt in Choro, ante Altare conueniant, & processio instituatur. [d] Cær. Cle. Reg. li. 2. c. 37.

[e] Quod si exequiæ in Vespere peraguntur, simul ac Matutinæ horæ cum laudibus absolutæ fuerint; Sacer- [e] Cær. Cle. Reg. li. 2. c. 37.

Digitized by Google

dos paratus stola,& superpelliceo simul cum cęteris ad Altare procedat. Vbi instructa processione ad Corpus Defuncti hoc ordine progrediantur. Primum thuriferarius præcedat cum thuribulo, & Nauicula, Deinde Acolythus cum vase aquæ benedictæ,& Aspersorio, tum qui Crucem fert medius inter duos Ministros cum candelabris accensis, ac deinde reliqui ordinatè cereos ardentes cerę communis in manibus gestantes sequantur, Vltimus Sacerdos cum libro incedat: postquam debitam prius reuerentiam omnes Sacramẽto genuflexi reddiderint.

a Cęr. Cle. Reg. l. 1. c. 27.

a Vbi ad Corpus Defuncti ventum fuerit: Crucifera-rius medius inter Ceroferarios cum luminibus sistat se ad caput Defuncti. Reliqui verò ex ordine circum-circa feretrum circundent,cum candelis accensis; ita-vt Iuniores propè Crucem,seniores propè celebrantem consistãt;Celebrans verò eum sibi locum propè feretrũ vindicare debet,qui est ad pedes Defuncti,& Crucem-ex aduerso respicit, post ipsum duo Acolythi stabunt: vnus gerens vas aquæ benedictæ,& Asperiorium. Alter thuribulum,& nauiculam.

b Rit. Ro.

b His ita dispositis,Sacerdos absolutè incipiat absque Oremus Orationem. *Non intres in iudicium cum seruo tuo fratre nostro Domine, quia nullus apud te iustificabitur homo, nisi per te omnium peccatorum ei tribuatur remissio. Non ergo eum quæsumus tua iudicialis sententia premat, quam tibi vera supplicatio fidei Christianæ commendat: sed gratia tua illi succurrente mereatur euadere iudicium vltionis,qui dum viueret, insignitus est signaculo Sanctæ Trinitatis. Qui viuis, & regnas in sæcula sæculorum Amen.*

Deinde Clerus cantet Responsorium. *Libera me Domine de morte eterna in die illa tremenda, quando Cœli*

mouen-

Digitized by Google

mundi sunt, & terra: Dum veneris iudicare sæculum per ignem.

℣. *Tremens factus sum ego, & timeo, dum discussio venerit, atque ventura ira. Quando Cœli mouendi sunt, & terra.*

℣. *Dies illa, dies iræ, calamitatis, & miseriæ, dies magna, et amara valde: Dũ veneris iudicare sęculũ per ignẽ.*

℣. *Requiem ęternam dona ei Domine, et lux perpetua luceat ei.* ℣. *Libera me.* vsque Tremens.

Dum Responsorium cantatur; Sacerdos Acolytho ministrante sumat incensum ex Nauicula, & benedicẽs illud ponat in thuribulum. Peracto responsorio, primus Chorus à parte dextra dicat *Kyrie eleison.*. Alter respondeat *Christe eleison*, deinde omnes simul dicant *Kyrie eleison*, Sacerdos autem alta voce intonet, *Pater noster.*

[c] Quo secreto dicto, sacerdos ab Acolytho Aspersorium accipiens, & facta reuerentia Sacramento, à dextro latere incipiens sequente Acolytho cum vase aquę benedictæ, circumiens aspergat Corpus Defuncti: cum ante Crucem transierit, ante ipsam profundè se inclinet, Acolythus verò genuflectat: Tum verò completo circulo altero Acolytho ministrante, accipiat thuribulum, quod sine osculis porrigatur, & eodem modo circumiens feretrum, Corpus incensęt: vbi verò ad pristinum locum redierit: alta voce dicat, *Et ne nos inducas* &c. [c] Rit. Ro.

℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *A porta inferi.*
℟. *Erue Domine animam eius.*
℣. *Requiescat in pace.*
℟. *Amen.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*

Digitized by Google

℟. *Et clamor meus &c.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Deus, cui proprium est misereri semper, & parcere, te supplices exoramus pro anima famuli tui N. quam hodie de hoc seculo migrare iussisti, vt non tradas eam in manus inimici, neque obliuiscaris in finem, sed iubeas eam à Sanctis Angelis suscipi, & ad patriam Paradisi perduci, vt quia in te sperauit, & credidit non pœnas Inferni sustineat; sed gaudia sempiterna possideat. Per Christum Dominum nostrum.

a Rit. Ro. Cær. Cler. Reg. li. 2. c. 37. a Dicta oratione, Corpus deferatur ad tumulum: interea à Choro cantetur Responsorium.

In Paradisum deducant te Angeli; in tuo aduentu suscipiant te Martires; & perducant in Ciuitatem Sanctam Ierusalem: Chorus Angelorum te suscipiat, & cũ Lazaro quondam paupere æternam habeas requiẽ.

b Rit. Ro. b Si thumulus non fuerit aliàs benedictus, à Sacerdote benedicatur sequenti oratione.

Oremus.

Deus cuius miseratione animæ fideliũ requiescunt hunc tumulum benedicere dignare, eique Angelum tuum sanctũ deputa custodẽ, & quorum Corpora hic sepeliuntur, animas eorum ab omnibus absolue vinculis delictorum, vt in te semper cum sanctis tuis sine fine letentur. Per Christum Dominum nostrũ. Amen. Deinde prius aqua benedicta aspergatur, tũ thuribulo incẽsetur quod si alias fuerit benedictus, iterũ nõ benedicatur: sed post Resp. *In Paradisũ*, intonet principiũ Antiph. *Ego sũ resurrectio, et vita, qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet, et omnis, qui viuit, et credit in me, non morietur in æternum.* Postea à Choro alternatim dicatur Canticũ *Benedictus*

De-

Digitized by Google

Dominus Deus Iſrael &c. ac repetita Antiphona ſacerdos dicat, *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Kyrie eleiſon. Pater noſter*, Corpus interim aqua benedicta aſpergens. Interea fratribus Laicis adiuuantibus, Corpus defuncti, vt noſtri moris eſt, ſepeliatur, facie capucio cooperta, ſi ſacerdos fuerit capite verſus Altare, alij pedibus ad Altare conuerſis collocentur. Dicto, *Pater noſter*, ſecreto ſacerdos ſubiungat.

℣. *Et ne nos inducas* &c.
℟. *Sed libera nos à malo.*
℣. *A porta inferi.*
℟. *Erue Domine.*
℣. *Requieſcat in pace.*
℟. *Amen.*
℣. *Domine exaudi* &c.
℟. *Et clamor* &c.
℣. *Dominus vobiſcum.*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

Oremus.

Fac quæſumus Domine hanc cum ſeruo tuo defuncto N. Fratre noſtro miſericordiam, vt factorum ſuorum in pœnis non recipiat vicem, qui tuam in votis tenuit voluntatem, vt ſicut hic eum vera fides iunxit fidelium turmis, ita illic eum tua miſeratio ſociet Angelicis choris. Per Chriſtum Dominum noſtrum. Amen.

℣. *Requiem æternam dona ei Domine.*
℟. *Et lux perpetua* &c.
℣. *Requieſcat in pace.* ℟. *Amen.*

Anima eius, & Animæ omnium fidelium Defunctorum per miſericordiam Dei requieſcant in pace. Amen.

a Tandem ad Altare reuertentes, dicant Antiphonã. *Si iniquitates*, cum Pſalmo, *De profundis. Requiem æternam* &c. *Requieſcat in pace. Amen.* Mox per totam a Rit. Ro.

Digitized by Google

Prouinciam de morte ipsius scribatur, vt ab omnibus officia persoluantur, & Defuncti Anima Deo commendetur in omnibus orationibus in quibus fit memoria Defuncti, addatur semper, *N. Fratris nostri*, si autē Generalis Prouincialis, aut Guardianus fuerit, dicatur, *N. Patris nostri*.

Quod si contingat, aliquod secularis hominis, aut Mulieris Corpus ex priuilegio, vel ex necessitate in nostris Ecclesijs sepeliri: si id Defunctus adhuc viuens priuilegio ab admodum R.P. Generali obtinuit, qui solus id priuilegium elargiri potest, fratres nullo modo processionaliter Domum Defuncti adeant, aut Corpus ad Ecclesiam asportandum curent: sed proprium Parochum sua munera erga Defunctum agere sinant: Vbi verò Clerus cum Defuncti Corpore ad Ecclesiam nostram peruenerit, superior, vel sacerdos deputatus stola, & superpelliceo indutus cruce, ac duobus Acolythis assistentibus cum aqua benedicta, ac Thuribulo, ac cęteris fratribus processionaliter dispositis corpus Defuncti in ipsis Ecclesiæ foribus depositum recipiant, quod statim fratres Laici in humeris sublatum, intra Ecclesiam deferant, & in medio Ecclesiæ collocent, modo quo supra dictum est, ac ea omnia circa corpus absoluantur, mutatis tantum mutandis, quæ circa fratres peragi solent.

In ijs verò qui ex necessitate in nostris Ecclesijs sepeliuntur, eamque duntaxat necessitatem appellamus, cum proprius Parochus ob paupertatem Defuncti eum in Ecclesia Parochiali sepelire renuit, illud tantum obseruandum est, quod impetrata prius ab ordinario, ac Parocho licentia, fratribus processionaliter cum duobus saltem intortitijs, & duobus candelabris accensis singulis fratribus singulas candelas gerentibus ad Defuncti

Digitized by Google

functi Domum progredi, atque inde corpus Defuncti ad Eccleſiam noſtram deferre licebit: vbi id ipſum prorſus obſeruabunt, quod in delatione Corporis fratris noſtri Defuncti obſeruari ſolet.

Corpore verò in Eccleſiam delato, ea omnia circa illud perficiantur, quæ ſuperius in exequijs fratris noſtri Defuncti ſunt notata.

DE RITV BENEDICENDI RES SACRAS.

CAP. XXXIV.

GRauiſſimorum Doctorum ſententia eſt, vniuerſa, quæ Altaris miniſterio deſeruiunt, ſiue vaſa ſacra, ſiue indumenta ſacerdotalia, ſiue Altaris ornamenta, propter miniſterij excellentiam, & ſacrum ipſorum vſum eſſe benedicenda, quamquam ex his alia de neceſſitate, alia verò de honeſtate benedictionem expoſcant. a Siluest. Angel. Tabien. in verſ. benedicere.

De neceſſitate benedicenda ſunt, Eccleſia, Altare, Mappę Altaris, Palla, Calix, Pixis, Patena, Corporale, Purificatorium, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, ſtola, & Caſula. De honeſtate verò ea, de quibus benedictiones habentur in Miſſali, & ſacerdotali.

Porrò etſi inter ea, quæ neceſſariam benedictionem poſcunt Pixis, ac purificatoria à quibuſdam minime adnumerentur: ea tamen neceſſario benedicenda eſſe ipſa rerum natura poſtulat, nam ſi Patenæ benedictio propter contactum Corporis Chriſti neceſſario adhibetur, eadem profecto ratione, & Pixidis, imo & lunulę, & cuſtodiæ benedictio neceſſaria cenſenda erit, cum in his Chriſti Corpus aſſeruetur: Purificatoria quoque Corporalibus exæquãtur: eo quod, vt Doctores aiunt,

Digitized by Google

quandoque in ipsis imbibuntur stillæ sanguinis Christi, quare & ab ijs tantummodo, qui sacris initiati sunt, tanguntur: quamuis ex priuilegio nostri quoque Clerici in minoribus constituti, de superiorum licentia, ea tangere valeant: quapropter ea quoq; inter res sacras primi ordinis, quæ necessaria benedictione indigent, sunt collocanda.

Comp. Priuileg. V. benedicere.

Supereſt, vt quibus huiusmodi res sacras benedicendi Ius competat, explicemus. Cunctis olim sacerdotibus ex priuilegio Sixti IV. licuit sacerdotalia indumenta, Paramenta Altaris, Missalia, atque alia huiusmodi, exceptis Corporalibus, de superiorum licentia benedicere: sed quoniam Priuilegiorum vsus facultas à superiorum potissimum arbitrio, ac licentia pendet: hodie potius Priuilegij Leonis X. vsus in ordine receptus viget, quo cõceditur, vt soli Generales, ac Prouinciales, & eorum Comissarij, & Custodes, & Guardiani possint solemni benedictione omnes res sacras ad suorum tantum monasteriorum vsum benedicere: in quarum benedictione S. Chrysma non requiritur, vt in Calice, & Patena. Huiusmodi enim benedictiones, seu cõsecrationes solis Episcopis reseruantur: quamquam vsus etiam apud nos obtinuit, vt Corporalium benedictio ex reuerentia Prouinciali Ministro deferri soleat.

Ritus autem, qui in huiusmodi rebus benedicendis obseruari debet, hic erit. Generalis, Prouincialis, seu Guardianus, si sacerdotalibus, est indutus, Casulam, & Manipulum deponat, sin minus stolam cum superpelliceo induat. Assistat Acolythus cum aqua benedicta, & aspersorio. Ipse autem benedictionem ita inchoet.

Bene-

Digitized by Google

Benedictio Corporalium Generalibus, & Prouincialibus Ministris ex reuerentia reseruata.

℣. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*
℟. *Qui fecit Cœlum, & terram.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Vide in Missali.

Benedictio sacerdotalium indumentorum in genere ad Guardianos spectans.

℣. *Adiutorium nostrum* &c.
℟. *Qui fecit* &c.

Vide Missale.

Quod si vnum duntaxat sacerdotale indumentum benedicendum sit: omnia dicantur in numero singulari. In prima quidem oratione vbi habetur, (*Hęc indumenta*) dicatur, (*Hoc indumentum sacerdotale Amictus, vel stolę, vel Manipuli, vel Casulæ* &c. Item (*Aptum, & benedictum existat*) rursus (*Hac quoque sacra veste sacerdotes tui induti.*)

In secunda oratione dicatur, (*Hoc indumentum sacerdotalis glorię*) Item, *omnesque eo vtentes*. In tertia dicatur, (*Hoc vestimentum*) rursus (*Qui illud induerint.*)

Benedictio Mapparum, seu Tobalearum.

Vide Missale Rom.

Benedictio Tabernaculi, Pixidis, & Custodiæ.

Vide Missale Romanum.

Benedictio Candelarum.

Vide Missale Rom.

Bene-

Digitized by Google

Benedictio noue Crucis.

Vide Rituale Rom. fo. 211.

Benedictio Imaginum.

Vide Rituale Romanum fo. 212.

Benedictio ad induendum Puerum pro voto.

℣. *Adiutorium nostrum* &c.

℟. *Qui fecit* &c.

℣. *Domine exaudi orationem* &c.

℣. *Dominus vobiscum* &c.

Oremus.

Domine Iesu Christe, qui pro nostra salute suscipiens humanam naturam te vestimento carnis induere dignatus es, benedictione sancta benedic † ista paruula vestimenta, quę pro gratijs tibi exsoluendis, cum omni deuotione sanctoque voto, ac veneratione Beatissimæ Marię Infans iste (siue Puella) super te suscepturus est, (vel susceptura est) infunde in eum, (vel in eã) quęsumus tuam sanctam benedictionem, † vt cum primum induerit hoc religioni simile vestimentum, intercedente B. Francisco, descendat super eum, (vel eam) gratia tua, & protegat eum (vel eam) ab omni malo mentis, & corporis. Qui viuis, & &c.

Deinde aspergantur vestimenta aqua benedicta, & illa adoleantur incenso.

Benedictio ad exuendum puerum post annum.

℣. *Adiutorium nostrum in nomine* &c.

℟. *Qui fecit Cœlum* &c.

℣. *Domine exaudi orationem* &c.

℟. *Et clamor meus* &c.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Domine Sancte, Pater omnipotens, æterne Deus, à quo descen-

Digitized by Google

descendit omnè bonum, & omne donum, tibi gratias referimus, & expleta vota reddimus; suscipe vota nostra cum actionibus gratiarum, & intercedente B. Maria Virgine, Sanctoque Francisco huic infanti (vel puellæ) de cætero præsta salutem mentis, & corporis, vt te Creatorem recta fide colat, in te Redemptore spem suam confirmet, teque summum bonum super omnia diligat, atque sanctis mandatis tuis semper obediat. Per Dominum nostrum &c.

Deinde habitum exuendo dicat.

Reddite vota vestra Deo cum actibus suis. Psalmum. *Laudate Dominum omnes gentes* &c.

Deinde deponat habitum super Altare, & dicat.

℣. *Domine exaudi orationem meam.*

℟. *Et clamor meus* &c.

℣. *Dominus vobiscum.*

℟. *Et cum spiritu tuo.*

Oremus.

Suscipe Sancte Pater vota, precesque supplicum, & per interceſſionem Beatissimæ Virginis Mariæ, Sanctique Patris nostri Francisci præsta nobis, ita beneficia tua cognoscere, vt in gratiarum actione semper maneamus. Per Dominum nostrum &c.

Postea benedicat circumstantes.

RITVS CONIVRANDI NVBES AD expellendas tempestates.

CAP. XXXV.

INgruente aliqua tempestate, Campana pulsetur à Sacrista prius signo, vt fit in salutatione Angelica, deinde longius pleno tractu, quo audito vniuersi tam sacerdotes, quàm Clerici, ac Laici in Ecclesiam conueniant.

Digitized by Google

niant. Cereum Paschale ante Altare Maius accendatur, & si maior necessitas vrget, aperiatur ostiolum Tabernaculi, in quo Sanctissimum Sacramentum asseruatur. Sex Candelis simul cum Cereostatis ante Altare accensis.

Hebdomadarius verò, vel superior intonet Litanias Sanctorum, in quibus bis dicatur, *A fulgure, & tempestate*, deinde alternatim canatur Psalmus, *Lauda Hierusalem*.

FINIS.

Digitized by Google

393

APPENDIX
IN QVA
DE EXTERNIS
Quibuſdam Ritibus,

AD RELIGIONIS POLITIAM,
& domeſtica munera rectè obeunda
ſpectantibus agitur.

EX VARIIS SANCTORVM PATRVM,
nec non antiquiſſimis noſtri Seraphici Ordinis
Inſtitutionibus decerpta.

NEAPOLI,

Typis Scorigianis. M. DC. XXVI.

Digitized by Google

INDEX

PARTIVM, ET CAPITVM, quæ in hac Appendice continentur.

PRIMAE PARTIS.

Cap. 1.

1 *De Ritu quo recipi debent Generalis Minister, visitator Generalis, & Prouincialis Minister in visitatione fratrum.* 339
2 *De officio Generalis, & Prouincialis Ministri in actu visitationis.* 343
3 *De officio Custodis.* 351
4 *De officio Guardiani, & Vicarij.* 354
5 *De officio Magistri Nouitiorum.* 360
6 *De Nouitiorum institutione.* 364
7 *De Nouitiorum Probatione.* 367
8 *De receptione Nouitiorum, & prudentia in ea seruãda.* 373
9 *De Nouitijs ad Professionem admittendis.* 380
10 *De disciplina, & officio Clericorum.* 386
11 *De officio Excitatoris.* 389
12 *De officio Lectorum.* 391
13 *De officio, & disciplina Studentium.* 395
14 *De officio Ianitoris Domus.* 398
15 *De officio Præfecti Aduenarum.* 406
16 *De ritu, quo Peregrini Fratres recipi debent.* 408
17 *De officio Præfecti communitati vestium.* 410
18 *De officio Sutoris sandaliorum.* 413

19 De

Digitized by Google

19 *De officio Eleemosynarij.* 415
20 *De officio Præfecti Refectorio.* 418
21 *De officio Magistri Coquinæ.* 420
22 *De officio Præfecti Infirmorum.* 424
23 *De officio deputati cuilibet Infirmo.* 427
24 *De officio Hortulani.* 429
25 *De officio Præfecti Lanificio.* 433

SECVNDAE PARTIS.

1 *DE publicis accusationibus, & modo Paternarũ Correptionum.* 436
2 *De disciplina in Refectorio seruanda.* 444
3 *De Ieiunio in pane, & aqua diebus quibusdam solemnioribus.* 453
4 *De disciplina in calefactione obseruanda.* 454
5 *De disciplina, & Custodia Cellæ.* 457
6 *De disciplina in quibusdam alijs domesticis actionibus custodienda.* 460
7 *De tonsura Fratrum, & ritu in ea seruando.* 462

TERTIAE PARTIS.

1 *DE Conuocatione Capituli Generalis, & Electione Definitorum.* 464
2 *De electione Generalis Ministri.* 474
3 *De electione Procurat. Ordinis, & ipsius munere.* 477
4 *De Conuocatione Capituli Prouincialis, & electione, ac munere Discretorum.* 479
5 *De electione, & munere Definitorum.* 483
6 *De electione Prouincialis, Ministri, & ipsius munere.* 485
7 *De electione Custodum tempore Generalis Capituli.* 488

Digitized by Google

8 *De Prouisione Guardianorum, & ritu in ea seruando.* 490
9 *De reuerentia Superioribus exhibenda.* 493
10 *De Consilijs Superiorum curiosè non indagandis.* 498
11 *De mutua inter Fratres reuerentia obseruanda.* 500
12 *De disciplina in mutua Fratrum conuersatione.* 508
13 *De disciplina in animi remissionibus custodienda.* 513
14 *De disciplina in negotijs in vrbe gerendis necessaria.* 515
15 *De disciplina cum exteris seruanda.* 518
16 *De visitatione, & cura ægrotis impendenda.* 523
17 *De disciplina in visitatione secularium ægrotorum seruanda.* 531
18 *De disciplina in secularium Mensis obseruanda.* 533
19 *De ritu erga seculares viros seruando cum in Refectorio admittuntur.* 537
20 *De diligentia adhibenda, vt præfati ritus omnes integrè seruentur.* 540

APPEN-

Digitized by Google

APPENDIX
DE EXTERNIS QVIBVSDAM RITIBVS, QVI AD RELIGIONIS POLITIAM, ET AD PLERAQVE DOMESTICA MVNERA RECTE OBEVNDA SPECTANT.

PROLOGVS.

CVM olim sapientissimus ille Salomõ vberrima Dei luce perfusus, ac cœlesti propemodum sapiẽtia instructus, sacrã Dei Domũ diuina prorsus arte elaboratam, ac magnificentissimè exstructam, legibus, ac sanctissimis cæremonijs exornasset. Rem nedum perfectam arbitratus. Domum Regis, regia, vt par erat, pompa, ac magnificentia ædificandam curauit, eamq; tam admirabili sapientia suis ministeriis,

Digitized by Google

Rerijs ac inuiolato rerũ ordine administrandã disposuit: vt Sabęorum Regina, & mensarum cibaria, & Ministrorum officia, & officiorum ordinem, & ordinis elegantiam maximè admirata, propè in extasim raperetur.

Nos quidem hactenus Domum Dei, quæ est Ecclesia, ab eo, qui plusquam Salomon est, nempè à Christo Domino, fundatam, ac Diuina sapientia exstructam suis legibus, ac cæremonijs, quibus, præsertim apud Nos, ad Dei cultum innixa procedere debeat, ornatam ostendimus. Superest, vt domesticam nostræ Religionis domũ, quasi alterã Regis domũ, ijs legibus muniãtã, cæremonijs auctam, ministerijs distinctã, muneribus copiosã, atq; adeo ministrorũ serie magnificam, officiorũ ordine illustrẽ, sanctimonia eximiã, tanta denique, ac tã Diuina sapiẽtia decorã, cunctis aspectãdã proponamus, vt quicunq; in eã oculos defixerint, mox admirabilẽ illius splendorẽ, velut è cęlo illi affulgentẽ, percipiant; quo ad Dei Opt. Max. laudes prædicandas assurgant.

PRI-

PRIMA PARS.

DE CERTA OFFICIORVM distinctione, eorumque Ritibus.

DE RITV, QVO RECIPI DEBENT *Generalis Minister, visitator generalis, & Minister Prouincialis in Visitatione Fratrum.*

CAP. I.

QVANDOQVIDEM in Rothomagensi Concilio olim decretum fuit, vt Episcopo ad aliquam suæ Diœcesis Ecclesiam, visitationis gratia, aduentanti, Clerus, ac Populus obuiam stato ordine prodeant, ac certis Hymnorum, Psalmorumque precibus cum gaudio, summaque reuerentia, eundem quasi Christi vicem gerentem excipiãt. *a* Hinc non immeritò pia, ac vetusta Minoritanæ Religionis consuetudine receptum est, vt cum primùm Generalis Minister, qui summi apud nos Pastoris, ac Episcopi pro Christo legatione fungentis, locum obtinet, ad aliquod Ordinis nostri Monasterium Fratres visitaturus accesserit: eundem Fratrum omnium Communitas (ijs tantum exceptis, qui morbo, aut aduersa valetudine detinentur) processionaliter excipiant.

a Concil. Rothom. Act. Med. Eccl. p. 1. fol. 172.

b Fundam. trium ord. p. 3. fol. 30.

Nos quoque Antiquorum vestigijs inhærentes piam

Digitized by Google

hanc inſtitutionem, quæ iam à principio apud nos viguit, reuerenter amplectimur, ac decernimus, vt Prouincialis Miniſter cum primum ex litteris admodum R. P. Generalis didicerit, eum ſuæ Prouinciæ ius Viſitationis proximè impendere velle; Diffinitoribus per litteras tempeſtiuè accerſitis, ſimul cum ipſis opportuno tempore ad proximum contiguæ Prouinciæ Monaſterium illi obuiam ſe conferat, eundemque de ſtatu ſuę Prouinciæ certiorem reddat, cauſas iudicandas, ſi quæ ſunt, aperiat, ac familiarum eo modo, quo ſunt diſpoſitæ Cathalogum prębeat. denique ad ſuam Prouinciam accedentem comitetur. Eo verò Prouinciam ingreſſo, ipſe deinceps ab omni externæ iuriſdictionis vſu abſtineat; niſi ſecus illi à Generali Miniſtro iniunctum fuerit: decet enim, vt Maiore aduenientе ceſſet minor. Ea tamen, quę ad ſpirituale forum ſpectant, veluti à caſibus reſeruatis abſoluere, prębentationes recipere, vel à præſentatione liberare, confeſſorem ſibi eligere, & ſi quæ alia huiuſmodi ſunt, quę ad Prouincialis Miniſtri munus intrinſecè ex Regula pertineant, quibus Maioris Viſitatio minimè impeditur: illi integra erunt.

Generali autem Miniſtro ad aliquod Prouincię Monaſterium Viſitationis gratia accedente, curet ſuperior, vt Fratres Proceſſionaliter gradientes, Cruce præcedente abſque luminaribus, longiùs aliquantulum extra fores Eccleſiæ, eidem obuiam prodeant: vbi ſubſiſtente Proceſſione, ſuperior loci duos, vel tres, ex dignioribus familię Patribus ſecum aſſumens, paulò longiùs procedat, donec ad ipſum perueniat: quem reuerenter recipientes vſque ad Proceſſionis locum à dextris, & à ſiniſtris pedeſtrem comitabuntur; quò cum peruenerint, crucem ipſi deoſculandã ofterãt.

Statim

Digitized by Google

Statim verò superior domus paratum stolam coloris officio diei congruentis, ipsi genuflexus offerens deosculandam collo eius ex vtraque parte pendentem imponet, tumque à Cantoribus inchoabitur, *Te Deum laudamus* &c. Accedente Processione ad Ecclesiam, Campana pulsabitur. Cruciferarius vbi ad ostium cancellorum processerit, ibi sistens genuflectet. Cum verò Generalis Minister ad Ecclesiæ limen peruenerit, superior genuflexus Aspersorium cum osculo manus ipsius, & aspersorij, eidem porriget, qui per medium incedens, Fratres hinc inde suo ordine genuflexos aspergeт, donec ad infimum Altaris Maioris gradum peruenerit, vbi genuflectet. Expleto Hymno, *Te Deum* &c. Duo Acolythi dicant versiculos:

℣. *Benedicamus Patrem, & Filium cum sancto Spiritu.*
℟. *Laudemus, & superexaltemus eum in sæcula.*
℣. *Panem de cœlo præstitisti eis.*
℟. *Omne delectamentum in se habentem.*
℣. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.*
℟. *Et renouabis faciem Terræ.*
℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genetrix.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*
℣. *Ora pro nobis B.P. Francisce.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Generalis verò Minister orationes, quæ sequuntur, grauiter, ac morosè proferet.

Oremus.

Deus, cuius Misericordiæ non est numerus, & bonitatis infinitus est thesaurus: piissimæ Maiestati tuæ pro collatis donis gratias agimus, tuam semper clementiam exorantes: vt qui petentibus postulata concedis, eosdem non deserens, ad præmia futura disponas.
Deus, qui nobis sub Sacramento mirabili &c.

Digitized by Google

Deus, qui corda fidelium &c.
Concede nos famulos tuos &c.
Deus, qui Ecclesiam tuam B. Francisci &c.
Actiones nostras, quæsumus Domine, aspirando præueni, & adiuuando prosequere: vt cuncta nostra oratio, & visitatio à te semper incipiat, & per te cœpta finiatur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Tum verò cum omnibus aliquantisper orabit. Post orationem surgens Minister Generalis benedictionem fratribus genuflexis impertietur: atque eo sedente, fratres omnes per ordinem bini, & bini, à senioribus incipientes manum ipsius osculabuntur; mox verò superior cum nonnullis ex senioribus Patribus, Generalem Ministrum, ac socios ad lotionem pedum, atque alia Charitatis ministeria, quæ illis ab ipso superiore potissimùm exhibenda erunt, deducet..

Interea à Præfecto Aduenarum, Cellæ tam pro Generali Ministro, quàm pro socijs: pauperes quidem, ac nullo prorsus ornatu à cæteris distincte, iuxta nostri status simplicitatem, sed mundæ, ac nitidæ parentur. Superior verò, vbi alia Charitatis officia erga Generalem Ministrum expleuerit: eundem ad Cellam vsque reuerenter perducat, prospiciatque, vt eorum, quæ ad Charitatis officium spectant, tam erga Generalem Ministrũ, quàm illius socios, nihil prorsus omittatur. Idem quoque ritus in receptione Visitatoris Generalis seruandus erit, nisi quod Prouincialis sinè Patribus illi obuiã procedere debet vsque ad extremum propriæ Prouincię Monasterium, aduentantem fratres illum processionaliter non excipiant; vnde, & Campanæ pulsatio, & orationes ante Altare nõ sunt necessariæ. Sed superior loci duobus, vel tribus ex dignioribus comitatus ei per milliare occurrat, in ingressu Ecclesię asperso-

rium

Digitized by Google

rium porrigat, ipſeque, & ſocij genuflexi ab illo aſpergantur; Conuentum ingredientem fratres omnes familiæ excipiant, & genuflexi reuerenter eius manum oſculentur.

At Prouincialis Miniſter cum ad viſitationem Monaſterij acceſſerit, quandoquidem nullo vſu receptum eſt, vt ſolemni hoc ritu excipiatur, quo Generalis recipi ſolet: id in ipſius receptione tantummodo ſeruetur, quod antiquo more apud nos ſeruatum eſt. Videlicet, vt cum primùm proximus ipſius aduentus fratribus innotuerit: Guardianus, aut loci ſuperior, altero ſeniore Domus ſibi ſocio adhibito, eidem vnius milliarij, vel ſexqui milliarij ſpatio obuiam eat; Domum ingredientem in ipſo veſtibulo vniuerſi fratres cum Aſperſorio genuflexi excipiant. Guardianus genuflectens cum oſculis Aſperſorium eidem porrigat, cunctique ab eo aſpergantur, atque ipſius manus genuflexi oſculentur. Poſt hęc vniuerſa charitatis, ac hoſpitalitatis officia, quę ipſi, velut totius Prouincię Patri, ac Rectori exhiberi debent, præſtentur.

DE OFFICIO GENERALIS, AC Prouincialis Miniſtri in actu viſitationis.

CAP. II.

CVm Diuino iure ſancitum ſit, vt qui Paſtor Animarum eſt inſtitutus, vniuerſa Paſtoralis ſolicitudinis officia, ac præſertim viſitationis ijs, qui ſuę fidei concrediti ſunt, impendat. Vt poſt diuinarum ſcripturarum oracula, [b] ſacrum Tridentinum Concilium grauiter, ac diſertè mandat; quod ipſe quoque B.P.N. Franciſcus non obſcurè in Regula confirmat: cum ait: *Fra-*

[a] Ezech. 34 5. Pet. 5.

[b] Concil. Trid. Decret. de Reform. cap. 3.

Digitized by Google

tres, qui sunt cęterorum serui, ac Ministri suos fratres visitent, & admoneant &c. Idcirco tam Prouincialis, quam Generalis Ministri munus, illud potissimũ agnoscitur, vt quisque fratres suę curę demandatos visitet: Generalis quidem Minister semel in suo sexennio vniuersas Ordinis Prouincias; Prouincialis verò bis in anno suę duntaxat Prouincię fratres, vt nostris Constitutionibus indictum est, visitare debet: vt si quę in ijs vel corrigenda, vel pręscribenda sunt, opportunè corrigãt, vel pręscribant.

Porrò visitationem ipsam vterque non perfunctoriè, aut superficialiter, sed accuratè, ac diligenter peragere debet: ne illud Propheticum iure illis exprobrari valeat.

a Ezech. 34 a *Quod infirmum fuit, non consolidastis: & quod ęgrotum non sanastis, quod confractum est, non alligastis; & quod abiectum est, non reduxistis, & quod perierat, non quęsistis.*

Propterea tam Generalis, quam Prouincialis Minister cum primùm ad visitationem accedunt, sermonem in primis ad fratres habeant, in quo visitationem futuram prænuntient, ipsius vtilitatem, necessitatem, commoda aperiant; quodue superiorum, quod subditorum in visitatione munus sit, ac officium grauiter doceant: denique moneant omnes ex pręcepto teneri, vt quę aduersus communia vota, Regulę puritatem, ac regularem obseruantiam, vel in Prouincia, vel in Monasterio passim irrepere nouerint: quęcunque etiam circa singulares Personas, siue paternè, siue iudicialiter corrigenda esse iudicauerint, ad ipsos, omni timore postposito, deferant: & sicubi id Generali, vel Prouinciali visum fuerit, b formale pręceptum sanctę Obedientię adiungant: vt eò facilius, ac celerius vitia, & excessus, si qui sunt expurgentur, & perfectus Prouincię status incolumis seruetur.

b Fund. triũ Ord. p. 3. fol. 41.

Cęte-

Digitized by Google

Cæterum quę in viſitatione, à Generali, vel Prouinciali Miniſtro pręſtanda ſunt, in tres potiſſimùm rerum Claſſes diſtinguntur. Prima Claſſis ea complectitur, quę ad rerum diuinarum viſitationem ſpectant. Secunda, quę ad Prouincię, vel Conuentus ſtatum pertinent. Tertia, quę ſingulares fratrum perſonas attingunt.

A prima igitur rerum Claſſe exordientes: Generalis, vel Prouincialis Miniſter, [a] Eccleſiam in primis, & omnes illius partes diligenter aſpiciant: an eo cultu, ac mundicia eniteant, quę Dei domum decet; ſi in ea reparandum, aut conſtruendum aliquid fuerit, decernant.

[a] Act. Eccl. Med. p. 1. fol. 23.

[b] Secundo tabernaculum Sanctiſſimi Sacramenti, Pixidem, atque ipſam Sacratiſſimam Euchariſtiam, qua Religione, ac decentia in tabernaculo aſſeruetur, accuratius luſtrent: num ea recens ſit, num octauo quoque die mutetur: num quinque, vel ſex ſaltem particulæ conſecratę in Pixide ſeruentur; num Pixis panno ſerico ſit tecta, num vndique obfirmetur: num ſub Pixide Corporale, vel Palla ſubſternatur: num tabernaculum intus ſerico panno ſit circum veſtitum, num in tabernaculo aliud pręter Sacramentum aſſeruetur; num tabernaculi fores ſemper clauſę teneantur. Cuſtodiam denique conſiderent, num in ea decenter Sanctiſſima Euchariſtia exponatur.

[b] Pont. Rom. Cōſt. cōg. Caſs. p. 8. c. 2.

Altare denique inſpiciant, num ſit conſecratum, nū Ara integra ſit, num tribus mappis Altare ſit contectum perpendant, quo nitore Crux, Candelabra, candelę, linteamina, lampas, cereoſtata, atque alia Altaris ornamēta fulgeant; alia quoque Altaria ſacellorum, vbi plura ſunt, viſitent, ac tandem de omnibus diligenter inquirant, quę ad huius Sanctiſſimi Sacramenti adminiſtrationem

Digitized by Google

tionem spectant; num in his debita reuerentia, rubricarum præscriptum, ac status nostri simplicitas seruentur.

Tertio videant an sanctum Oleum Infirmorum decenti loco, ac vasculo seruetur; num eo anno sit renouatum; num sit capsula lignea inclusum. Reliquiæ quoque Sanctorum, si quæ sunt, an tuto loco, ornatè, decenterque conditæ asseruentur.

Quarto Sacristiam visitent, perspiciantque Calices, indumenta Sacerdotalia, Bursas, Corporalia, Pallas, Purificatoria, Sudariola, atque alia Altaris linteamimina, & Sacristiæ suppellectilem, num decenter sub claue seruentur; num honestum numerum, aut pretiositatem excedant: aut Ecclesia eorum penuria laboret, & vbi quicquam corrigendum, aut supplendum fuerit, emendent, aut suppleant; iuxta ea, quæ de Ecclesiæ suppellectili in Tertio libro explicata sunt, quapropter Sacrista rerum omnium, quæ Sacristiæ, vel Altaris vsui deseruiunt, notulam Generali, aut Prouinciali Ministro in visitatione exhibeat.

Quinto diligentissimè inquirant, ac prospectent, an Missæ grauiter, ac morosè celebrentur: si frequentius, quàm deceat Sanctissima Eucharistia ob quamcunque leuem causam in Altari exponatur: & cum exponitur, si decens ornatus, ac luminum apparatus adhibeatur, si in ea exponenda, ac recondenda debita solemnitas obseruetur; si bis in hebdomada, vt Religionis mos est, generalis Fratrum communio fiat, & si quam in his oscitãtiã, aut abusum animaduerterint, maturè præscindãt.

Sexto animaduertant, an Diuinum officium iuxta Romanas rubricas celebretur, num debitis horis, ac tẽporibus, tardè, grauiter, ac suis interiectis spatijs recitetur. Mentalis Orationis horæ num debita obseruatione

ab

Digitized by Google

ab omnibus cuſtodiantur. Atque hæc quidem, quod ad res diuinas attinet, à Generali, vel Prouinciali Miniſtro in Viſitatione potiſſimùm præſtari debent, & ſerpentia in his interdum vitia obtruncari.

Porrò ad ſecundam rerum viſitandarum Claſſem pertinent, Monaſterij partes, ac officinæ, quæ à Generali, vel Prouinciali Miniſtro ſunt viſitandæ: quamobrem conſiderare debent, num Cónuentus magna, ac ſuperflua ædificia præſeferat, num veſtimentorum ruditas, ac vilitas ſeruetur; num in ſacra ſuppellectili, libris, atque alijs Domus vtenſilibus curioſitas, aut nimia pretioſitas, aut ſuperfluitas exuberet: num importuna ſit ſecularium, maximè mulierum ad Conuentum frequentia: num inutiles Fratrum per Vrbem euagationes, ac diſcurſus; num contemnatur Clauſura; num frequentes cum ſecularibus, vel in Conuentu, vel extra Conuentum in ſecularium domibus comeſſationes fiant, num recollectioni mentis, & quotidianæ orationi vacetur, num cæremoniæ Ordinis, ac præſertim, ſilentium, negligantur: num fratres potiſſimùm iuuenes, & Clerici Pœnitentijs exerceantur, inſtruantur, ac ſub regulari diſciplina contineantur.

Perpendant diligenter ſtatum Conuentus, vel Prouinciæ, tam in capite, quã in membris; viſitent loca infirmorum, ac diligenter inquirant, qua Charitate, ac benignitate infirmi tractentur; qua etiam ſuauitate, ac beneuolentia aduenæ fratres recipiantur, eisque Charitatis obſequia exhibeantur; Pauperumq; ad nos aduentantiũ hoſpitiũ viſitent, & quo hoſpitalitatis affectu recipiantur, ſolicitè inueſtigent. Refectorium, Pœnaria, loca lignis, aut Fratrum veſtibus aſſeruandis deputata, Hortum, Coquinam, ac reliquas, ſi quæ ſuperſunt, officinas perluſtrent, vt ſi quid exorbitans, aut ſuper-

Digitized by Google

ſuperfluum in his offenderint, confeſtim amouendum curent. Ad Cellas quoque ſingulorum fratrum accedant, & quę in ipſorum vſum cedunt, conſiderent, num ipſis neceſſaria ſint, quę verò vana, ſuperflua, curioſa, eſculenta, & poculenta, quęcunque tandem ſimplicitati noſtrę minus conſentanea ſunt, amoueri iubeant.

In poſtrema tandem Claſſe ea continentur, quę ipſos fratres ſingillatim attingunt. In ea porrò viſitatione prudenter Prælati ſe gerere debent, ac meminiſſe, a Viſitationem ad ſalutem eorum, qui viſitandi ſunt, totam inſtitutam eſſe: idcircò illis in viſitandis fratribus nihil, pręter eorum ſalutem, ac profectum, in animo verſari opus eſt, quapropter vniuerſos illius familię fratres in ſchedula notatos habeant, quos ſingillatim, ac ſucceſiuè, ad ſe accedere iubeant, & ſingulos de ſingulis fratribus, de ſuperiore Domus; & ſi Generalis fuerit, de Prouinciali Miniſtro, & ſtatu Prouinciæ in communi, & in particulari, interrogent: inquirant de Sacriſta, de Ianitore, de Eleemoſynario, de Pręfecto coquinę, de Hortulano, de Pręfecto Aduenarum, de Pręfecto veſtiū, ac de alijs domus Officialibus, num rectè iniunctum ſibi munus obeant, ac pręſertim Magiſtri Nouitiorum, vbi Nouitiorum locus eſt; rationem habeant, an ad id munus idoneus ſit, num grauis, ac morigeratus, num virtutum ſtudioſiſſimus, atque optimè in ſpiritualibus rebus ſit exercitatus, qui ſibi, ac Nouitijs prodeſſe valeat. Si Nouitios in his, quę ad Regulam, ac vitę, morumque perfectionem ſpectant, diligenter inſtituat; ſi circa Nouitios ſit ſollicitus, illosque ad orationem, ſpiritualia exercitia, cæremonias in Religione conſuetas, ad compoſitionem tam interioris, quàm exterioris hominis promoueat.

a Act. Eccl. Med. p. 1. fol. 23.

Lectorum quoque, ac ſtudentium, vbi loca ſtudiorū fue-

Digitized by Google

fuerint, inquisitionem haud leuiter prosequantur: in his solicitè quęrant, si modestè, si deuotè, si temperatè in studijs, ac disputationibus se gerant: maximè verò si in moribus, ac virtutibus: præsertim in humilitate, ac Charitate se se exerceant, atque in regulari disciplina proficiant.

Sacerdotes inquirant, si tardè ad diuina officia conueniant, si indeuotè, ac festinanter Missas celebrent, si crebra negotia in Vrbe gerant, si frequenter cum secularibus præter rem sermones misceant, si ab Oratione se subtrahant.

Clericos etiam, si superbi, si inobedientes, si vaniloqui, si pigri, ac alijs vitijs irretiti exstiterint: Laicos quoque fratres, si otiosè viuant, aut tempus inutiliter conterant: si iniuncta sibi officia humiliter peragant, si humiles, si Sacerdotibus reuerentes, si obsequiosi sint, atque alia huiusmodi pro officio diligenter inquirere debent, vt si quę vitiorum monstra in Religione, aut Prouincia erumpunt, protinus gladio visitationis obtruncentur, ac regularis obseruantię, ac omnium virtutum studium vbique instauretur.

Cuncta itaque tam leuia, quàm grauia crimina scripto excipiant, & quę citra infamiam sunt, paternè, ac suauiter salutaribus monitis, ac pœnis corrigant, ne quę velut leuia negliguntur, paulatim in grauiora excrescant. Si quę verò grauiora, vel grauissima crimina (quod absit) ad ipsos per denuntiationem, aut accusationem delata fuerint, aut præcedente infamia ex officio, vel generaliter, vel specialiter de aliquo delicto illis inquirendum fuerit: in his iudicialiter, ac seruata iuris forma, procedant. Caueant tamen, ne ante Euangelicam correptionem (vbi ea necessaria fuerit) aut semiplenam probationem, vel indicia grauia, æquipollenti

lentia ſemiplenę probationi aduerſus vllum procedāt: quin etiam ita denuntiare volentes paternè admoneāt, ne aut prętęr Euangelicæ legis ordinem, aut pręceptū iniuſtè alterius famam lædi contingat.

Si verò de aliquo crimine, fama præcedente, eos inquirere contigerit, animaduertant, ne de iam correctis exceſſibus rursùm inquiſitionem inſtituant; aut ſemel correctos iterum puniant: niſi fortè crimina vel malè correcta, vel neglecta fuiſſent; neque enim fas eſt quēquam de eodem crimine bis puniri.

Porrò hac ſingulari fratrum viſitatione peracta, Generalis, aut Prouincialis Miniſter fratres ad Refectoriū conuocet: atque eo tempore nullus omninò ſeculariū in domo eſſe permittatur, ac grauiſſimo ſermone de regulari obſeruantia, ac diſciplina, iuxta rerum exigentiā, pręmiſſo, omnes genuflectere iubeat, & prius Guardiani, vel Superioris domus, eo abſente, deindè ſingulorum accuſationes audiat ſingillatim; tum ſingulorū in particulari, deindè Conuentus in communi exceſſus, aut negligentias exaggeret, ac paternis correptionibus, & pœnitentijs, etiam quę leuiora ſunt corrigat, vt grauioribus aditus pręcludatur: porrò Guardianorum, aut aliorum ſuperiorum regularem diſciplinam negligentium, exceſſus ſeueriùs puniat. Quę verò in iudicium delata ſunt, ſi in ea Viſitatione minimè definiri potuerunt, omnis adhibeatur diligentia, vt primo quoque tempore expediantur; neque paſſim ad Capitulum definienda referantur.

Fratres verò huiuſmodi admonitiones, & correctiones humiliter, ac patienter ferant, ex hisque morum emendationem, vel meliorem vitę frugem ſibi comparare ſtudeant.

Exceſſus verò Prouincialis Miniſtri, ſi qui ſunt, Generalis

Digitized by Google

neralis in Prouinciali Capitulo corrigendos deferat. Interea delinquentes fratres verbis suauibus correctos, vterque & Generalis, & Prouincialis Minister ad emendationem excitent, admoneant, hortentur, ne animum despondeant, aut pusillo animo fiant. Reliquos quoq; fratres ad Regulæ, ac regularis disciplinæ obseruãtiam, ad morum compositionem, ad Charitatem, ad silentiũ, ad cordis solitudinem, ad orationis frequentiam, cæteraque cœlestium virtutum studia, quibus Euangelicæ vitæ perfectio acquiritur, ardentibus verborum stimulis prouocent. *a* Postremò dicto à Fratribus, *Confiteor Deo* &c. eos iuxta Ordinis priuilegia generaliter absoluant.

a Cõpend. priuil in resol. mat. Absol. quo ad fratres fol. 88.

DE OFFICIO CVSTODIS.

CAP. III.

CVstodum nomen, & Auctoritas à Regula potissimùm ortum habet, ex qua tria præsertim munera sunt adepti. *b* Primùm vt per Amicos spirituales, cum opus est, infirmorum fratrum necessitatibus subueniant. *c* Secundum quod eorundem Amicorum spiritualium adminiculo curent, vt indumenta fratribus suppeditentur. *d* Tertium quod cum Prouinciali ministro ad Generale Capitulum pro Generalis Ministri electione conueniant, vt ex quarto, & octauo Regulæ capite perspicuum est. Quartum verò munus ijs additum fuit, vt scilicet ingruente aliqua necessitate, vbi Prouincialis Ministri præsentia haberi non potest, quilibet respectiuè in sua Custodia, eidẽ prouidere queat.

b Reg. 3. Fran. c. 4.

c Reg. c. 4.

d Reg. c. 8.

Veruntamen nonnihil inter Custodes distinguendum est: Quidam enim Custodes in Capitulo Prouinciali omnium Vocalium suffragijs canonicè eliguntur; atque

Digitized by Google

atque hi sunt, qui simul cum Prouinciali Ministro ad electionem Generalis Ministri conuenire debent: quorum numerus à Cõstitutionibus nostræ Religionis præscribitur. Alij verò Custodes sunt nullo Vocalium suffragio electi, sed sola Prouincialis Ministri, ac Definitorum deputatione constituti, atque in locis Custodialibus collocati.

Inter hos id tantum discriminis intercedit, quod priores à Capitulo electi ius ad Generalis Ministri electionem sibi comparant: qui tamen post Generalis Ministri electionem, Custodum munus in suis Custodijs duntaxat, aliorum instar, exercent. Posteriores verò cum extra tempus Generalis Capituli instituantur, iure illo non indigent, quo fit, vt nec publico vocalium suffragio eligi debeant: sed ex Prouincialis Ministri, & Definitorum cõsensu eos Custodes nominari sufficiat.

Priorum igitur, qui totius Capituli suffragijs eliguntur, commune munus est, Generalem Ministrum eligere: Actionibus capitularibus interesse: canonica suffragia ferre: Res Prouinciæ simul cum Prouinciali Ministro apud Generalem Ministrum, & Definitores Capituli Generalis pertractare: atque alia id genus præstare, quæ ad suæ Prouinciæ vtilitatem, ac commodum spectant. Primi verò, qui Custos Custodum appellatur, proprium, ac singulare est, Prouincialis Ministri, si qui sunt, excessus ad Generale Capitulum corrigendas deferre.

Cæterum in his, quę ad Custodum munus in proprijs Custodijs spectant, nonnihil vsu, ac consuetudine immutatum est: Id enim plerunque exterum Religionis regimen exposcit, vt iuxta temporum rationem, ac rerum exigentiam, quædam ministrationum genera, vel minuantur, vel augeantur, vel etiam mutentur.

Idcircò

Digitized by Google

Idcircò etsi Custodes ex vi Regulæ duplici hoc munere fungerentur, primo vt infirmorum suæ ipsorum Custodiæ sollicitam curam gererent, altero vt simul cum Prouinciali Ministro de vestitu egentibus fratribus prouiderent. [a] Hæc tamen officia ex nostrarum Constitutionum præscripto, iam Custodum propria non sunt, sed alijs quoque communia. Prius enim quibuscunque Guardianis, ac Domorum superioribus à Constitutionibus nostris iniungitur, vt scilicet ægrotorum suæ familiæ curam gerant: posteriùs ad solos Prouinciales Ministros meritò contrahitur, quibus tantum id curæ competere debet, vt vel per amicos spirituales, vel per fratrum lanificium, necessaria fratribus vestimenta administrent. [a] Cõst. c. 6.

At quamquàm hæc ita sint, haud tamen Custodibus omnis prorsus circa hæc munera potestas sublata est; nam si Guardiani, qui in vnaquaque Custodia sunt, erga Infirmorum curam negligenter se gerant, absente Prouinciali Ministro, proprij Custodis munus erit satagere, vt ægrotorum necessitati diligenter, ac opportunè prouideatur. Quod verò ad fratrum indumenta pertinet, mos est in Religione receptus, vt qui vestimentis indigent, ad Prouincialem Ministrum confugiant, propriasque illi necessitates aperiant; Prouincialis verò dispertito per Custodias panno, iuxta fratrum cuiusque Custodiæ necessitatem, quam in schedula descriptam habet, Custodibus panni dispensationem committat.

Verùm præter hæc [a] proprium Custodis munus gerunt, illis à Constitutionibus iniunctum; nimirum vt si vrgens aliqua in Custodia necessitas emerserit, cui Prouincialis Minister præsto esse non possit, ij custodiali iure, prout ipsis expedire videbitur, eidem prouideant. [a] Cõst. c. 8.

Digitized by Google

Cæterum Custodes, si (vt plerumque accidit) à Prælatura vacent, suis Guardianis, imò, & Vicarijs subiecti esse debent: Custodis enim nomen non Prælationis, sed officij, ac dignitatis est: quo fit, vt si is nulla Prælatione cohonestatus fuerit, proprio Prælato ex vi, & dispositione Regulæ subesse debeat, vt inferiùs suo loco vberiùs explicabimus.

DE OFFICIO GVARDIANI, ET VICARII.

CAP. IV.

GVardiani, quibus in Capitulo, vel extra Capitulum Monasterij alicuius regimen commissum est, [a] cum verè Prælati sint, & Animarum Pastores, vt ex Pontificum declarationibus exploratum est; id in primis curare debent, vt totius Regularis Disciplinæ formam in se ipsis præseferant; Cœlestium virtutum splendore cęteris pręluceant, atque optimis vitę exemplis commissos sibi subditos pascant; nam vt [b] Toletanum Concilium monet: *Quantum quis præcelsi culminis obtinet locum, tantum necesse est, præcedat gratia meritorum, vt in eo, quod præsidet singulis, singulariter ornetur eminentia sanctitatis.*

[a] Clem. IV Sixtus IV. Compend. priuileg. v Guardianus.

[b] Concil. Tolet. 11. can. 2.

Quā propter ij primùm se irreprehensibiles, ac totius regularis obseruantię exemplaria re ipsa pręstent; tum subditos verbo, & exēplo ad Euangelicę vitę perfectionē, ac summarū virtutum studia suauiter compellant.

Primum, ac pręcipuum ipsorum munus est, res diuinas solicitè curare: nimirum vt diuina officia iuxta Romani Breuiarij rubricas statis horis noctù, diùque debita cum deuotione, ac grauitate persoluantur: Missę tam priuatæ, quàm solemnes ab omnibus deuotè

Digitized by Google

uotè reuerenter, ac morosè celebrentur: sacramenta eo, quo decet, cultu, ac religione administrentur: Ecclesia, Altaria, sacra suppellex, atque ea omnia, quæ Diuinis Ministerijs sunt deputata, summo nitore, ac mũditia fulgeant; Idcircò sępè Altaria, Sacristiam, sacram Eucharistiam, quę in tabernaculo asseruatur, oleum Infirmorum visitare debent, vt qua reuerentia, ac munditia res diuinę colantur, non ignorent.

Alterum quoque eorum munus est vt omni diligentia, ac solicitudine studeant, vt Regula, tam quo ad illa, quę substantialia sunt, quàm quo ad ea, quæ ad maiorem ipsius puritatem, ac perfectiorem obseruantiam conferunt; antiquæ quoque Religionis, tum Generalis Capituli Constitutiones districtè ab omnibus obseruentur: ne ipsorum negligentia, aut incuria in Monasterio circa illa inobseruantia, aut pernicioſa relaxatio sensim irrepat.

Idcircò sępè Cellas fratrum prępertim Iuuenum visitent, & si quę in his vana, curiosa, inutilia, superflua tàm in libris, quàm in Cellarum suppellectili, aut alijs rebus inuenerint, amoueant: videant etiam, quomodo diù, noctùque in Cellis se gerant, si honestè, si religiosè, si deuotè: vel contrà otiosè, aut vanè, ac inutiliter se occupent, eosque admoneant, ac si opus est corrigant. a Monument. Ord.

Visitent quoquè alias Conuentus officinas, vt si in his aliquid excessiuum, superuacaneum, aut corrigendum fuerit, corrigant: sin quicquam prouidendum fuerit, prouideant.

Tertium quoque eorum Munus est, sedulò inuigilare, vt regularis disciplina, tàm in Ecclesia, in Choro, in Dormitorio, in Horto, in Mensa, in reliquis Monasterij partibus, ac domesticis actionibus, quam in interiore,

riore,exterioreque morum compoſitione,religioſisque cæremonijs apud nos antiquo vſu receptis,ab omnibus cuſtodiatur : ne religioſa Diſciplina ſublata, cum ea & Religionis nomen intereat. Verum in id Guardianus totus incumbere debet,vt vniuerſos ſuæ familię fratres ad præſtantiſſimum regularis obſeruantiæ ſtudium trãsferat, & ad perfectioris, veręque ſpiritualis vitæ faſtigia conſcendenda prouocet.

Quamobrem tàm in Refectorio,quàm in priuatis colloquijs ſępè de Regula, de perfectiore illius obſeruantia, de Conſtitutionibus, de Regulari diſciplina, de cuiuſque ad Religionem vocatione, de neceſſaria votorũ obſeruantia,de morum compoſitione,de oratione, de ſilentio,de humilitate,de ſui ipſius,ac rerum omniũ contemptu, ac reliquis virtutum ornamentis Homini Dei neceſſarijs,ſermones inſtituat.

Poſtremò tandem Guardianorum munus, & auctoritas eſt, commiſſam ſibi familiam, tanquam proprios, & ordinarios Paſtores regere; grauitatem ſuperiore dignam præſeferre; vbique eminentiorem locum tenere. Idcircò Guardianus in Choro, vt dictum eſt in lib.4.cap.12.primam ſedem, quę eſt in dextera parte in medio Chori, velut nobiliorem, tenebit : In Refectorio verò tanquam Monaſterij caput, in capite Menſæ, quę Patrum, aut Aduenarum nuncupatur,ſolus ſedebit,vt omnium ſubditorum actus contemplari queat: neque eas ſedes, niſi ad Maioris ſuperioris aduentum,mutabit; quo tempore locum nobiliorem maiori ſuperiori cedens, in Choro primam ſedem, quæ eſt ad lęuam in medio Choro,& in Refectorio,primam, quę eſt in capite menſę fratrum, quamdiù ibi Maior ſuperior fuerit,ſibi vendicabit.

Caueant tamen Guardiani, ne ſubditis ſuis, ſuperbè,

Digitized by Google

bè, aut austerè dominentur; sed humiliter Christi exemplo inter eos præsideant, curentque, vt Domini in ipsis sententia obtineat. [a] *Qui maior est inter vos, fiat sicut minor, & qui præcessor est, sicut Ministrator*: neuè subditos prçter necessitatem onerent, vt [b] nostris constitutionibus illis iniunctum est; soli tamen, cum opus est, in Refectorio loquantur, signa edant, Fratrum sese accusantium culpas audiant, paternèque, ac suauiter corrigant, vt posthac fusiùs explicabimus. [a] Luc. 22. [b] Const. c.

Quod ad Vicarios spectat: Hi in quadruplici genere versantur. Quidam enim sunt Vicarij locorum, quæ necdum in Guardianatus dignitatem sunt euecta, qui vsitato nomine, Præsidentes appellantur; Alij, qui Guardiano emortuo, vel diutiùs à Conuentu absente, à Prouinciali Ministro instituuntur: sunt & alij, qui à Prouinciali, & Definitoribus in locis maioribus in Capitulo constituuntur. Alij denique sunt, qui à Guardianis communiter nominantur, vt ipsis absentibus, eorum vices gerant.

Primi generis Vicarij, quamquam Guardiani non sint, [c] Guardianorum tamen iure, & auctoritate potiuntur, ita vt possint subditorum culpas audire, excessus corrigere, alium sibi Vicarium subrogare, atque alia efficere, quæ Guardiani in suis Conuentibus præstare solent, eo excepto, quod discretũ localem ipsi cum suis Fratribus eligere non valent, sed tempore electionis discreti ad propinquiorem Conuẽtum iuxta Prouincialis Ministri præscriptum, cum suis Fratribus se conferre debent, in eoque suffragia pro discreti localis electione ferre; vt antiqua Religionis consuetudine apud nos receptum est. [c] Manual. Prælat. t. 4. q. 20. art. 1.

Vicarij, qui propter obitum, aut longam Guardianorum absentiam à Prouinciali Ministro in ipsorum

Digitized by Google

Conuentibus sufficiuntur, eandem in vtroque foro potestatem sibi vendicant, quam ipsi Guardiani à Iure obtinent: quo fit, vt omnia Guardianorum munera, perindè ac si Guardiani essent obire valeant: atque huiusmodi Vicariorum auctoritas [a] ex concessione Iulij II. à Guardianis absentibus limitari non potest, vt notat Miranda, cum ea à Prouinciali potiùs, quàm à Guardiano pendeat.

[a] Manual. Præl. ibid.

Vicarij, qui in maioribus Domibus interdum in Capitulo solent institui, in eo duntaxat distinguntur ab ijs, qui à Guardianis constituuntur, quòd hi à Guardiano absque peculiari Prouincialis Ministri facultate, mutari, aut amoueri non possunt: etsi Guardianum emori contigerit, hi ex præsumpta voluntate Prouincialis, ac Definitorum, officio Vicarij fungi possunt, donec secus à Prouinciali Ministro prouisum fuerit.

[b] Cõpend. Priuil Sorbo V. Vicarij.

[b] Vicarij denique à Guardianis constituti, quamquã his præsentibus nullo in fratres prælationis iure fruantur: attamen cum Guardianis absentibus, eorum vices gerant, nulli dubium est, quin ij veri superiores existãt, ijsque reliqui omnes familiæ Fratres velut delegatis Pastoribus parere debeant. Attamen cum eorum auctoritas tota à Guardianorum auctoritate pendeat; si quæ ab illis præsentibus constituta sunt, ea ipsi, Guardianis absentibus, pro libito mutare non possunt, nisi aliud rerum, ac temporum ratio postulauerit: ac præterea cum nec Prælati sint, nec ordinarij, sed Delegati tantum superioris ius habeant, Vicarij tantùm, non Guardiani tàm in Choro, quàm in Refectorio, absente Guardiano, loco contenti esse debent. [a] Denique Guardiano defuncto cessat eorum auctoritas; vt docent Glossa in Clem. fin. de Procur. Verbo, *Cõtestata*, [b] & Panorm. ibidem, & in capite, *Exstirpanda*. §. *Quod verò* de Preb.

[a] Manual. Præl. to. 2. q. 20. art. 1.

[b] Panorm.

&

Digitized by Google

& dignit. [c] & Nauarr. in cap. *Nullam* num. 12. verſ. *Ad prius autem*. Idcircò ſtatim per litteras Prouincialem Miniſtrum de morte Guardiani certiorem reddere debent. Interea in Conuentu tantum, vt Maior Frater præſideat, ne tumultus fiat, & quouſque Prouincialis reſpondeat, ab omni veræ Iurisdictionis actu abſtineat, cum nulla neque in foro conſcientiæ, neque in foro exteriori auctoritate fulciatur. [c] Nauarr.

Cęterum cum Guardianorum munus, & auctoritas niſi ad alterius Guardiani creationem in proprio cuiuſque Conuentu expiret. Vicarijs ſiuè à Guardiano, ſiuè à Prouinciali Miniſtro conſtitutis cauendum eſt, ne poſt Guardianorum ad Prouinciale Capitulum profectionem, propriam, atque ab illius loci Guardiano independentem auctoritatem ſibi in eo Conuentu acquiſitam putent: nunquam enim Guardiani in proprio Conuentu auctoritas expirat, donec alter in ipſius locum ſuffectus fuerit: quo fit, vt eo, ante alterius Guardiani electionem, ad Conuentum ſuum redeunte, Vicarij auctoritas ceſſet. Ita etiam nouo Prouinciali electo, Vicariorum, qui à Priore Miniſtro varijs in Domibus conſtituti fuerant, auctoritas non labitur, donec expleto Capitulo, Guardiani ad ſuos Conuentus appulerint, vel abſentes, proprios ad ſua loca Vicarios deſtinauerint; nam integra eorum authoritas manet ex beneficio legis, & vniuerſali conſuetudine in ordine introducta, ne aliquis Conuentus vnquam reperiatur ſine Prælato. Mirand. t. 2. q. 20. art. 1. cõcl. 3.

Digitized by Google

CAP. V.

[a] Const. c. 2 GRauissimè nostris Constitutionibus sancitum est: vt qui in Magistri Nouitiorum munere Deo, ac Religioni famulari debent, à Capitulo eligantur, Prudentes, Maturi, & in via Dei illuminati, qui Nouitios non solum congruas, ac legitimas Religionis Ceremonias; sed potissimùm spirituales profectus, quibus ad perfectam Christi Domini imitationem conscenditur, solicitè doceant, verbisque, ac optimis vitæ exemplis instruant, quænam veri, ac perfecti Fratris Minoris vita esse debeat.

Etenim tanti ponderis, ac momenti eorum munus esse exploratum est, vt ex ipsorum in Nouitijs educandis diligentia, aut socordia maxima, vel bonorum, vel malorum seges quotidiè in Religione oriri videatur; quapropter eorum partes, & officia paulò diligentiùs explicanda sunt, vt ijs perspectis, maturiùs ij tam arduũ opus suscipiant; susceptum verò maiori studio, ac solicitudine impleant.

Munus itaque Magistri Nouitiorum in tres partes distinguitur. Prima ipsius Magistri personam, ac conditiones complectitur. Secunda ad Nouitiorum institutionem. Tertia ad eorundem probationem pertinet.

[a] S. Bened. in Reg. c. 21. [b] Basil. fermo de abdicat. rerũ. [a] Maximam Prouinciarum superiores in Magistri Nouitiorum delectu curam adhibere debent, vt non nisi moribus, atque ætate maturus eligatur, [b] qui in Regulæ obseruantia, ac omni virtutum disciplina ita probatus sit; eoque litteratura, ac præsertim diuinarum litterarum scientia polleat, vt ad Nouitios in vtroque homi-

Digitized by Google

homine instituendos, atque in via Dei erudiendos, aptus esse possit.

[c] Cum enim (teste Boetio) nulla res Discipulo ita perniciosa sit, sicut vita Magistri contumeliosa, talesque sæpenumerò Discipuli efficiantur, quales Magistri moribus esse solent, in id maximè animum intendere debent, ac summa vigilantia prospicere, vt qui Nouitiorum Magisterio funguntur, tales sint, vt eos Tyrones, velut totius Religiosæ obseruantiæ specula contemplantes, in his nihil præter veræ, ac solidę virtutis exemplum imitandum habeant. [c] Boet. de disc. schol.

Curet itaque Magister, operum luce, cum primis suis Nouitijs præire, & quæ verbo docet, factis præstare, vt instar Cœlestis Magistri, illud ipsis occinere queat. *Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis*: atque adeo illud Pauli dictum sibi altè animò defixum habeat, quo aiebat. [a] *Non enim audeo aliquid loqui eorum, quæ per me non efficit Christus*; vt scpè eò, se ipsum exterreat, & ad meliores virtutum profectus prouocet. [a] Rom. 15.

In orationis studio, in Ieiunijs, in Laboribus, atque alijs asperitatibus prior esse studeat, vt Nouitios ad discretam Carnis macerationem, non tàm verbo, quàm exemplo efficaciter hortari valeat. Denique in omnibus, iuxta [b] Apostoli Consilium, se ipsum præbeat exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in grauitate. [b] Ad Titum. 2.

Caueat præterea, ne coram Nouitijs quicquam leue, aut scurrile gestu, vel sermone proferat, vel aliud præstet, quo se aliquo modo reprehensibilem prodat, turpe enim est, si, qui aliorum mores corrigendos suscepit, ipse morum correptione indigeat. Omni enim vitio carere debet, qui in alterum paratus est dicere: nam quemad

modum

Digitized by Google

modum syderá, si vel modicum aberrent, in omnium perniciem cedit; ita Pedagogi vitia, licet parua, magno Tyrunculis detrimento fiunt, dum eos ad eundem lapsum alliciunt.

Nimiæ quoque familiaritatis signa nemini Nouitiorum ostendat, qualia sunt, faciem, vel aures alicuius contrectare, verbis colludere, cum eo iocari, & similia: sed in aspectu, in verbis, ac totius corporis compositione semper Magisterij grauitatem cum affabilitate, & morum honestate coniunctam seruet.

At non satis est, Magistrum Nouitiorum palàm nullo vitio se labefactatum ostendere; tàm enim eximium, ac præstantissimum munus est, quod exercet, vt plurimę in eo virtutes requirantur, quibus præditum esse oportet, in his præcipuè elucere debet humilitas, quam, siuè iubeat, siuè arguat, siuè corrigat, siuè instruat, siuè alio modo cum ijs conuersetur, semper velut facem, ita prę-seferre debet, vt nunquam in his verbo, factouè typhũ, aut superbiam ostentet.

Humilitatem quoque affabilitas, ac morum quędam suauitas comitari debet, quibus se Tyronibus amabilem reddat; multum enim interest, tum ad faciliorem Nouitiorum institutionem, tum ad virtutum profectus ipsis efficaciùs persuadendos, vt Magister, Nouitiorum sibi beneuolentiam conciliet. Siquidem ij libentiùs eorum correptiones audiant, ac monita capessant, quos diligunt, & à quibus se diligi sentiunt. [a] Quamobrem D. Basilius de Magistrorum delectu disserens. *Illis præficiatur Is* (ait) *qui tum ætate, tum vsu etiam rerum cæteris antecedat, cuiusque omnibus testata morum facilitas sit: quo videlicet tum paterna lenitate, tum prudenti etiam sermone errata corrigat adolescentulorum.*

[a] Basil. in Reg. fus. disp resp. 35.

Verùm cum humilitate, affabilitate, ac morum facili-

tate

tate grauitas quædam semper coniuncta sit, oportet quæ horum pondus esse solet: ne humilitas in deiectionem, affabilitas in leuitatem, ac inimia suauitas in conniuentiæ vitium degeneret.

His flagrans quædam Charitas comes accedat, qua erga nouitios Magister ita affectus esse debet: vt vniuersos tanquam filios carne à se genitos complectatur; atque adeò eorum bono, ac saluti ex Charitate inuigilet, vt ipse omnium tentationes sustineat, omnium tribulationibus communicet, omnium afflictionibus compatiatur, cum infirmis infirmetur, fleat cum flentibus, gaudeat cum gaudentibus; omnia denique omnibus fiat, vt omnes lucrifaciat.

Super hæc autem Magistri Nouitiorum Regularis ob seruantiæ zelum simul cum prudentia coniunctum in animo gerant. Zelum quidem, vt neque instituendorum, ac probandorum Nouitiorum sibi creditum munus segniter, & ignauiter prosequantur, neque eorum vitia occultent, quos Religioni ineptos esse sentiunt: ex quo tandem fiat, vt Religionis vinea inutilium huiusmodi, atque interdum pernicioforum palmitum commistione sterilis efficiatur, & quæ vuis suauissimis abundare debuit, nonnisi lambruscis luxuriet. Hinc grauiter admonet [a] Boetius: *Magister sit in sermone verax, in iudicando iustus, in consilio prouidus, in commisso fidelis.* [a] Boet. de disc. schol.

Prudentiam verò, qua Nouitiorum mores indagare, propensiones rimari, atque eorundem probationi ita insistere nouerint: vt quando indulgendum, quando corripiendum, quando hortandum, quando admonendum, quando leuiùs obiurgandum, quando seueriùs castigandum, quando dissimulandum sit, non ignorent, nec zeli excessus Nouitios perdat, quos prudentiæ, ac discretionis Regula incolumes seruare debet. Hæc obiter de Magistri conditionibus dicta sint. *D E*

Digitized by Google

DE NOVITIORVM INSTRVCTIONE.

CAP. VI.

QVod autem ad Nouitiorum instructionem pertinet; cum multa in Religioſę exercitationis paleſtra ſe offerant, quæ imperitus exequi minimè Poteſt: planè opus eſt, vt Magiſter ea ſcientia præditus ſit, qua & dubia, quę interdum Nouitijs accidunt ſoluere, & intimos conſcientiæ receſſus rimari, & ſcrupulorum Abyſſos reſerare, & claudere, & inter lepram, & lepram diſcernere queat. Præſertim verò diſertam Regulę, Declarationum Pontificalium, ac cęterarum germanarum Regulę explicationem; tum conſtitutionum notitiam, tam præſto habere debet, vt in his Tyrones ſuos certò, ac tutò erudire valeant.

Hac itaque ſcientia præditi Nouitiorum Magiſtri, omni ſtudio, ac diligentia in id potiſſimùm animum intendant, vt Nouitiorum mores, propenſionem, ac naturam penitus perſpectam habeant, quod vt faciliùs aſſequi valeant, omnes, pręſertim in ipſo Religionis ingreſſu confidentiæ fores aperiant, vt ij liberè, ac tutò vniuerſas ſuorum cordium cogitationes, atque intimos animi receſſus illis patefacere queant: id facilè aſſequentur, ſi Nouitiorum ſibi amorem, ac beneuolentiam conciliant. quapropter erga omnes, ac ſingulos æquali omninò affectu ferantur; eademque beneuolētię, & amoris ſigna abſque vlla omninò particularitatis macula, omnibus oſtendant; atque eodem modo curent, vt inter Nouitios purus tantum Charitatis affectus vigeat, à quo omnis tum ſuperflua, tum ſingularis familiaritas longè exulet, ſępè etiam eos diù, noctùque in Cella viſitare debent, vt qua ratione ibi ſe gerant, inſpiciant: de-

Digitized by Google

demum ab ijs, quomodo circa Passionum mortificationem, Corporis afflictiones, ac spiritualia exercitia proficiant addiscere studeant.

Doceant Nouitios, in quo potissimùm pura Regulę obseruantia, ac vera fratris Minoris perfectio sita sit: quęnam sint Regulę pręcepta, quę ęquipollentia, quę etiam pręceptorum vim habeant; idcircò curent, vt tempore Nouitiatus, vt nostris Constitutionibus pręscriptum est, cum his totam Regulam perfectè memorię commendent. Quotidiè vel post refectionem, vel in vespere per horam, spiritualem illis lectionem explanent; frequenter etiam de Regula, de interioris, ac exterioris hominis renouatione, de virtutibus illis sermones instituant, & cuiusque spirituales profectus perpendant.

Instruant eos coram Deo omni tempore ambulare, animum in Deum semper suspensum gerere: Dei spiritum super omnia desiderare, cordis, Corporis puritatem seruare: Altissimam Paupertatem, ac rerum penuriam expetere, veram sui ipsorum abiectionem optare, humilia, ac vilia opera libenter amplecti: arctum silentium custodire, solitudinem, & Cellam diligere: erga B. Virginem singularem deuotionis affectum in animo concipere, & ad omnis perfectionis apicem ardentiùs anhelare; quę vt faciliùs assequi possint, Nouitij toto ipsorum probationis tempore, vt nostris Constitutionibus cautum est, nulli litterarum studio vacent, neque ad ordines promoueantur, neque si Sacerdotes sunt, aliorum Confessiones audiant, sed proprię tantum reformationi studeant.

Instituant quoque, quomodo eos in exteriori homine benè compositos esse oportet; quomodo honestè conuersari, humiliter, ac simpliciter alijs parere, reueren-

Digitized by Google

uerentes, & obsequiosos omnibus esse, demissis oculis incedere; neminem nisi flexis genibus alloqui; cum nullo, nisi cum superiore, diutiùs proloqui; Magistro tantum, aut superiori suas tentationes aperire; otium fugere, ac cętera, quę ad debitam membrorum compositionem, tàm vigilando, quàm dormiendo, ac sensuum mortificationem faciunt, diligentiùs prosequi debeant.

Ordinis quoque illos cęremonias doceant, quomodo scilicet diuinum officium iuxta Rubricas persoluendum sit, quo ritu cantandum, quo tempore in Choro standum, quo sedendum, quo inclinandum, quo genuflectendum, quo humus deosculanda: quę in Refectorio, quę in Dormitorio, ac alijs locis illis obseruanda sint; quomodo in mentali oratione sese exercere, ad Pœnitentię Sacramentum, & sacram Communionem accedere, atque alias tum spirituales, tum corporales exercitationes prestare debeant. Doceant quotidiè, in Refectorio suos defectus candidè accusare, flagellationem, quo ritu, quauè ratione, qualibet sexta feria in Refectorio perficere debeant, aperire. Vespere antequam ad quietem se conferant, moneant, superioris, aut Magistri benedictionem genuflexos petere; nemini secularium alloqui, litteras neque ad alios scribere, neque ab alijs ad ipsos scriptas, absque superioris, aut Magistri licentia recipere: simpliciter in omnibus obedire, interrogatos candidè respondere; vbique se ipsos contemnere, & accusare: in his, atque alijs cęremoniis in Ordine antiquo vsu receptis Nouitios instituant. Officium quoque B. Virginis, cum in Choro nō persoluitur, ipsis extra Chorum perpetuò, ac deuotè ob reuerentiam B. Virginis recitandum suadeant.

Prętęr hęc Magistri Nouitios in propriis Clericorū officiis

Digitized by Google

officijs eos accuratè instruant; nimirum quomodo eos Altaria tegere, ac detegere, ampullas pręparare; in Missæ ministerio se gerere, celebranti in Missa solemni Thuribulum ministrare; lucernas in Choro aptare; Horologium, vel Excitatorium disponere, ac moderari; Hostias conficere; Corporalia componere; atque in omnibus Ecclesiæ, atque Altarium munditiei, ac nitori studere oporteat. Ac prętera aliorum capillos ad Clericalis Coronę formam tondere; sandalia, atque habitus consuere; Infirmis ministrare; atque alia id genus corporalia opera perfectè, ac deuotè pręstare doceant. Vt iuxta Apostolicum consilium, & humilem S. P. N. Francisci, & piorum Patrum institutionem, sibi, ac alijs suo labore prodesse, ac ministrare queant.

DE NOVITIORVM PROBATIONE.

CAP. VIII.

TErtium tandem, ac postremum munus supereſt, quo Magister Nouitiorum fungi debet, quod inter cætera potissimum censetur: videlicet ipsa Nouitiorum Probatio, quę vel per communes Religionis auctoritates, vel per verborum correptiones, ac reprehensiones, vel tandem per inflictas carnis castigationes, ac pœnitentias peragi solet. In his primum Probationis genus ita necessarium est, vt ad Professionem nullo modò ij recipi debeant, qui per totum anni circulum, cunctas nostrę vitę austeritates, quę singulis anni partibus nobis sese tolerandas offerunt, ferre non didicerint: quapropter qui longa, ac diutina ęgritudine tempore Probationis laborant, vel dimittantur, vt ad seculum redeant, vel si in Religione perseuerare poscant, non prius

prius ad Professionem admittantur, quàm totum ęgritudinis tempus, perindè ac si elapsum non esset, alterius ęqualis temporis benè valentes vsura resarcierint: qui verò ita debiles, atq; infirmę complexionis esse agnoscuntur, vt non nisi ęgrè consuetas Religionis asperitates ferre queant, omninò ab ordine dimittantur. Constitutionesque seruentur, vt Nouitii ante susceptionem Habitus per aliquot dies ad communem Nouitiorum vitam, atque exercitia admissi probentur; quo tempore generalem suorum peccatorum confessionem coram Magistro faciant.

Secundum verò Probationis genus prudenter à Magistris exerceri debet, vt eo Nouitii is prodesse potiùs, quàm obesse valeant. Idcircò ex doctrina S. Isidori id eis obseruandum erit, vt inter ipsorum cõuersionis initia benignè cum ipsis agant. [b] *Primordia enim Conuersorum* (inquit) *blandis refouenda sunt modis, ne si ab asperitate incipiant, exterriti ad priores lapsus recurrant: qui enim conuersum sine lenitate erudit, exasperare potiùs, quàm corrigere nouit.* Quapropter post Religionis ingressum nonnullos dies elabi sinant, antequã vlla verborum asperitate Nouitios corripiant, atque eo tempore se illis affabiles pręstent, quò faciliùs eorum mores, ac propensiones percipere queant: Inde enim fiet, vt cuiusque natura perspecta, quisnam in eorum correptione modus illis seruandus sit, prudentius agnoscant.

[b] S. Isid. de summo Bono. S. Greg. in Regis.

Id quidem Magistris certum, atque exploratum esse debet, Nouitios in his pręsertim probari, ac corrigi oportere, in quibus mali habitus, aut malę propensionis vitio laborant; atque adeò huic Probationi insistẽdum esse, vt ab ea illis nunquam recedendum sit; donec prauos huiusmodi animi habitus, atque inclinationes

Digitized by Google

nes planè extinctas, ac sublatas viderint. At hic magna Magistrorum prudentia opus est, qua tempus, modum, ac personas obseruent, vt hæc probatio ad morum correctionem illis prodesse valeat.

Quandoque enim Magistri prudenter quosdam Nouitiorum defectus, perinde ac si non aduerterent, dissimulare debent: vel vt grauiorum correptionibus insistant, vel quod Nouitios eo tempore ad correptionem minus aptos, ac dispositos animaduertant: aut tandem ne nimijs correptionibus Nouitios onerent. Interdum etiam Nouitiorum excessus patienter ferre; atque eousque ipsorum correptionem eos differre oportet, quoad ipsi maiores tum ad correptionem seueriorem ferendam, tum ad vitium ipsum debellandum, animi vires adepti fuerint. Atque inde aliquando mitiùs, interdum seuerius Nouitij corripi debent, prout vel temporis, vel personę ratio dictauerit. [a] Id verò Magistri ex doctrina S. Bonauenturę obseruent, vt, cum erga Nouitios filij semper appellatione vti debeant, in eos Patris affectum demonstrent; nunquam tamen eorũ vitia dissimulent, aut in ijs perstringendis, plus æquo, indulgentiores se exhibeant. [a] S. Bonau.

Sunt enim quidam plus æquo in oculis suis sapientes, atque ad proprium sensum tuendum procliues, qui partim ratione ab errore reuocandi, partim asperioribus correptionibus, ac publicis confusionibus à vitio deterrendi sunt: nam vt docet [b] S. Gregorius, Iuuenes plerunque seueritas admonitionis ad profectum dirigit. [b] S. Greg.

Sunt & Alij pusillanimes, quos non aspera, sed miti potiùs obiurgatione increpari oportet, ne animum despondeant; eodem modo qui natura verecundi sunt, molliori increpatione sunt arguendi, ne nimia

confusione conterantur: qui verò audaces sunt, vel de se ipsis præsumunt, partim placidis exhortationibus, partim duris reprehensionibus corripiantur, vt humilia de se ipsis sentire discant: sic enim Magistros Nouitiorum decet omnia omnibus fieri, vt omnes Christo lucrifaciant.

Veruntamen cauere debent Magistri, ne in Nouitiorum correptione iram, aut mentis turbationem ostendant; neve in his increpandis plus æquo exardescant: ab iniuriosis, ac minacibus quibusdam verbis abstineant, quæ secularem potiùs iracundiam, quàm religiosam seueritatem præseferunt: ipsis quoque consultum est, ne corporis, aut generis defectus exprobrẽt, veluti vultus deformitatem, illegitima natalia, paupertatem, generis obscuritatem, & alia huiusmodi, quæ ad Nouitiorum emendationem non tendunt: sed ea in ipsis potissimùm vitia prosequantur, quorum ab eis correptionem expectant; neque eosdem in omnibus defectus carpant; sed propria cuiuslibet vitia spectantes, varias pro temporum opportunitate, ac Nouitiorum conditione increpationes componant, ita tamen, vt cum primum Nouitios seuera correptione nimis cõfusos, aut turbatos animaduerterint: prudenter sermonem emolliant, & in exhortationem conuertant.

In Pœnitentiis verò inaugendis cauti, ac discreti esse debent, ne aut immoderatis, aut inutilibus, vel etiam ridiculis pœnitentiis Nouitios onerent: quamobrem prudenter apud se locum, tempus, personam, ac culpas ipsas diiudicent, tum discretas, ac proportionatas illis pœnitentias iniungant; quibus non solũ ii ad vitiorum emendationem suauiter pertrahantur: verum etiam ex iniunctionis modo, maiora patiendi desideria animo concipiant.

Si

Digitized by Google

Si interdum Magistri Nouitios extraordinario quodam mortificationis genere, præter omnem culpam probare voluerint, eisdem consultum est, vt per aliquot dies antea de huiusmodi probationis genere cum ipsis sermonem habeant; quo facilius se ad omnem sensus mortificationem disponant.

Caueant tamen Magistri ne vllo modo, vel manu, vel baculo Nouitios percutiant; aures, aut capillos illis trahant; aut indignabundi impellant. Hoc enim probationis genus nos potissimùm dedecet, qui Nouitios, non pueros, sed ætate prouectos, ac sponte perfectionis iter arripientes, in via Dei suauiter instruẽdos suscipimus: quapropter pœnitentias tantummodo à sanctis Patribus probatas, vtiles, quæque viros religiosos decent, ij imponere studeant; quales sunt ieiunia in pane, & vino, aut aqua; abstinentię ab obsonio, aut fructibus, comestiones in terra, flagellationes, aquæ potiones, sui ipsorum accusationes in mensa, veniam genuflexos ab alijs petere, lingua humum lambere, ante oculos vittas deferre, ligneum baculum ore gestare: fracta vtensilia collo pendentia ferre: atque alia huiusmodi, quibus Religio nostra iam ante hac vsa fuit, quæque ad honestam, ac discretam sensuum mortificationem conferunt. Omnis enim Nouitiorum, tam per verborum flagella, quam per carnis mortificationem probatio eò spectare debet, iuxta Apostolum, vt vetus homo in ipsis corrumpatur, & nouus, qui secundum Deum creatus est, intus de die in diem renouetur.

Porrò quæ de Magistris Clericorum Nouitiorum hactenus à nobis dicta sunt, ad Laicorum quoque Magistros respectiuè pertinent, qui cum ipsis communi officio sunt coniuncti: in illis tamen Prouincijs, in quibus

consuetudo viget, vt Laicorum Nouitiorum laici constituantur Magistri, in plurimis enim, qui Clericorum sunt Magistri, sunt etiam, & Laicorum. Hi enim ita ætate proiecti, ac moribus compositi esse debent, vt ad omnium virtutum studia suis Nouitijs duces esse queant. Hi Laicos Nouitios in his, quæ tum ad Coquinæ ministerium, tum ad Hortum excolendum, atque alia Laicorum fratrum officia peragenda spectant, solicitè instruere debent; nunquam otiosos esse sinant, sed eos statis temporibus, laboribus exerceant; doceant eos humiles, ac reuerentes sacerdotibus esse, paupertatem seruare, Charitatem erga omnes gerere, promptè infirmis ministrare, & in Christi amorem super omnia exardescere.

Ordinis quoque Cęremonias eos seruare doceant: & quo pacto Missis deuotè inseruire, quo tempore ad officiorum initia conuenire, qua reuerentia ad Confessionem, & sacram Eucharistiam accedere; atque alios Religionis ritus pręstare debeant, plenè instruant: curentque vt Regulam memoriæ mandent, & quo tidiè ad lectionem Magistri Clericorum Nouitiorum se conferant.

Ipsi quoque suorum Nouitiorum culpas extra Refectorium audiant, ac prudenter, tàm verbis, quàm pœnitentiarum inflictione extra Refectorium illos probent, ac corrigant. In Refectorio verò solus superior, eorum accusationes auscultet, & vt expedierit, corripiat: superiori tamen consultum est, vt Nouitios de iniunctis à Magistro pœnitentijs interroget, tum ne Nouitios nimijs pœnitentijs oneret, tum etiam vt quomodo ipsi à Magistro probentur, agnoscat.

Quod si Magister Laicorũ aliquas Pœnitẽtias in Refectorio peragendas suis Nouitijs imponere voluerit, facul-

Digitized by Google

facultatem à superiore obtineat, qui eam facilè Magistro concedere debet, dummodo huiusmodi mortificationes debitam moderationem non excedant.

DE RECEPTIONE NOVITIORVM, & prudentia in ea seruanda.

CAP. VIII.

NOuitiorum receptio,& propagatio non frustrà inter grauiora, ac præcipua Religionis negotia censeri debet; cum enim [a] iuxta B. P. N. Francisci doctrinam nihil magis Religioni pernicioſum esse debeat, quàm indeuotorum,ac inutilium Nouitiorum turma, ex qua tandem antiquus humani generis hostis postremum Religioni exitium minatur; magna profectò prudentia,& consilio his opus est, quibus recipiendorum Nouitiorum auctoritas est collata, vt probos ab improbis,ignauosque ab idoneis discernere sciant, ne inepta Nouitiorum multitudine Religio tandem obruatur.

[a] Chron. p. p.

Idcircò Prouinciales Ministri [b] sanctorum Patrum potiùs doctrinæ inhærentes,quàm Fratrum paucitatem metuentes, non facilem his, qui ad Religionis sinum accurrunt,ingressum tribuant, sed, sicut ait Apostolus, Probent spiritum,an ex Deo sit: Plerique enim,vt monet [c] S.Bonauentura, corpore imbecilles se offerunt, qui ordinis rigorem, atque austeritatem deinceps ferre nequeunt. Nonnulli pauperes,& egeni, qui nullo Dei amore permoti, ad vitæ tantum alimenta quærenda ad Religionis habitum festinant. Multi quoque nullo stabili Religionis capessendæ proposito muniti ad nos accurrunt,qui ad tempus accedunt, & in tempore tentationis recedunt. [d] Plurimi denique ita moribus in-

[b] S. Bened. in Reg. ca. 58.

[c] S.Bonau. opusc. 10. 1. in quæst. circa Reg. q. 10.

[d] S.Bonau. ibid.

Digitized by Google

compositi, ac prauis inclinationibus imbuti ad ordinem accedunt, vt vix eos malę consuetudinis vitia deferere posse sperandum sit, à quibus tandem Ordinis, ac morũ disciplina plerunque dissoluitur.

Quamobrem Prouincialis Minister neminem ad Nouitiorum habitum recipiat, qui per aliquod temporis spacium stabilitatem, ac firmum animi sui propositum piè, ac laudabiliter viuendo non probauerit: atque eo tempore diligenter de ipsius moribus, natura, ac propensionibus inquirat, etsi quos vel crapulæ, ac vino deditos, vel carnalibus illecebris irretitos; vel rixosos, vel suapte natura feroces, ac terribiles, vel ad huiusmodi vitia, quæ vix deponi valent, propensos agnouerit; satius est vt ab eorum receptione abstineat, vel ijs saltem nõ, nisi post longam temporis probationem, qua se veteris hominis vitia exuisse testentur, Religionis fores aperiat.

[b] Stat. ord Præmõstr. dist. 1. c. 14

[b] Denique eorum, qui ad Religionem ingredi cupiũt, Ingenium, mores, cerebrum, Corpus, status, & gestus; ætas, vires, Physonomia, valetudo, desiderium, scientia, conuersatio, anteacta vita, zelus, diligentissimè exploranda sunt: [c] ne turbulenti, vertiginosi, lunatici, stolidi, indociles, gesticulatores, deformes, pacis perturbatores, inflexibiles, tumidi, ac instabiles ad Religionem admittantur, quibus ipsa Religio, non tam ad salutem via, quàm ad eorum perditionem aditus fiat.

[c] S. Basil in Reg. fus. disp. resp. 10.

Quarè superioribus, ad quos Nouitiorum susceptio spectat, consultum est, vt iuxta sanctorum Patrum regulas ad Religiosæ vitę perfectionem amplectẽdam, [d] eos duntaxat admittant, qui ad capessendam disciplinam idonei sint, & qui ad hanc vitæ sublimitatem adipiscendam spiritu Dei agi, non obscuris inditijs comperiuntur: vt sperari queat, quòd qui cępit in eis opus bonum, sit idem perfecturus. Cæte-

[d] Stat. ord. præmõstr.

Digitized by Google

Cæterum antequam vllum ad probationis habitum admittant, prædicent ei omnia dura, & aspera, quæ in Religione illi subeunda sunt; qui si pulsans perseuerauerit; tunc Prouincialis Minister tribus, vel quatuor senioribus illius Cõuentus, in quo ea receptio fieri debet, iuxta [b] Gregorij XIV. decretum, accitis, prius corporis statum in eo, qui recipiendus est, perpendant; nimirum si debilis, si nimis delicatus, si ad labores ineptus, [c] si membris mutilatus, aut corpore ita deformis fuerit, vt eum in Domo Dei ministrare, minimè deceat: etsi quem huiusmodi offenderint, nullatenus recipiant: tum verò de conditionibus recipiendorum, tam à iure, quàm à Regula, ac nostris constitutionibus præscriptis interrogent, quæ omnes ad hæc capita reducuntur.

1 [d] Quod sit conditione liber, non seruus. In cap. *Si seruus* tit. 1. dist. 54.

2 [e] Non sit Episcopus, vel Cardinalis: Hi enim absq; Pontificis licentia Religionem ingredi non possunt.

3 [f] Non coactè, sed voluntariè, ac sponte ad Religionem accedat.

4 [g] Non sit fatuus, vel mente captus, vel furiosus.

5 [a] Non sit impubes.

6 [b] Publicis, aut perpetuis ratiocinijs non sit adstrictus.

7 [c] Debitis vltrà facultates suas non sit onustus.

8 [d] Sit ex legitimo thoro natus, quoad aliquas conditiones in ipsius receptione seruandis, vt constat ex constitutione Gregorij XIV. quæ incipit: *Circumspecta*, & Clementis VIII. quæ incipit: *In suprema*.

9 [e] Non sit ex ordine Minimorum, quia huiusmodi absque Pontificis licentia recipi non possunt, vt constat ex Bulla Pij V. & Gregorij XIV.

10 [f] Non sit ex fratribus de obseruantia, aut Discalceatis,

[b] Comp. Priuil. V. Nouitius.

[c] Reg. S. Benedict. ca. 58. in decl.

[d] Cap. si seruus. tit. 1. dist. 54.

[e] Cap. nisi cum pridè de renunt.

[f] C. Puella 20. q. 2. & cap. vlt. 22. q. 2. & c. 1. de ijs, quæ vi, metusue causa fiunt.

[g] C. sicut tenor de Regul.

[a] Cap. ad nostram de Reg. & c. significatũ est. tit.

[b] Const. Sixti V. q incipit cũ & omnibus.

[c] Const. Sixti V.

[d] Const. Greg. XIV & Clem. VIII.

ceatis, nisi à suo Prouinciali licentiam in scriptis obtinuerint ex Bulla Pauli III. & Iulij III.

11 [g] Sit fidelis, & Catholicus, vt ex Regula, & intentione S.P.N. Francisci colligitur, in qua conditione etiam comprehenditur, quod non sit schismaticus, aut hæresis suspectus, vt sentit Corduba super Reg. cap. 2. q.2. & iuxta Sanctum Bonauenturam in expositione Regulæ 42. quod pro fide Catholica Martyrium subire sit paratus.

12 [b] Vxorem non habeat, vel si habet, eam iuxta Regulę nostrę præscripta dimiserit.

13 [i] Sit animo promptus, ac dispositus ad Religionis onera ferenda.

14 [l] Non sit infectus lepra, aut alia infirmitate contagiosa, vel morbo caduco obnoxius.

15 [m] Sit sufficienti litteratura præditus.

16 [n] Non sit aliqua infamia publicè notatus.

17 [o] Crimen, aut delictum non commiserit, quod in iudicium sit deductum, seu deduci possit, quę conditio exstat in Bulla Sixti V. contra criminosos, & facinorosos.

18 [a] Quod non habeat Patrem, Matrem, aut sorores adeò pauperes, vt absque eo viuere non possint: vel si Pater est, filios in necessitate constitutos non habeat, nisi prius prouiderit, quomodo ij educari debeant.

19 [b] Quod ab alia Religione non apostatauerit.

20 [c] Quod si in Clericum recipiendus est, decimum septimum saltem annum attigerit; si in Laicum, decimum nonum.

21 [d] Quod si aliàs noster Nouitius fuit, non nisi à Prouinciali Ministro illius Prouincię, ex qua discessit, recipi valeat.

22 [e] Postrema, quod constet, eum non humana aliqua persua-

[g] Cõpend. Priuil. V. recipere.
[f] Ibidem.
[g] Reg. c.2. Corduba sup. Reg. c.2.q.2. S. Bonau. in expos. Reg. 42.
[h] Reg. c.2. C. cum sis præditus de cõuers. coniug. & c.27.q.2.
[i] Cõst. ord. c.2.
[l] Cõst. ord. c.2.
[m] Concil. Trid. sess. 23. c.12. & 13.
[n] Cõst. ord. c.2.
[o] Sixtus V. const. quæ incipit, cũ de criminibus.
[a] Constit. ord. c.2. D. Thom. 2.2. q.101. art.4.
[b] Constit. ord. c.2.
[c] Ibidem.
[d] Ibidem.
[e] Constit. Sixti V. q. incipit: cũ de omnibus.

Digitized by Google

persuasione, sed tantum deuotionis, ac pietatis feruore, vitam Religiosam sponte ex animo eligere, quę conditio habetur in Constit. Sixti V.

At quanquam his omnibus conditionibus constare debeant, qui ad Religionis habitum sunt recipiendi, haud tamen necesse erit iuridicas omnium informationes sumi, sed quorundam tantummodo capitum, quæ à Pontificum Constitutionibus decreta sunt inquisitionem fieri sufficiet. Idcirco vbi Prouincialis Minister habito trium, vel quatuor seniorum illius Monasterij consensu, Nouitium recipere voluerit, iuxta Regulæ præscriptum, Euangelij verba eidem dicat: *f Vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus*, moneatque ad ea explenda, tunc tantummodo animum sufficere, perfectam verò suorum bonorum renuntiationem ad Professionem vsque differre debere: quo ad obligationem autem, quæ ab hoc præcepto inducitur; & ad tempus, & modum, quibus verba hæc Sancti Euangelij nouitijs insinuari debent, Doctores, Reguleque nostræ expositores consulat, illisque inniratur: deindè schedula illi exhibita, in qua informationum capita, quæ de ipso fieri debent, contineantur, eidem iniungat, vt iuxta Clementis VIII. a constitutionem, quæ incipit: *Altissimæ Paupertatis* &c. coram Notario se sistat, qui eorum, quæ in ea schedula notata sunt, debitas informationes fideliter sumat, ac publicam attestationem tribus saltem testibus iuratis munitam, atque ab ipso signatam conficiat, cuius formula simul cum alijs in calce huius Ritualis describetur, eam recipiendus statuto tempore Prouinciali Ministro exhibebit, vt ab eo examinari, & approbari valeat. Capita verò informationum hæc sunt.

f Matth. 19.

a Const. Cle. VIII. quæ incip: Altissimę paupertatis.

1 An sciant, eum esse ætatis sexdecim annorum.

2 An sciant, eum esse liberum, ac nullo Matrimonij saltem

saltem consummati vinculo ligatum; ita vt liberè de se disponere valeat.

3 An sciant, eum esse virum probum, ac bonis moribus imbutum, itaut delictum scandalosum: puta homicidium, latrocinium, furtum, aut aliud huiusmodi non admiserit, quod in iudicium deductum fuerit, aut deduci possit.

4 An sciant, eum supra facultates suas grauatum esse ære alieno, cui soluendo non sufficiat.

5 An sciant, ratiocinijs, aut publicis, aut priuatis reddendis esse obnoxium, itaut lis aliqua, aut molestia illi inferenda timeatur.

6 An sciant, eum habere Patrem, aut Matrem, aut sorores adeò pauperes, vt sine illius auxilio viuere nequeant; aut si Pater, filios in necessitate constitutos habere: quibus sublcuandis is sit necessarius.

7 An sciant, eum morbo caduco, lepra, aut alio contagioso, vel incurabili laborare.

8 An sciant eum, legitimis ortum esse natalibus. Nã, etsi post constitutiones Gregorij XIV. & Clem. VIII. Illegitimi, cuiuscunque conditionis existant, ad habitum recipi possint; superiores tamen sine conditionibus, circumstantijs, & limitationibus, quæ in Pontificũ Bullis apponuntur, huiusmodi recipientes, excommunicationem Papæ reseruatam, ac priuationem omnium actuum legitimorum, ac officiorum ordinis, ipso facto, incurrunt, quamuis huiusmodi Nouitiorum Professio sit valida. Porrò circumstantię, ac conditiones ad horũ receptionem requisitæ in [a] Constitutione Greg. XIV. his verbis declarantur. *Volentes, vt cum de recipiendis quomodocunque illegitimè natis ad Habitum, & professionem Ordinum quorumcunque agetur: ij, ad quos (vt dictum est) pertinet huiusmodi receptio, matura deliberatione*

[a] Gregor. XIV. Cõst. quæ incipit: Circũspecta.

tione habita, ita censuerint, & iudicauerint: dummodo tamen filius illegitimus in Religione, in qua Pater, siue antè, siuè post Natiuitatem dicti filij, professus fuerit, ipso Patre viuente, non admittatur; quod expresè prohibemus.

Pœnę autem superioribus has conditiones non obseruantibus inflictę à [b] Clemente VIII. his verbis explicantur. *Quod si à prædictis superioribus dicti Ordinis, aut fratribus per superiores, vt præfertur, deputatis, in præmissis contra factum fuerit, voce activa, & passiva, nec non officijs, gradibus, & honoribus, & dignitatibus quibuscunque per eos obtentis, eo ipso in perpetuum priuari, & tam ad illa, quàm ad alia quæcunque in posterum obtinenda, perpetuò inhabiles, & incapaces, ac excommunicationis sententia innodati existant.*

[b] Cle. VIII. Const. quæ incipit: Altissimę pauperta tis.

Porrò his informationibus ritè, ac fideliter iuxta formulam præhabitis, atque à Prouinciali Ministro approbatis, Nouitij tàm ad habitum, quàm ad Professionem iuxta Greg. XIV. & Clem. VIII. Constitutiones recipi valent: neque plenioribus informationibus opus est, cum hę pleniſſimę censeantur. Id tamen ignorandum non est, huiusmodi illegitimos, quoad Ordines tantum, non quoad honores, ac dignitates per Religionis ingressum legitimari: idcircò eos absque Prouincialis, aut Generalis Capituli suffragio nullam, neque Vicarij, neque Guardiani, neque maiorem aliquam dignitatem, cui Animarum cura subsit, posse obtinere, maiorem tamen cum incestuosis, & ex sacrilegio Ortis, quàm cum alijs ex minus legitimo thoro natis, dispensandi rationem esse habendam.

DE

Digitized by Google

DE NOVITIIS AD PROFESSIONEM admittendis.

CAP. IX.

NOuitij antequam ad Professionem admittantur, vt nostris Constitutionibus cautum est, à Magistro in omnibus, quę tum ad morum reformationem, tum ad regularem disciplinam pertinent, diligenter instruantur, ac probentur: vt probata ipsorum virtus solidiores, ac profundiores in Dei spiritu radices agat, qua & sibi ipsis meritò prodesse, atque alijs in Religione virtutum exemplo prælucere queant.

Integrum, ac continuum post habitus susceptionem in probatione annum explere debent, iuxta [a] Sacri Concilij Trident. decretum: qui vero minori tempore, quã per annum post susceptum habitum in probatione steterint, aut sextumdecimum annum nondum expleuerint, ad Professionem nulla ratione admittantur. Probationis verò annus à momento in momentum computatur: ita vt incipiat ab hora susceptionis habitus, & in eandem diem, & horam post annum desinat; neque opus sit alterum diem ad profitendum expectare, quapropter [a] in anno bissextili duo dies pro vnico debent computari, cum annus probationis, ciuilis, ac politicus, non solaris censeri debeat.

[a] Concil. Trid. sess. 25. c. 15.

[a] Manual. Prælat. to. 1. q. 22. art. 5. co. 1. & 2

Toto verò eorum Probationis tempore in omni patientia probentur, [b] vt discant iugum Domini æquo animo tolerare: interea ipsorum mores, vita, & cònuersatio ab illius Monasterij fratribus præsertim senioribus obseruentur, etsi quid in ijs reprehendendum fuerit, ipsi per se ipsos non corrigant; sed quoscunque in his defectus, ac vitia animaduerterint, ad Magistrum Nouitiorum

[b] Reg. S. Bened. ca. 58.

Digitized by Google

rum corrigenda deferant.

Præter ea, quę circa Nouitiorum Profeſſionem in Conſtitutionibus noſtris pręſcribuntur, curet ſuperior, aut Nouitiorum Magiſter, vt quolibet quadrimeſtri Capitulum ſuper Nouitiorum conuerſatione conuocetur, in quò liberè, quæ de ſingulorum Nouitiorum vidit, conſiderauit, aut ab alijs didicit, quilibet exponat: neque vlli, ſub graui pœna ſuperioris arbitrio imponenda, liceat, quæ circa Nouitiorum approbationem, aut contra in Capitulo dicta ſunt, ipſis Nouitijs, aut alijs ſecularibus aperire.

Atque vt liberiùs in ea re procedatur, ſi in Capitulo aliquis Fratrum fuerit Nouitij alicuius conſanguineus, aut affinis, quo tempore de illo diſcuſsio fit, vbi primus de illo ſententiam ſuam protulerit, è Capitulo exeat, vt alij quid de ipſo Nouitio ſentiant liberè proloqui valeant, idemque ipſe Magiſter Nouitiorum obſeruet, cum Nouitij, qui ſibi propinquus, aut affinis fuerit, mores, & acta examinantur.

Peracta verò verbali Nouitiorum diſcuſſione, altera diſcuſsio per vota ſecreta, cui etiam propinqui Nouitiorum intereſſe debent, & ſua vota ferre; non fiat, niſi in poſtrema diſcuſſione ante profeſſionem, vel (vt in noſtris Conſtitutionibus ſtatuitur) ex occaſione mutationis Nouitii à loco nouitiatus, aut familiæ per Capitulum infra quatuor menſium ſpacium ante profeſſionem, aut ex aliqua alia rationabili cauſa, de licentia tamen Miniſtri Prouincialis; qui in poſtrema diſcuſsione minorem medietate ſuffragiorum numerum tulerit, nulla ratione, aut prætextu in Conuentu retineatur; ſed ſtatim ab ordine dimittatur, quod ſi æqualia vota habuerint, ad profeſſionem non admittantur; ſed Miniſtro Prouinciali res integra cõmittatur, qui vtriuſque

Digitized by Google

que partis rationibus ritè consideratis, ac perpensis, pro altera in Domino iudicium ferat, in aliis verò discussionibus, quę, vt dictum est, fient per vota secreta, quāuis minorem medietate suffragiorum numerum habeant; non ideò dimittantur, nisi consulto prius Prouinciali. Nostrę quoque constitutiones seruentur, vt nouiter professi, nisi post quartum à Religionis ingressu annum, Canonica suffragia ad Nouitiorum professionem non ferant; sed tantum quid de Nouitiorum conuersatione sentiant, exponant, qui etiam minori, quam quatuor vel circiter mensium spatio cum ipsis intra eiusdem Conuentus familiam incorporati extiterint, nisi superior fuerit, eodem modo vota non ferant, sed sententiam tantum dicant: [b] nullus quoque superiorum aut Vicarius, aut Guardianus, siuè Prouincialis, siuè etiam Generalis extiterit, Nouitium absque maioris partis illius Conuentus, in quo Nouitiatum gessit, assensu ad Professionem admittat. [c] Quod si quis contra hanc formam professus fuerit, ipsa Professio nulla censeatur.

Qui verò post vltimi quadrimestris discussionem ex maioris Conuentus partis consensu ad Professionem admittendus fuerit, tunc primùm, non antea omnibus suis bonis, si quæ possidet, bimestri ante professionem coram Episcopo, aut illius Vicario per testamentum renuntiet, vt [a] à Concil. Trident. decretum habetur. Caueātque Fratres, ne directè, aut indirectè, quod ad suorum bonorum, aut vestium distributionem pertinet, quicquam Nouitijs suggerant, quod vel in Monasterij, aut alterius Personæ commodum cedat: sed regulam, & expressam S.P.N. Francisci voluntatem simplicissimè obseruent; vt nulla omninò ratione, nec consulendo, neque suadendo sese in huiusmodi bonorum distributione ingerant, [b] quo liberiùs iuxta Dei, & ipsorum voluntā-

[b] Nauarr. lib. 3. conf. de Regul. conf. 62. n. 2. & supr. Cap. Statuimus de Regul. nu. 74. & li. 1. cōs. de constit. conf. 9.

[c] Manual. Prælat. to. 1. q. 24. ar. 4.

[a] Concil. Trid. sess. 25. c. 13.

[b] Reg. c. 2.

luntatem de proprijs bonis disponere valeant.

Post bonorum renuntiationem, Nouitius in his omnibus, quæ vel ad Regulam, vel (si Clericus fuerit) ad Diuinum officium spectant, optimè instructus: vbi Probationis annum expleuerit, & quæcunque Deo in Professione polliceri, atque obseruare debet, plenè agnouerit: pridiè quam profiteatur: Domus Capitulum à superiore conuocetur, in quo Nouitij professio ab eodē proponatur ea ratione potissimùm, vt si quippiam circa Nouitium nouum emerserit, vel aliquid dubij circa eiusdem professionem acciderit, à singulis liberè exponatur. Nulla tamen absque graui aliqua ratione, aut necessitate, noua per secreta vota discussio fiat, quod si Nouitij professio aliqua ex causa legitimè differri debeat statim Prouincialis Minister certior fiat, à quo vel dilationis huiusmodi causa examinari, vel dilationis tempus determinari debet.

Si verò nihil professionem impediat: Nouitius pridiè quam professionem emittat, generali omnium peccatorum, quę in toto Probationis anno se admisisse meminerit, confessione præmissa, eadem professionis die, deuotissimè ad sacram Eucharistiam accedat. Post hęc superior, aut Minister ex ipsius mandato cunctis fratribus ad Refectorium conuocatis Nouitium in medio genuflexum interroget, quid petat. Eo vero respondente: *Peto ad Professionem admitti*. Si nullus petitioni refragetur, omnes ad Ecclesiam pergant. Vbi Nouitio in infimo gradu Altaris genuflexo, superior graui sermone eidem voti solemnitatem, quo se perpetuò alligare debet, vitæ, ac Regulæ austeritatem, quam se profiteri Deo, & Hominibus spondere parat, demum quęcunque dura, & grauia in Religione passurus est, ante oculos ponat, quod si rerum in omnibus stabilitatem promittat,

mittat, tunc ſuperior in ſupremo Altaris gradu genuflectens, cęteris proſequentibus intonet Hymnum: *Veni Creator Spiritus*, quo peracto duo Acolythi ſtantes dicant.

℣. *Emitte ſpiritum tuum, & creabuntur.*
℟. *Et renouabis faciem terræ.*
℣. *Ora pro nobis Sancta Dei Genitrix.*
℟. *Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.*
℣. *Ora pro nobis B. P. Franciſce.*
℟. *Vt digni efficiamur promiſsionibus Chriſti.*

Superior verò dicat.

Oremus.

Deus, qui corda fidelium &c.
Concede nos famulos tuos &c.
Deus, qui Eccleſiam tuam &c.
Actiones noſtras, quæſumus Domine &c.

His Orationibus expletis Superior ſedeat in cornu Epiſtolę; atque omnia vota Nouitij in ſolemne hoc Religionis votum commutet: Nouitius verò accedens in ſupremo Altaris gradu genuflectat: atque vtraſque palmas ſupplices ad Cęlum extendens, & inter ſuperioris manus includens, vultu, menteque ad Deum erectis, toto cordis, atque animi affectu, claris, & apertis verbis profeſſionem emittat dicens.

Ego Frater N. Voueo, ac promitto Deo omnipotenti, B. Mariæ Virgini, B. Franciſco, & omnibus Sanctis; nec non tibi, Pater, toto tempore vitæ meæ, ſeruare Regulam Fratrum Minorum à D. Papa Honorio confirmatam: viuendo in obedientia, ſine proprio, & caſtitate.

Et

Digitized by Google

Et qui eum recipit respondeat: Et ego ex parte Dei, si hæc obseruaueris, promitto tibi vitam æternam.

Omnesque fratres id confirmantes respondeant. *Amen.*

Statimque Fratres canant Psalmum: *Ecce quàm bonum* &c. Dum Psalmus cantatur, nouiter Professus Chorum ingrediens ab omnibus accipiat osculum pacis, & denuò ad Altare rediens in infimo gradu genuflectat. Superior verò ad Altare conuersus, dicat versum.

℣. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis.*

℟. *A templo sancto tuo, quod est in Ierusalem.*

Et Orationes. *Oremus.*

Deus, qui corda fidelium &c.

Deus, qui per coæternam &c.

Domine Iesu Christe &c.

Sancti spiritus &c. Et alia, vt in fine huius Ritualis.

Cæterum in proprio libello tunc Professi nomen, & cognomen, ætas, Patria, annus quoquè, mensis, dies, & hora professionis; ac præterea locus, ac superior, qui eundem ad professionem recepit, adnotentur, ac Professio manu propria nouiter Professi, vel scribatur, vel signetur: aut si scribere nescierit, alter nomine ipsius illam signet, transumptumque ad Prouincialem Ministrum mittatur; qui diligenter curare debet, vt omnes huiusmodi fratrum professiones, quemadmodum, & capitulares electiones, atque alia Prouincialium Capitulorum decreta in libro Prouinciæ registrentur; & perpetuis temporibus in Prouinciæ Archiuio seruentur.

Digitized by Google

DE DISCIPLINA, ET OFFICIO Clericorum.

CAP. X.

QVIa iam Dei ingrediuntur, ac Religiosæ vitæ iter arripiunt, non statim perfecti sunt, sed Magistro, ac Disciplina aliquo tempore indigent, vt in ea tandem perfecti euadant. Incipientium enim, præsertim iuniorum, vita bonis moribus, malisque permista est, dum nouæ conuersationi per morum correctionem student, & veterem nec dum per nouam perfecti hominis creaturam abiecerunt. Idcircò necessitate quadam seueriores disciplinæ constringendi sunt, vt in virtutibus citiùs proficere discant: cum enim, [a] teste Gregorio, Mens mutabilitatis suæ pondere ad ima semper impellatur; ac nisi in statu suo arcta disciplinæ custodia teneatur, semper in deteriora delabatur; idcircò quemadmodum arbor in altum crescere cogitur, quæ per ramos luxuriantium vbertatem distendi minimè potest; ita incipientiũ mens in spirituales profectus exurgere quodammodo compellitur, cum per exteriorẽ disciplinam exterior homo sese in sensuũ libertatẽ effundere non permittitur.

[a] Greg. in Reg. apud S. Bonau. Pharetr. li. 4 c. 9.

Hinc summa ratione nostris [b] Constitutionibus sancitum est, vt qui nuper apud nos sunt professi per tres successiuè ab eorum Professione annos, sub Magistro arctam Nouitiorum disciplinam obseruent; ita vt qui eorum Guardianus, aut superior extiterit, is Magistri erga illos munere fungatur, quapropter Guardiani, ac superiores Domorum huiusmodi nuper Professorum tàm Clericorum, quàm Laicorum, ac etiam cęterorum, qui octauum Religionis annum nondum attigerunt, curam cum primis solicitam gerere debent, vt in via Dei proficiant;

[b] Const. c.

Digitized by Google

ficiant; idcircò eorum confessiones audiant, sæpè eos de rebus diuinis instruant: cum nemine eos diutiùs loqui permittant; rarissimè extra Monasterium exire sinant, sensuũ mortificationibus eos sedulò insistere moneãt; Orationis in primis studiosos efficiant; sæpè eos pœnitentijs in Refectorio exerceant. In Sacristię officio mundos, ac solicitos, in cęteris quoq; aut Clericorum, aut Laicorum muneribus, impigros, ac veloces esse doceãt. Deniq; omnibus ipsorũ actibus inuigilent, ne ex huiusmodi disciplinę incuria, aut neglientia, incurabilis relaxationis morbus eorum animos occupet, quo tandem ad spiritus interitum, maxima cum ipsorum, ac Religionis pernicie ferantur.

Clerici itaq; omnes, ac præsertim nuper professi sensuũ, ac præsertim [a] oculorũ mortificationi, ac morũ disciplinę studeãt: litteras neq; mittant, neq; accipiant absq; superioris licentia; nihil sine Guardiani licentia præstẽt: ad omnia dura, & aspera perferenda se promptos, ac hilares exhibeãt: ad Ordines sacros promoueri nõ optẽt, imò nec ante quartũ in Religione annum expletũ, ad ipsos promoueantur: sed sui ipsorum potiùs abiectionẽ diligant, simplicitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, ac cæteras sanctorum virtutes æmulentur, & iugũ Domini maturè in adolescentia ferre discant, vt deinceps illud Suaue experiantur. Deo tandem in omnibus placere studeant. Quod si, quæ nam Deo in exteriori homine placita sint, addiscere cupiunt, [a] D. Bernardum audiant ita docentem: *Placent, fateor, in Nouitijs, quantum ad ea, quæ in facie sunt, neglectior vtique is, qui foris apparet, corporum vultus, & vestium minor cura, sermo rarior, vultus hilarior, aspectus verecundior, incessus maturior.* Qui nuper sunt professi, quamdiù sub Nouitiorum disciplina viuunt, quotidiè in Refectorio suos de-

[a] S. Bonau. in speculũ Disciplꝰ. c. 4

[a] S. Bern. in Cant.

fectus coram superiore accusent,& iniunctas pœnitentias,vt par est,alacriter perficiant: se ipsos per vnius Miserere spatium qualibet sexta feria in Refectorio flagellent. Vespere,ante quàm ad quietem se conferant, superioris benedictionem genuflexi obtineant, ac reliqua omnia obseruent,quæ ex Constitutionũ præscripto Nouitijs obseruanda præcipiuntur.

Præterea,quæ sui muneris sunt diligenter, ac suo tẽpore exequantur: Ecclesiam,Chorum, Dormitorium bis in hebdomada,nimirum quarta feria, & Sabbatho, scopis mundent. Hostias suo tempore conficiant, atq; incidant: Corporalia,Pallas,Purificatoria bis saltem in anno lauent,ac decore complicent,atque alia Sacristię officia accuratè, ac mundissimè peragant, vt in primo libro huius Ritualis explicatum fuit.

Ipsorum quoq; partes erunt post salutationem Angelicam serotinam, in Dormitorio Lampadẽ accendere,eamq; ita componere,vt tota nocte accensa permaneat:Chori quoq; lucernam cõcinnare,quam post matutini signum secundus Acolythus ante legile accẽdet. Clericus quoq; ad horologium, vel excitatorium moderandum deputatus,illud ita disponat, vt præfixæ tàm Matutinis officijs, quàm primæ horæ (iuxta regulas in tabella horarum præscriptas) neq; citiùs pręcurrant, neq; longiùs protrahãtur;idẽ quoq; congruo tẽporè in mane.Cellarũ valuas percutiat,atq; hyemali tẽpore immediatè salutationis Angelicę signũ pulset,Eccl.fores, ac fenestras aperiat, tũ Sacristę se adiutorem præbeat.

Eorũ quoq; munus erit Missis inseruire,in Refectorio primas lectiones legere; post refectionẽ signo admoniti ea, quæ sunt in mensa, asportare; ad Coquinę vtensilia abluenda conuenire; fratrum mutatoria, ac sudariola, vbi mos est qualibet sexta feria calido lixiuio adhi-

Digitized by Google

adhibito expurgare, ligna hyemali tempore pro fratrũ calefactione tàm diurno, quàm nocturno tempore prę-parare: ac tandem omnibus, quoad per obedientiam licet, obsequiosos se præbere.

Postremò Clerici non tam ex Religionis more, ac Constitutionum præscripto, quàm ex perfectionis adipiscendæ studio, id sibi seruandum esse discant, vt dum simul sua officia peragunt, psalmos alternatim recitent; vel de Deo, ac spiritualibus rebus colloquantur, vel silentium custodiant: cum verò soli aliquod munus sibi commissum præstant, suspensum semper, ac collectum in Deum animum gerere, atque illud actualiter in Dei laudem referre studeant; perindè ac si Deum præsentẽ intuerentur, cui externum illud obsequium impenderent.

DE OFFICIO EXCITATORIS.

CAP. XI.

SAcrista, vel alter, cui Excitatoris officium à superiore demandatum fuerit, Horologium excitatorium cum indice horarum in Cella appensum habeat, quo nocturno, ac diurno tempore ad fratres hora opportuna excitandos vtatur: illudque ita moderari sciat, vt æqua, ac iusta horarum spatia indicet.

Huius partes erunt, in meridiè, vel cum primùm adueſperascit, cùm horologio solari excitatorium compo nere, & bis saltem in die illius æquipondia attollere: post Angelicam salutationem vespertinam, Lucernam in Dormitorio accendere, ac oleo enutrire. Simul ac, dilabentibus excitatorij Aequilibrijs, surgendi signum audierit, mox è cubili prosilire: si tempus matutinę ho-

Digitized by Google

rę fuerit, prius Dormitorij Lucernam emungat, tum ad ſocij Cellam pergens, ipſum excitet, vt poſt tabulę ſtrepitum, Campana primum Matutini ſignum pulſet: tum omnes Dormitorii partes circuens primùm debili, deinde validiore excitatoriæ tabulę ſtrepitu fratres à ſomno excitet. Si verò ad primam ſurgendum ſit, Audito excitatorii ſigno, ſtatim ad omnes Cellarum valuas pergens, eas arundine validè percutiat, vt illius ſtrepitu dormientes fratres excitari poſſint, mox pro ſalutatione Angelica, ſi hyemis tempus fuerit Campanam pulſet.

Hoc ipſum æſtiuo quoque tempore, in quo ſilentium, poſt elapſam à prandio horam, pulſari ſolet, obſeruare debet, cum in meridiè ad Nonam eſt ſurgendum, nimirum vt fratres pulſu tabellę, vel arundinis à ſomno excitet, ac ſignum ſalutationis Angelicę campana edat.

Porrò qua noctis hora matutinum, qua Prima, qua Nona pulſanda ſint, iam in tabella, quæ in capite primo ſecundi libri conſcripta habetur, explicatum fuit: fratres verò audito excitatoris ſigno, quàm primùm è cubilibus exiliant, & corda ſua diuinis Laudibus præparaturi ad Chorum pergant: neque enim à vitio immunis eſt, qui poſt perceptum excitatoris ſignum, quaſi ſurgẽdi inducias quærens, longiores in ſtrato moras producit; cum enim ex propria, citaque ſurgendi alacritate, tota ſenſibilis deuotio, ac Diuina viſitatio pendeat, qui in ea oſcitantiùs ſe habent, diuina Cœleſtis ſponſi præſentia, & amplexu planè ſe indignos præbent; ſponſæ illius inſtar apud Salomonem notę, quę ſponſo aperire paululum cunctata, cùm tandem aperuit, eum minimè inuenit. a *Iam enim* (inquit) *declinauerat, atque tranſierat*: quare cum primùm, è lecto ſurgendi ſignum audierint, ſtatim ſine vlla mora, ac cunctatione alacriter ſurgant, & Domino aperiant.

a Cant. 5.

DE

DE OFFICIO LECTORVM.

CAP. XII.

LEctores in singulis Prouinciis iuxta Constitutionum nostrarum placitum, tàm in Peripatetica Philosophia, quàm in vtraque Theologia, Scholastica scilicet, & Morali, graues, prudentes, morigerati, eaque scientia imbuti, vt ad Cæteros instruendos idonei esse possint, à Prouinciali Ministro, ac Definitoribus in Capitulo eligi debent, & in Conuentibus ad studia aptis collocari. Hi, antequam Lectorum munus exerceant, iuxta Ecclesiastica Decreta, fidei Professionem coram Prouinciali emittant.

Atque in primis, qui ad Theologiam practicam, seu moralem, quæ circa Casus conscientiæ versatur, explanandam eliguntur: tot esse debent, quot Custodiæ in ea Prouincia numerantur, quos in locis Custodialibus, in quibus maior fratrum numerus esse solet, collocari æquum erit.

Horum munus erit ex vberrimo Casuum conscientiæ campo eos tractatus seligere, qui vtiliores sint, quique ad necessariam fratrum propiùs institutionem pertineant, & ter in hebdomada, præsertim singulis Dominicis, ac Diebus festiuis post Vesperas, fratribus signo tegulæ accersitis, publica lectione vulgari sermone explicare: cui lectioni tàm Sacerdotes, ac Clerici, quàm Laici fratres, iis exceptis, qui legitimo impedimẽto detinentur, interesse debent.

Cæteris verò tàm Philosophiæ, quã Theologiæ Scholasticæ Lectoribus certus studentium numerus à Capitulo designandus erit, qui sub ipsorum moderatione, ac Disciplina studiis incumbant. His Domorum superio-

Digitized by Google

res eam auctoritatem conferant, qua Discipulos, præsertim iuniores corrigere, ac sub debita Disciplinę regula, dum studiis incumbunt, extra Refectorium magna tamen discretione, & moderatione cöercere valeant: quò meliùs ij in vtroque tam litterarum, quam Deuotionis, ac pietatis studio proficere discant.

Ipsi verò Lectores non tàm verbo, quàm exemplo, ac omnium virtutum disciplina suis discipulis prælucere studeant: ante enim vita (vt scribit [a] Ambrosius) quàm Doctrina quęrenda est. Vita bona sine Doctrina gratiam habet; Doctrina sine vita integritatem non habet. Idcircò superioribus in omnibus obtemperent: erga Discipulos affabiles, ac benignos se præbeant; quâdiù Lecturę incumbunt, Prædicationis officium, præter quàm in Quadragesima non exerceant; antiquis exẽptionibus à nostris Constitutionibus sibi præstitutis gaudeant. In Philosophicis studiis per trienniũ; in Theologicis per quadriennium Discipulos exerceant.

[a] Ambros. in Pſ. 118.

Ante studiorum initium Lectores publica inuocatione, ac Missę celebratione litterarii laboris principium, ac progressum, B. Virg. & B. P. Francisci patrocinio commendent; ac propterea Missis in B. Virginis, ac B. P. N. Francisci honorem celebratis, Lector, & Scholares in Classem conuenientes genuflexi dicant Hymnum.

Veni Sancte Spiritus &c.

Sub tuum præsidium &c.

Salue Sancte Pater &c.

℣. *Emitte spiritum tuum, & creabuntur.*

℟. *Et renouabis faciem terrę.*

℣. *Ora pro nobis sancta Dei Genitrix.*

℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

℣. *Ora pro nobis B. Pater Francisce.*

℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*

Ore-

Digitized by Google

Oremus.

Deus, qui corda fidelium &c.
Omnipotens sempiterne Deus, qui gloriosæ &c.
Deus, qui Ecclesiam tuam &c.
Actiones nostras, quæsumus Domine &c.

Tum verò regulas tàm circa tempus, ac ordinem studiorum, quam circa morum disciplinam à Scholaribus obseruandas in tabella conscriptas in Schola publicè affigant, vt qua methodo, quouè spiritu studia ab ipsis tum auspicanda, tum prosequenda sint, non ignorent. Inter illas hæ potissimùm Regulæ ad mores spectantes inserantur.

1 Vt nemo absque superioris, aut Lectoris licentia, à lectione, repetitione, ac disputatione se eximat.

2 Vt nullus sub quouis aut disputationis, aut repetitionis, aut lectionis addiscendæ prętextu à Choro, & communibus humilitatis officijs se proripiat absque superioris, aut lectoris facultate.

3 Quod in Disputationibus ea moderatio seruetur, vt alter alterum irridere, aut verborum aculeis pungere non audeat: aut vocem plus æquo efferre, ita vt rixari potiùs, quàm disputare videatur; aut animi tumorem, ac æmulationem ostentare, sed modestè, ac religiosè (vt humiles decet) in disputationibus se gerant.

4 Quod nemo cum Lectore immodestè congredi, aut quæ ab eo dicta sunt, carpere audeat; sed si alicui dubia exoriuntur, ea per modum humilis interrogationis, nõ disputationis eidem soluenda proponat.

5 Quod in publicis Disputationibus, post vltimam quæstionis alicuius solutionem à Lectore prolatam, omnes acquiescant: nec publicè ea in dubium ab vllo reuocentur: sed si quod fortè cuipiam circa illam dubium irrepserit, illud sibi seorsim, ac priuatim à Lectore explicandum curet.

6 Vt

Digitized by Google

6 Vt nemo litteraria ſtudia pietatis, ac Deuotionis ſtudio anteponat; idcircò quilibet ante priuatum ſtudium genuflexus humiliter ſe à Deo ad pietatem illuminari poſtulet.

His & aliæ regulę addi poſſunt iuxta temporum, ac locorum exigentiam, quæ lectorum prudentiæ, ac pietati præſcribendæ relinquntur.

Cæterum Lectores monendi ſunt, vt illud ſibi legendi tempus, ac horam eligant, quæ Eccleſiæ, vel Conuentus officia non impediant. Idcircò ſuperioris tàm in hora lectionis eligendę, quàm in plerisque alijs, quę ad ſtudiorum, ac ſtudentium rationem pertinent, conſenſum exquirant.

Ante lectionem tegula ſignum, vel campana detur, poſt quod Lector, ac Scholares maturè in Claſſem conuenientes: antequam lectio inchoetur, genuflexi dicãt. *Veni Sancte Spiritus &c. Sub tuum præſidium &c. Salue Sancte Pater &c.* Et Lector dicat verſus, & Orationes, vt ſupra. Lectores Diſcipulos ſuos, vt filios diligant, ac diligenter inſtituant: in lectionibus verò id potiſſimùm curent, vt ad eius Diſciplinę, quam explicandam ſuſcipiunt, ad ima vſque fundamenta, atque elementa pertingant: vt eam clariſſimè, ac perfectè, quo ad fieri poteſt, exponant; communiores ſemper ſententias Diſcipulis ſequendas proponant, errores, ac præſertim Hæreſes, quę circa vnam quamque materiam verſantur diligenter, ac prudenter aperiant, vt Diſcipulos vera, ac ſolida ſcientia imbuant. Denique illos frequenter moneant, litterarum ſtudium cum morum Diſciplina, deuotione, humilitate, mortificatione, & obſeruantiæ regularis rigore, eos coniungere debere, vt & Deo gratũ, & ſibi ipſis proficuum eſſe queat.

DE

Digitized by Google

DE OFFICIO, ET DISCIPLINA *Studentium.*

CAP. XIII.

CVm primùm noua aliqua in Logica disciplina studia instituenda sunt, id non secus quàm in Prouinciali Capitulo, & Prouincialis Ministri, ac Definitorum maturo consilio fieri debet, quibus id oneris incumbit, vt tales tantummodo ad huiusmodi studia Discipulos promoueant, quales à nostris Constitutionibus describuntur; nimirum bonæ indolis, morigeratos, humiles, pacificos, Deuotionis studiosos, & boni ingenij, qui ad proficiendum habiles sint, quique doctrina, ac honestę conuersationis exemplo cęteris aliquando prodesse valeant.

Horum discussio prius per vota secreta à Prouinciali Ministro, & Definitoribus in Capitulo fiat. Antiqua quoque nostrarum Constitutionum lex seruetur, vt nullus ante tertium annum in Religione expletum ad studia Logices promoueatur: qui verò his studijs maturi sunt, antequam in studentium numerum computentur, ad ipsum Capituli locum vel aliam Patrum congregationem omnes conuocentur, vbi coram Prouinciali Ministro, & Definitoribus diligenter examinentur, vt inde probari possit; num ijs grammaticę fundamentis polleant, quę ad Logices studia amplexanda sufficere queant: qui verò studijs minus apti reperiuntur, omninò excludantur, satiùs enim est idoneorum licet paucorum, diuini verbi Ministrorum numero Ecclesiam ędificari, quàm ineptorum multitudine obrui. Ad studia verò promoti nouerint se ad orationis, ac compunctionis magis, quàm ad litterarum studium vocatos esse, quapropter caueant, ne in litterarijs studijs adeò sese immer-

Digitized by Google

immergant, vt ſpiritum Domini extinguant: ſed potiùs iuxta B.P.N. Franciſci conſilium ante omnia curent habere ſpiritum Domini, & ſanctam eius operationem; ac proindè eò ſe humiliores, modeſtiores, omnium virtutũ ſtudioſiores, & ad omnia humilitatis officia promptiores ſeſe exhibeant, quo ſe à Deo præ alijs Apoſtolica hac vocatione dignatos agnoſcunt. *Sunt enim,* (inquit [a] Bernardus,) *qui ſcire volunt, eo fine tantum vt ſciant, & turpis curioſitas eſt: & ſunt qui ſcire volunt, vt ſcientiam ſuam vendant, verbi gratia, pro pecunia, pro honoribus: & turpis quæſtus eſt. Et ſunt qui ſcire volunt, vt ſciantur ipſi: & turpis vanitas eſt. Sed ſunt, qui ſcire volunt, vt ardentius ædificent: & Charitas eſt.*

[a] S. Bern. ſerm. 36. in Cant.

Lectorem igitur vt Patrem, ac Magiſtrum omnes digno honore, ac reuerentia proſequantur; atque ei in omnibus, quę ad ſtudiorum rationem ſpectant, ſedulò pareant: *Fructus enim Magiſtri* (inquit [b] Ambroſius) *Diſcipulus eſt obediens.* Caueant ne ſuperbiæ ſpiritu inflati, diuerſa à Magiſtro ſentire, aut proprię ſententię pertinaciter inhęrere, præſumant; id enim omnis erroris initium eſt, cum ſua ſcita, aliorum, ac præſertim Magiſtri ſcitis anteponere geſtiunt.

[b] Ambroſ. 1. Theſſ. ad 6. 2.

Lectoribus id honoris, ac reuerẽtię ſe debere ſciant: vt nunquam eorum dicta carpere, aut ſententias proteruè impugnare; imò neque cum ipſis diſputare debeãt; ſed humili, ac modeſta interrogatione, ſi quę habent dubia, illis aperiant.

In Diſputationibus verò ita modeſtè ſe gerere debent, vt nihil per contentionem, aut vanam gloriam, nihil per æmulationem agant, propriam ſententiam pertinaciter non defendant, non docti videri, ſed humiles potiùs eſſe contendant; ſi quid minus doctum, aut limatum ab altero prolatum fuerit, non ſtatim irrideant,

Digitized by Google

deant, sed Charitate præeunte, aliqua interpretatione accommoda dicti maculam tegant: Denique se vicissim honore præueniant, vt eorum capiti gratia addatur. Qui Philosophiæ studio incumbunt, in eo triennium expleant. Theologicis verò studijs nō minus quadriennio vacent.

Septenario tandem in Philosophicis, ac Theologicis studijs exacto, & non antea, Studentium discussio à Prouinciali Ministro, & Definitoribus simul congregatis, accito etiam lectore, tàm circa mores, quàm doctrinæ sufficientiam, respectiuè fiat: vt qui ad Prædicationis officium promouendi, qui contra excludendi sint, maturè expendi queat; qui autem promouendi erunt, attestationem non modo de vitâ, & moribus, & de septennio in studijs expleto à Prouinciali Ministro, ac Definitoribus, verum etiam à proprio Lectore iuramento firmatam habeant; quam Prouincialis Minister ad Generalem Ministrum mittendam curabit, qui consuetis litteris ad prædicationis munus promoueat; sin minus, vel omninò à Prædicationis munere excludat, vel tandiù id illis muneris deneget, donec ad illud idoneos esse, eorundem consensu, atque attestatione acceperit.

Qui verò cœpta in aliqua Prouincia studia in aliam migrantes absoluerint, attestationem prædictam ab vtriusque Prouinciæ Patribus accipiant: vt certa de eorum probitate, sufficienti eruditione, atque annorum numero, quos in studijs insumpserunt, fides habeatur. Demum in hac materia studiorum decretis in nostris Constitutionibus in omnibus stetur.

DE

Digitized by Google

DE OFFICIO IANITORIS DOMVS.

CAP. XIV.

INter alia domestica cuiuslibet sacrę Domus ministeria Ianitoris officium non immeritò pręcipuum censeri solet: quandoquidem ex ipsius prudentia, ac solicitudine; tum etiam proba, ac honesta conuersatione totius familiæ quies, sęcularium que ad nos confluentium ædificatio pendet; ea propter soperiores Domorum cauere debent, ne huiusmodi munus [a] Nouitijs, aut Clericis, aut Iuuenibus, seu leuibus, ac indisciplinatis; aut hominum familiaritates affectantibus: sed viris tantum prudentibus, maturis ętate, ac Religione prouectis, probis moribus præditis, atque humili, religiosa, ac deuota conuersatione præcellentibus conferant; vt sacra Domus, quę veram vndique ex se pietatem, ac sanctimoniam efflare debet, in ipso limine bono Christi odore repleatur.

[a] Vmb. de instruct. offic. c. 17.

Verum vt is, cui Ianuę Monasterij custodiendę cura commissa est, proprium munus non ignoret; primam sui officij partem hanc esse sciat: vt semper Monasterij clauem secum gestet: audito primo tintinabuli sonitu maturè ad ianuam accurrat: [b] Propterea Maiores Domus Cellam in modum Oratorij instructam ianuę coniunctam habeant; in quam Ianuæ Custos diurno tempore sese recipiat, vt præmaturè fores pulsantibus aperiat: [a] Fœminas autem nullo vnquam tempore in Monasterium introducat; flagitiosis, ac facinorosis hominibus ob notorium scelus ad Monasterium aufugientibus, ingressum non præbeat: Nostrę, siuè alterius cuiuscunque Religionis Apostatas ab ingressu prohibeat: aduentantes ad nos quoscunque siuè nobiles, siuè ignobiles

[b] Vmb. de instruct. officio. c. 17.

[a] Pius V. Bulla, quæ incipit Regularium Person. Regul. 13. Cõstit quę incipit, vbi gratiæ, & indulta.

Digitized by Google

biles humaniter excipiat, ac placidis verbis alloquatur, erga nobiles ita se Vrbanum præstet, vt nec rusticus, nec Aulicus haberi velit, quin etiam ab omnibus Aulicorum verbis abstinens, religiosam simplicitatem tàm in verbis, quàm in gestu, ac moribus præseferat.

Sed quoniam ex his, qui ad Monasterium confluunt, alij ædificationis, aut Consilij tantum gratia accedunt, vt aliquid spiritualis subsidij à nobis accipiant: alij vt quidpiam negotij cum Fratribus Monasterij pertractent. Alij vt litteras, vel eleemosynas ad Monasterium deferant; alij vt eleemosynam à nobis emendicent. Alij tandem vt ad hospitium, velut Peregrini recipiantur: [b] idcircò secunda Ianitoris muneris pars erit, eos, qui edificandi animi gratia ad nos accedunt, comiter, ac blandè suscipere. [c] Talemque cum his conuersandi modum tenere, vt discretione, modestia, & spiritualibus verbis edificatos, spiritualiter recreatos à se dimittere studeat.

[b] Reg. Soc. Iesu Ianitor Reg. 7.
[c] Vmb. l. de instit. off. c. 18.

In maioribus Domibus vnus, aut alter è Sacerdotibus, [d] quibus donum priuati sermonis à Deo elargitum fuerit, à superiore deputetur, quibus cura sit huiusmodi personas spiritualibus colloquijs demulcere, & ad meliora promouere: in omnibus verò domibus, cum primum huiusmodi viri pij ad Monasterium accedunt, Ianitor superiorem certiorem faciat, vt vel aliquem è Sacerdotibus spiritualis sermonis non ignarum ad eum mittat: vel (si Illustris vir fuerit) ipse superior munus illud obeat.

[d] S. Basil. in resp. 32. Reg. fus. Disp.

Horum, quibus id munus delegatum fuerit, [a] sermo iuxta Apostolum sale conditus sit, vt iuxta cuiusque Personæ gradum, ac differentiam, & secundum diuersa hominum ingenia sese aptent, ac sermonem prudenter attemperent; sic enim de S. Bernardo Abbate [b] Goffredus

[a] Ad Coloss. 6.

[b] Goffred. mon. l. 3. vitæ c. 2.

Digitized by Google

dus scribit. *Sermo ei, quoties opportuna inueniebatur occasio, ad quascunque Personas de ædificatione Animarum, prout tamen singulorum intelligentiam, mores, & studia nouerat, quibusque congruens auditoribus erat; sic rusticanis plebibus loquebatur, ac si nuper in rure nutritus: sic cæteris quibusque generibus hominum, velut si omnem vestigandis eorum operibus operam impendisset. litteratus apud eruditos, apud simplices simplex, apud spirituales viros perfectionis, ac sapientiæ affluens, documentis omnibus se coaptabat, omnes cupiens lucrifacere Christo.*

[c] Macrob. lib. 7. Satur. c. 1.

Nihil enim, vt ait [c] Macrobius, est tam cognatum sapientiæ, quàm locis temporibus, ac personis aptare sermones. Nullum multiplicibus interrogationibus fatigent; neminem dura responsione, vel rustica, aut aspera collocutione commoueant.

[d] Carmel. S. Eliæ. p. c. [e] Const. c. 11. §. 5.

[d] Verba omnia otiosa, leuia, scurrilia, dum cum ijsdem agunt, accuratè vitent: [e] imò ne de secularibus rebus, nisi vtilitas postulet, cum ipsis sermones misceant;

[f] S. Bonau. p. 2. spec. p. 4. c. 5.

seruum enim Dei, vt [f] monet S. Bonauentura, de Deo loqui decet. Caueant præsertim ne de aliorum ordinum excessibus cum illis vllo modo verba faciant, quin etiam excitata intercipiant, ac cautè, & prudenter iugulent: vniuersosque ordines ita commendent, vt illorum virtutes tantum extollant; vitia verò, si quæ obiectantur, pro viribus extenuent. Nos ipsos verò, vel Religionem nostram inaniter, ac superfluè laudare nunquam decet, cum de Religione, ac nobis ipsis semper

[a] S. Bonau. p. 1. spec. p. 4. c. 5.

humiliter sentiendum sit: quarè iuxta [a] S. Bonauenturæ Doctrinam, Ordinem nostrum nunquam ad particularia descendendo, sed si necesse fuerit, in generali solum, absque vlla aliorum ordinum comparatione commendent.

Verum & in ipso spirituali colloquio cauendum est,

ne

Digitized by Google

ne quid nimis: ipsum enim spiritualem sermonem ita condire debent, vt de rebus etiam diuinis ineptè, ac ad satietatem, aut fastidium non agant. *Mel inueniſti (ait sapiens) comede, quod ſufficit tibi, ne fortè ſatiatus euomas illud.* Sic & spiritualis Doctrinæ dulcedo non sine modo alijs gustanda exhiberi debet, ne aliquando audientibus nauseam, ac fastidium pariat. Turſellin. l. 6. vit. S. Franciſci Xauerij c. 11. Prouerb. 25.

Quod si quispiam consilij alicuius gratia ad nos accesserit, qui ad id munus electi sunt, ita optatis, ac quæstionibus respondeant, vt propriæ intelligentiæ terminos non excedant: nec temerè, aut impræmeditato aliquid proferant. Ianitor verò neminem secularium in Monasterio versari absque duce, aut comite fratre patiatur.

Tertia Ianitoris muneris pars est vocatos interdum à secularibus fratres accersere: in quo hæc lex perpetuò sancita esse debet, vt dum vel officia publicè in Choro persoluuntur; vel Oratio mentalis fit, vel ad Communem refectionem omnes conueniunt: Ianitor priuatim neminem accersat, sed explicato impedimento prudenter secularibus satisfaciat, ac humaniter dimittat. Si verò res adeò grauis sit, aut Personarum conditio ita Illustris, vt vsque ad finem horarū, vel Orationis, vel refectionis differri non possit; tunc Ianitor superiorem adeat, reque, aut persona eidem manifestata, ab eo vocandi fratres facultatem expectet. Nemo enim à publico munere absque superioris licentia, se ipsum abstrahere debet. Cum verò vel superior, vel alter ex fratribus accersendus est. Caueat Ianitor ne seculares vllo modo vel ad cellas ducat, vel in Dormitorium, aut aliam Conuentus officinam absque superioris facultate introducat, nec quemquam secularium nosocomium ad Infirmum quemcunque inuisen-

Digitized by Google

dum, nisi obtenta à superiore licentia ingredi permittat.

a Reg. cõm. Societ. Iesu Reg. 41. Cler. Reg. S.P. Enchiridion q. 2. art. 1.

a In negotijs verò cum secularibus agendis, Fratres breues, parci, ac sobrij sint, caueantque, ne secularia negotia, quę à nostro instituto sunt aliena, & à spiritualibus auocant, vllo modo suscipiant; imò nec cuiusq; negotij etiam pij inconsulto superiore patrocinium amplectantur, vel ad illud operam suam promittant, aut se propensos ostendant.

b Carthus. p. 3. Stat. c. 19 nu. 5. can. 5. salu.

Quartum Ianitoris muneris caput est, b vt litteras, aut mandata, quę interdum ad priuatos fratres mittuntur, iuxta antiqua sanctissimorum Ordinum decreta, non ad fratres, sed ad Domus superiorem deferant, à quo iudicandum erit; an litteræ sint reddendæ, aut mandata perferenda. Quod etiam c Constitutionibus nostris sancitũ est, ac nouissimè in Capitulo Gen. Romę Celebrato sub Adm. R.P.Fr. Clemente à Noto confirmatũ.

c Cõst. c. 14

Quintum huius muneris caput est: vt quęcunq; Monasterio ex Piorũ eleemosynis sũt oblata, siue ea edulia sint, siue libri, siue res quæcunque ad sacrum, vel ad familiarem, ac domesticum Monasterij vsum apta à Ianitore fideliter ad superiorem Domus deferantur; qui a ad communem Domus vtilitatem ea prudenter deputabit. b Quod si ea priuato nomine alicui fratrum à Parentibus, vel extraneis mittantur; Ianitor superiorem certiorem reddat, tum de ipsius licentia fratrem accersat. Porrò si c Basilio, Cassiano, ac reliquis antiquis Patribus credendum est, consultius esset huiusmodi munera, quæ non Monasterio, sed alicui priuato nomine offeruntur respuere, d ijs enim plerumque Religiosa libertas minuitur, fraterna aliorum charitas lęditur, ac vitæ integritas in discrimen vocatur, munuscula verò, quę à mulieribus extraneis priuatis fratribus offeruntur,

a Cap. cũ de Monast. de Stat. Mona.
b S. Pach. in Reg. nu. 30.
c S. Basil. Reg. breu. resp. 3. q. 305. Cass. coll. 24 6. 11 12
d Iul. Hegr. in Reg. 9. §. 12 13. 14. 15.

Digitized by Google

tur, iuxta [b] Sanctorum regulas omnino repudiandę eſſent, ne forte ſcandalum in Monaſterio gonerent, niſi ea toti Monaſterio in communi fiant. At iuſtis rationibus adducti volumus, vt hæc omnia ſuperiori deferantur, & iuxta illius diſpoſitionem, vel priuato alicuius neceſſario vſui cedant, vel in communi diſtribuantur. Caueat autem is, cui hæc donantur, ne Diaboli tentatione ſeductus, cum priuato nomine malè aliquid ab extraneis acceperit, peſſimè hoc ipſum abſque ſuperioris licentia occultè retineat, nam [c] Auguſtino teſte, ſi aliquis rem ſibi collatam celauerit, furti iudicio condemnabitur. *Societatis enim expilatio eſt*, [d] (inquit Baſilius) *rei cuiuſcunque, & vndecunque in priuatum vſum ſeuocatio*. Verum inter hæc oblata diſtinguendum eſt: [e] quædam enim ſunt, quę in Monaſterij vſum commodè transferri poſſunt; cuiuſmodi ſunt, quę vel ad Eccleſię, vel ad Monaſterij neceſſitatem conferunt. [d] Aliæ, quę vel regulari obſeruantię obſunt, vel metam Paupertatis excedunt: qualia ſunt pecuniæ, res pretioſę, aut nimis delicatę. Res primi generis iuxta temporum rationem, ac Monaſterij neceſſitatem à Ianitore iuxta modum à ſuperiore pręſcriptum acceptari debent. At res ſecundi generis ita repudiandę ſunt, vt, niſi pręſens, aut imminens neceſſitas vrgeat, acceptari minimè valeant: Pecuniarum enim acceptio quàm ſtrictè, ac perpetuò nobis interdicta ſit, ex Regula exploratum eſt; cum verò ea neceſſitas ſubeſt, quis modus, quęue cautelę in ea adhibendę ſint à ſuperioribus ex [e] Pontificum declaratione, & Regulę Expoſitoribus pręſcribi debent, quapropter huiuſmodi pecuniarum oblatio abſque ſuperiorum licentia à Ianitore nullo modo acceptentur. Res verò pretioſę, quibus Altiſſimę Paupertatis ſectatores vti minimè decet,

[b] S. Hieron. epiſt. ad Nepot.

[c] S. Aug. in Reg. 3. Reg. c. 28.

[d] S. Baſil. in Conſt. Mon. c. 35.

[e] S. Bern. li. 4. de conſid. c. 7.

[d] Conſtit. Fratrum Prædic. d. 1. c. 12. text 1

[e] Nic. 3. c. Exijt §. cęterum. Clement. Exiui. §. Porrò de verb. ſign.

[f] Hieron. à Polizio in c. 4. Reg. nu. 34.

decet, quęque tenuem ſtatum noſtrum excedunt; ſi offerantur, omninò repudientur; cuiuſmodi ſunt cultelli auro cęlati; cochlearia aurea, argentea, vel ex quolibet metallo fabrefacta, ſyphilagenulę, prętèrquam ligneę, vel opere fictili extructę, fuſcinulæ, dentiſcalpia, auriſcalpia, horologia rotata, portatilia, [a] Reliquiaria curioſa, ac pretioſa; denique quæcunque pretioſa iudicantur, ac proindè minus paupertatis noſtræ congruentia ſunt, ſiuè ea ad Eccleſiæ cultum, ſiuè ad Monaſterij vſum ſpectent, penitus recuſentur. Deus enim (vt monet Clemens Quintus) magis cordium puritate, quàm rerum nitore delectatur, præſertim vbi Paupertas promiſſa violatur.

[a] Stat. Carthuſ. p. 2. c. 12. nu. 9. 30.

Tandem rès quędam delicatæ, quæ ad delicias potiùs, quàm ad neceſſitatem pertinent, qualia ſunt edulia ſaccaro condita, fercula quædam, quæ ſenſus potiùs irritamenta ſunt, quàm ad famem extinguendam ſuaptè natura parata; cum vel fratribus priuatim, vel Monaſterio offeruntur: [b] ſatiùs eſſet, iuxta Sanctorum conſilium, reſpuere, quàm eas acceptando, intemperantiæ vitium prodere: [c] neque enim qui benè valent, his rebus indigent. Sed quia aliqui adſunt vel adeſſe poſſunt in Monaſterio ægroti, ea quidem ratione ſuſcipi poterunt, vt in ægrotorum vſum cedant. Cæterum quoties oblata aliqua repudianda ſunt: ea Ianitor non niſi conſultò ſuperiore ex illius mandato, verbis appoſitis recuſet: vt qui dona offert à nobis magis ædificatus recedat.

[b] S. Vin. tract. de vit. ſpir. c. 6

[c] Vita S. Bern. ſen. c. 53.

Sextum munus Ianitoris eſt, eleemoſynas pauperibus petentibus erogare; in quo ita prudenter, ac diſcretè ſe gerere debet, vt cum neminem, quoad fieri poterit, vacuũ à ſe dimittere debeat; vnius tamẽ cuiuſq; perſo-

Digitized by Google

perſonam, ac indigentiam conſideret, ac eleemoſynas debita diſcretione diſtribuat. Sunt enim ægroti, ſunt ætatè confecti, quorum neceſſitas paulò vberiùs, quàm aliorum ſubleuanda eſt: ſunt etiam Mulieres, aut Virgines iuuenes, quibus eleemoſynas dari noſtris Conſtitutionibus iuſtiſſimis de cauſis prohibitum eſt. His omnibus Ianitor prudenter ſatisfaciat: nullum durè, aut imperiosè alloquatur, ſed cunctis ex animo compatiès, humaniſſimis verbis illos conſoletur.

Septimum, ac poſtremum munus Ianitoris eſt hoſpites, ſiuè extraneos, ſiuè domeſticos in domum recipere, extraneos illos appello, qui noſtri Ordinis non ſunt. Domeſticos verò, qui vel in eiuſdem Domus familia recenſentur, vel ex alijs eiuſdem Ordinis noſtri, aut Prouinciæ Monaſterijs ad nos proficiſcuntur. Hos omnes benigniſſimè à Ianitore colligi oportet, eo tamen diſcrimine, vt extranei Hoſpites, niſi primùm impetrata ſuperioris facultate nullatenus in Domum ſuſcipiantur.

Sed quoniam externorum Hoſpitum varia ſunt genera; Ianitor à ſuperiore monendus eſt, ne à tota ditione Principis, aut Reipublicæ, in qua Monaſterium extructum eſt, proſcriptos, aut publicè facinoroſos homines recipiat. Religioſos quoque cuiuſcunque Ordinis Peregrinos ne introducat, donec eorum litteris, ſeu Obedientijs à ſuperiore perſpectis, ab eodem, illos introducendi facultatem acceperit: neminem alterius Ordinis Apoſtatam ſcienter hoſpitio excipiat. Eos verò, quos annuente ſuperiore in domum receperit, ſiuè ſeculares, ſiue Religioſos, humaniſſimè tractet; neque vlla Charitatis officia prętermittat, quibus iuxta Paupertatis noſtræ modulum (perſonarum, ac cuiuſque indigentiæ ratione habita) vniuerſos in Chriſto proſequatur.

Digitized by Google

Nostri autem hospites cum primùm ad Monasterium accesserint, reuerenter à Ianitore suscipiantur, ab eodêque ad superioris Cellam deducantur: qui vbi obedientiales litteras eidem ostenderint, mox à Ianitore regula pulsetur, vt eo signo admoniti Fratres, ad Charitatis officia promptè illis exhibenda concurrant.

DE OFFICIO PRAEFECTI *Aduenarum.*

CAP. XV.

a Const. *b* Vinb. de inst. offic. c.28.

a ADuenæ Fratres omni humanitatis, & Charitatis spiritu à nobis excipiêdi sunt, vt sanctissimis Cõstitutionum nostrarum legibus sancitum est; *b* idcircò in singulis domibus aliquis è Sacerdotum numero, vir prudens, natura affabilis, ac moribus compositus, ac præsertim Charitate præditus à superiore deligatur, cui Hospitum suscipiendorum cura demandetur, quique omni diligentia pium hoc munus sibi iniunctum exequatur. Monet enim *c* Apostolus: *Hospitalitatis nolite obliuisci; Per hanc enim placuerunt quidam Angelis hospitio recepti.* Huius in primis partes sunt, sudariorum, stragulorum, lanearum, ac straminearum culcitrarum, ceruicalium, atque eorum omnium curam gerere, quæ ad necessarium Cellarum hospitalium apparatum quoquomodo pertinent. Vas abluendis pedibus aptum, semper expeditum habeat, vt cum opus fuerit, illud aduenientium passim hospitum ministerio inseruire valeat, linteola munda capsula occlusa pro eorundem necessitate parata seruet, quæ vbi sordida fuerint, abluere, vel vt lauentur curare debet; semper habeat loca hospitum munda, ac decora, necessariaque sua suppellectili or-

c Hæb. 13.

Digitized by Google

si ornata. Horum verò necessaria suppellex erit lectulus, culcitra stramentitia, ac lanea, tum stragulo vno, vel pluribus iuxta variam temporis exigentiam; stramineis quoque geminis cerucalibus, longiori scilicet, & breuiori stratus: matula, mensula, scabellum, lucerna: curetque, vt Cellæ hospitales nonnullis Christi Crucifixi, B. Virginis, aut alijs deuotis sanctorum Imaginibus ornentur, quæ adspectantes ad pietatem mouerant. Culcitras laneas lineis operimentis tegat, ne facilè aut sordescãt, aut terantur: curet vt stragula, præsertim alba, cerucalia, culcitrarum operimenta, cum fuerint sordida, abluantur.

Is cum primùm regulę sonitum, quo Aduenarum fratrum aduentus significatur, audierit: statim cum sudarijs accurrat, tum vniuersis Charitatis officijs, quę à nobis exhiberi solent erga illos expletis, ipsis singulas hospitales cellas assignet; integra sua suppellectili ornatas, mutatorias vestes, linea femoralia, sudariola (si forte ijs indigent) promptè offerat, Loca ad purgandum, Aluum communia, qua parte sita sint, ostendat. Demũ accuratè inuigilet: ne eorum, quę ad honestum hospitium, commodum, aut necessitatem, iuxta simplicitatis nostrę formam, & Charitatis regulam esse possunt, illis quicquam desit: atque vt maiore studio, ac diligentia pio huic muneri incumbat, id sibi certò persuasum habeat, quoties circa Aduenas fratres opus suum peragit, se in ipsomet Christo Domino operam suam nauare, qui ait: [a] *Hospes eram, & collegistis me: & quandiù non fecistis vni de minoribus his, nec mihi fecistis.* [a] Matt. 25.

Digitized by Google

DE RITV, QVO PEREGRINI FRATRES recipi debent.

CAP. XVI.

AD Peregrinos præsertim nostri Ordinis domesticos sanctissima esse fœdera non à, tàm humanis, quàm diuinis legibus exploratùm est, vt qui sæculi cognatis, ac propinquis pro Christo Vale dixerunt, inter eiusdem instituti fratres hospitalitatis iura inuiolata reperiant: quare esse iubet [c] Apostolus, hospitales inuicem absque murmuratione. Hinc grauissimè nostris Constitutionibus sancitum est, vt Peregrini fratres, omni, quoad fieri potest, Charitatis affectu suscipiantur; nam, vt [d] Chrysostomus ait, *qualem mercedem habet, qui propter Deum peregrinatur, talem habet, qui suscipit peregrinantem; & fiunt ambo æquales; & qui propter Deũ refrigerat, & qui propter Deum laborat.* Si cum primùm ad nos aduentauerint, Domus superiorem adire debent, ac genuflexi ab eo benedictionem petere, tum obedientiales litteras eidem legendas porrigere. Superior verò, vbi legitimis litteris illos munitos viderit, benignè excipiat, & ad consueta Charitatis loca deducat, vbi tegula à Ianitore pulsata fuerit, cuncti illius familiæ fratres, tàm Sacerdotes, quam Clerici, ac Laici ad Charitatis munus erga illos explendum conueniant: & si Sacerdotes fuerint ab omnibus manus osculo excipiantur. Interea sudaria munda à Præfecto Aduenarum afferantur, ignis excitetur, & vt de more fieri consueuit, Alij manu linteolo obuoluta genuflexi illis sudorem abstergant; Alij calefacta sudaria bina singulis apponãt; Alij aquam tepidam floribus, aut herbis odoriferis admistam in polubro, seu labello infundant: tum omnibus genu-

[a] Plat. Dialog. de l. g.

[c] 1. Pet. 4. Const. c. 3.

[d] Chrysost. in Matth.

Digitized by Google

genuflexis, ac sudaria calefacientibus, dum Psalmus, aut Hymnus Deo pro bono hospitum aduentu, canitur, superior ipse, vbi mos commendabilis viget, hospitum pedes genuflexus lauet, linteolis abstergat, osculetur: atque alij circum circa genuflectentes, ac sudaria pedibus ministrantes, post superiorem pedes ipsorum & ipsi deosculentur, faustum ipsis aduentum deprecantes.

In Prouincijs verò, in quibus hic vsus, quod ad superiorem spectat, non inualuit, duo ex senioribus fratribus huic humilitatis, ac Charitatis officio incumbant; superior verò Patrum saltem, Prælatorum, ac insignium virorum, quotiès ad ipsum diuertunt, pedes abluat, & humilem, & Charitatis plenam prælationem præseferat.

Post hæc à Præfecto Aduenarum ad consueta hospitum loca deducantur, quæ iuxta Paupertatis nostrę modum, ita parata esse debent, vt nihil, quod ad honesta Hospitum nostrorum commoda necessarium sit, illis desit.

In Refectorio locus illis à Præfecto Refectorij in mensa, in qua consuetum est assignetur; lautiùsque, ac liberaliùs (salua tamen Religiosa paupertate, ac moderamine) quàm familię fratres tractentur: si alienæ nationis, aut Prouinciæ fuerint, per trium saltem dierum spatium, cumulatiori humanitate, singularique ciborum apparatu, quoad fieri poterit, quàm nostrates excipiantur. Qui verò eiusdem Prouinciæ extiterint, nec longo intinere defatigati fuerint, veluti qui ex propinquis Monasterijs interdum ad nos accedunt, ijs vnico tantum die Aduenarum Charitate, ac hospitalitate frui sufficiat.

Cæterum honor illis ab omnibus familiæ fratribus impen-

Digitized by Google

impendatur, cumulatiusque omnia beneuolentiæ, ac Charitatis signa illis exhibeantur, quo magis diuersarum, ac exterarum nationum sunt; ne vlla illis suspicio oboriri queat; quod propter nationis, idiomatis, morumque diuersitatem, minus quàm Cæteri nostrates diligantur, quapropter in publicis, priuatisque colloquijs, atque in vniuerso conuictu ea omnia tum dicta, tum facta vitentur, quæ vel minimum nationis alienæ contemptum, aut auersionem, aut frigidiorem in dilectione animum declarant: multo magis, quę vel totam nationem pungunt, vel ex quibus pax turbari, ac contentio accendi potest. At quamuis Aduenę fratres omni benignitate, & affabilitate excipiendi sint; nemo tamen, quandiù extra communem refectionem cibum sumunt, ad mensam cum illis collocuturus accedat, vt in generali Capitulo sancitum est, vt silentium, quod in Refectorio inter epulas perpetuum esse debet, inuiolatum seruetur.

DE OFFICIO PRAEFECTI *Communitati vestium.*

CAP. XVII.

FRatres, quibus ex Regulę præcepto rerum omnium proprietas interdicta est, cum ex communi Monasterij officina vestes, linea femoralia, sudariola, ac reliqua, quæ ad necessaria corporis indumenta pertinent, accipere debeant: Propterea superior cuiuslibet Domus aliquem ex fratribus Laicis, vel si hi desint, ex Sacerdotibus, huic muneri idoneum, vestium communitati præficere curabit; ne, si libera cuique rerum vsurpatio fuerit, aut inordinatus vsus, vestium quoque tandē com-

Digitized by Google

communitas pessùm eat. Qui igitur ad hoc munus eligitur, sedulò illa Christi verba apud se volutet: [a] *Nudus eram, & operuistis me*; vt nulli vnquam labori parcat, quo pium opus perfectissimè exerceat, quando dilectissimi Domini in vnoquoque fratrum se nuditatem operire non dubitat. [a] Matt. 25.

Huius itaque in primis partes erunt eorum omnium curam gerere, quę ad Fratrum vestitum pertinent, qualia sunt Habitus, tunicæ, caputia tam habitibus consuenda, quàm ad imbres coercendos apta, Pallia, Petię, Cordæ, linea femoralia, sudariola, sandalia, Instrumenta his omnibus custodiendis idonea (præterquam in Maioribus Domibus, in quibus futor sandaliorum propriam officinam habere debet, vt inferiùs explicabitur.) Horum omnium eam solicitudinem sibi conciliare curabit, vt nihil omninò eorum, quæ sibi commissa sunt, pereat, aut pessùm eat; Nemo quoque eorum, quæ ad vestium communitatem spectant, ipso incōsulto, sibi vsurpet: quapropter locus communitati vestium deputatus, sera obfirmandus erit, cuius ipse clauem perpetuò secum ferat.

Vestes nullas, femoralia nulla lacera esse patiatur; sed cum primum ea obsolescere animaduerterit, maturè, quoad fieri poterit, corroboret, & si quæ lacera sunt, resarciat; neque enim negligentię, aut lęsę Paupertatis crimine vacat, si quod lacerum, aut obsoletum est, sua culpa intereat.

Pręterea ad ipsius officium pertinet, femoralia, ac sudariola, singulo quoque bimestri, aut trimestri, fratribus omnibus ad communem laborem conuenientibus, primùm simplici aqua, deindè lixiuio abluere: demum aqua clara à lixiuio abstergere, & locis appositis, atque à secularium aspectu remotis explicata exsiccare. Id-

circò

circò in singulis Domibus locus habeatur camino instructus, suisque vtensilibus munitus, atque huic vsui accommodatus. Armariolum quoque claue obseratū propè loca communia constructum pateat, in cuius superiore parte duo foramina, æqualiter inter se distantia sese offerant, in quæ sordida femoralia, ac sudariola projiciantur, sua cuique appositā foramini femoralium, vel sudariolorū nota, ne ea inter se miscerī contingat.

Indumenta, quæ à Præfecto vestium mutuò accipiunt, sicut nostris Constitutionibus cautum est, eidem, lota, & munda reddant, quæ verò vel Infirmorum, vel Aduenarum vsui interdum inseruierunt, ea Præfectus, antequam in communem vestium locū referat, vel abluat, vel abluenda curet: ita vt nihil prorsus indumentorū, quod sordidum sit, communitatem ingrediatur; nam, etsi nimia in vestibus curiositas, aut affectata munditia fugienda sit; decens tamen munditia in ipso vili, ac pauperi habitu seruari debet: vnde [a] Hieronymus: *Ornatus, & sordes pari modo fugienda sunt, quia alterum delicias, alterum gloriam redolet.*

[a] Hieron. Epist.

Postremò ipsius muneris est singulis quibusque Sabbathi diebus in vespere singula mutatoria femoralia, ac bina sudariola ad singulas fratrum cellas munda deferre, & sicubi opus fuerit, præsertim æstiuo tempore, alia intra hebdomadam supererogare.

Atque hæc quidem pro illarum Prouinciarum vniformitate statuta sint, in quibus mos huiusmodi de femoralibus, ac sudariolis in commune ferendis olim receptus inoleuit. Reliquæ verò, in quibus adhuc modus à Constitutionibus præscriptus viget, antiquam, si placet, consuetudinem teneant: sed quoniam hæ admodū paucæ sunt, ipsis magis consultum videtur, vt ad omnē deformitatem è medio Religionis tollendam, nec non

ad

Digitized by Google

ad nonnullos haud sanè leues abusus præscindendos, ritum hunc cunctis ferè Prouincijs communem accipiant;& fratrum vniuersitas,sicut cæterarum rerum, ita etiam femoralium, ac strophiolorum communitatem vno spiritu amplectatur: Præsertim cum in eam B.P.N. Francisci mens conspiret,qui vestros,libros, imò & Breuiaria ipsa, ac reliquam Monasteriorum supellectilem in communi habendam esse,docebat.

DE OFFICIO SVTORIS SANDALIORVM.

CAP. XVIII.

QVamquam in singulis nostri Ordinis domibus, præsertim tenuioribus, propter exiguum fratrũ numerum, sutor sandaliorum institui non possit; in Maioribus tamen id fieri æquum est. Primum vt Peregrinorum fratrum, qui sæpè ad huiusmodi loca confluunt,quique Sandaliorum vel inopia laborant,vel instauratione indigent, necessitati satisfiat: sæpè enim accidit,vt qui eius artis sunt ignari,vel magis,vel minus corij, quàm opus sit in sandalijs conficiendis vel reficiendis insumant;quo fit,vt quod amplius est,deperdatur: quod autem minus est, id sæpe numero efficiat, vt sandalia arctiora, ac minus apta inueniantur, quàm vt ijs commodè quispiam vti possit. Pleraque etiam sandalia velut obsoleta,& inutilia pereunt,quæ sutoris industria,ac opera resarciri,& communi saltem vsui prodesse possent.

Quapropter sutor sandaliorum à Superiore institutus primam sui muneris partem esse sciat, vt corij ad sandalia conficienda,sandaliorum quoque,quæ vel defunctis fratribus supersunt,vel pro derelictis habentur,

Crepi-

Digitized by Google

Crepidarum, quæ Infirmorum interdum vsui inseruiũt, totius præterea sutoriæ artis suppellectilis fidei suæ commissæ; demum omnium, quæ ad Sandaliorum compositionem pertinent, adeo solicitam curam gerat, vt nihil eorum omninò depereat; quantumcunque enim illud vile sit, quod deperditur, si id ex negligentia contingat, culpa non vacat. Idcircò propriam officinam habeat sera occlusam, cuius ipse de superioris licentia clauem ferat: neque inscio superiore, quicquam ad ipsam spectans in cuiusquam vsum transferat, nisi fortè res minima sit, quæ tacitam superioris licentiam præseferat.

Altera quoque sui Muneris pars est, sandalia tàm pro domesticorum quàm pro Aduenarum fratrum vsu consuere; lacera, ac vetusta reficere: idcircò funiculos cannabaceos semper habeat paratos, vt quoties necessitas ingruit, fratribus indigentibus suam protinùs operam præstare valeat; sandalia, ac crepidas veteres, quę nullius vsui addicta interdum in angulis iacent, solicitè recolligat, neque ea perire sinat: sed vel disrupta consolidet, vt communi saltem vsui deseruire queant; vel si refici, aut consolidari non possunt, quæ in his adhuc integra sunt ad alia reparcienda transferat: [a] quarè diligenter curet, vt probè omnia nouerit, quæ ad huiusmodi artem exercendam sunt necessaria.

[a] Vmb. de inst. offic. c. 33.

Nemini noua, ac recentia sandalia paret, nisi qui huiusmodi à superiore facultatem obtinuerit. Porrò in sandalijs consuendis ne curiositatem, aut exquisitam, ac singularem in consuendo rationem perquirat; sed simplicem hactenus apud nos vsitatum modum sectetur, nemini magis, quàm Deo placere studens: neque existimet, vile illud ministerium esse, aut vllo modo tãquam vile erubescat; nullum enim, præsertim in Reli-

Idem.

gione

Digitized by Google

gione vile Ministerium habendum est, quod exigente superioris obedientia exercetur.

DE OFFICIO ELEEMOSYNARII.

CAP. XIX.

QVandoquidem ex nostri Ordinis instituto pauperem, ac rerum omnium indiguam pro Christo vitam agimus, ac summam inopiam pro summis diuitijs computamus, quælibet Domus suo Eleemosynario indiget, qui quotidianam pro fratrum victu ostiatim Eleemosynam emendicet. Idcircò superior aliquem ex Laicorum numero fratrem [a] eligat, maturum, prudentem, probis moribus ornatum, & spirituális sermonis non ignarum, cui vniuersa, quæ ad Domus necessitatem pertinent, quęritandi officium conferat. Qui enim in publico hominum conspectu versari debet, talis sit necesse est, vt ex eo omnes virtutum, ac morum disciplinam addiscant, quapropter is, cui huiusmodi officium ex obedientia iniungitur, & qui eidem associari debēt, profundè illud [b] Apostoli sibi in animo insculpant: *Spectaculum facti sumus Mundo, & Angelis, & hominibus*. Sciantque, ab ipsis totius Religiosę familię honorem, ac existimationem pendere: idcircò tam sanctè, ac prudenter suam cum hominibus conuersationem componant, ac tot virtutibus florere studeant, vt Christi bonus odor sint in omni loco.

[a] Vmb. de inst. offic. c. 21.

[b] 1. Cor. 4.

Huius in primis partes erunt, vniuersa, quę ad proprium munus spectant, quęque licent, quę etiam prohibentur, diligenter addiscere, ac tenere, ne vltrà commissi sibi officij terminos aliquid pręsumat. Porrò quę de more illi permittuntur, sunt: Panem, & vinum pro quotidiano

Digitized by Google

tidiano victu bis in hebdomada mendicare; ac præterea oleum, salem, ligna, fruges aliquas, & si quę alia quotidiano vitę vsui necessaria sunt, cum opus est superiore consulto, mendicare, res quasdam minimas velut. acus, fila, cartham, calamos, atque his similia, semel obtenta à superiore facultate, quærere.

Quę verò prohibentur, sunt: pecuniam, aut nummos à quocunque oblatos recipere, ac depositare; ad amicos spirituales, pro quacunque fratrum necessitate recurrere; Maiora quędam, ac pretiosa, quę intra rerũ minimarum limites non comprehenduntur, siue ea cõmuni totius Conuentus, siue singulari fratrum vsui necessaria, tàm apud nobiles, aut Mercatores, quàm apud alios quoscunque quærere; hęc enim specialem, ac expressam superioris facultatem, ac mãdatum semper expetunt, vt ab eo iustè præstari queant. Idcircò in maioribus Domibus vel è Sacerdotum, vel ex Laicorum numero alter eligi debet, cui (præterquam eorum, quę ad victum spectant,) aliarum rerum quęritandarum officiũm à superiore committatur: cui etiam negotiorum, siuè illius, siuè alterius Conuentus, si quę sunt in vrbe gerenda onus demandetur: ita vt Eleemosynarij munus ad ea tantum mendicanda se extendat, quę ad quotidianas tàm beneualentium, quàm Infirmorum Fratrum victus necessitates pertinent; quapropter in minoribus Domibus, nemo præter Eleemosynariũ Domus, & de licentia superioris: in Maioribus verò præter Deputatum quicquam apud seculares, aut secularium officinas quęrat.

Secunda Eleemosynarij muneris pars est, vt vniuersa longè animo ante vertat, quę tam quotidiano vsui, quàm cęteris Domus necessitatibus subleuandis sunt necessaria, vt de his superiorem admonere, & ea capta-

ta oc-

Digitized by Google

ea occasione,& tempestiuè prouidere queat. Eorum verò,quæ interdum oblata sunt,præsertim si res sint alicuius ponderis, nihil vnquàm ita absolutè recipiat, tametsi sibi necessarium videatur,quin Superioris consensum consulendum reseruet.

Sed quoniam eorum,quæ pro quotidiano victu quæritantur,vel ab alijs offeruntur,diuersa sunt genera ; ex his Eleemosynarius Panem,Vinum,fructus,& quæcunque fructuum nomine censentur,ac bellarijs inseruire solent,Præfecto Refectorij, præsertim in maioribus Domibus custodiẽda tradat, vt ab eo opportuno tempore mensis ministrentur,quæ verò esculẽta sunt,vel ad Præfectũ Infirmorũ,vel ad Coquinæ Magistrũ, vbi distinctis personis,diuersa hæc munera sunt commissa, deferat.

Verùm id magnopere cauere debet, quæ postrema sui muneris pars est,ne mendicando modũ, ac honestatem excedat;nimirum vt non nimis importunè,ac procaciter in Eleemosynis poscendis se gerat: ne ad iram potiùs,aut fastidium, quàm ad pietatem seculares moueat,sed captata tẽporis,ac ocij occasione ita honestè, ac prudenter in mendicandi munere se habeat, vt sua affabilitate,modestia,ac humilitate,eos etiam, à quibus nihil acceperit ædificatos dimittat; caueat quoque, ne in rebus mendicandis tam in earum copia, (quæ maior esse non debet,quàm necessitas ferat,) quàm in prętiositate sanctę paupertatis metas ægrediatur ; neq; ipsius incuria,quæ domui necessaria sunt,aliquando desint: sed ea mentis prudentia,ac solertia vtatur, vt opportunè, quæ necessaria sunt habeantur : & tamen necessitas, & Paupertas fœdere sempiterno sibi inuicem copulentur,& dextras iungant.

Vmb. de inst. offic. c.21.

Dum ostiatim Eleemosynas petit, nunquam ita se à socio disiungat, vt se inuicem videre non possint : ne-

Digitized by Google

que sine socio domum alicuius ingrediatur; præsertim cum in ea moram aliquam est facturus; sic enim decet, omnem mali suspicionem abstergere.

Cum Mulieribus neque in via, neque in Domo prolixa colloquia habeat. a Bernardum audiat clamantē: *Quis colligabit ignem in sinu suo, & non comburatur? Ignis, & stupa in vnum posita flammas nutriunt: quamquam sint contraria, si in vnum fuerint collocata flāmas generant; ita vir, & Mulier.* Idcircò vbi opus fuerit, paucis verbis ædificatorijs, ac simplicibus tam viros, quàm mulieres alloquatur, cauens in primis, ne de rebus Philosophicis, aut Theologicis, aut conscientiæ casibus decidendis, sese ingerere præsumat: sed cū primū de his interrogatus fuerit, humiliter respondeat, se tantarum rerum esse ignarum, ac propterea illos ad nostri, vel alterius ordinis Theologos consulendos mittat.

a D Bern. de mod. ben. viu. serm. 58.

DE OFFICIO PRAEFECTI REFECTORIO.

CAP. XX.

REfectionis quotidianæ necessitas, & rectus Religiosæ politiæ Ordo id exposcunt, vt in qualibet fratrū familia Minister industriùs à Superiore instituatur, qui Refectorio Præfectus eorum, quæ ad Ministeriū Refectorij spectant, solicitudinē gerat. Neq; leue existimet onus sibi impositum esse; tam enim sacer est Refectorij cultus, ac tam pretiosa Religiosorum mensa, quam sibi curandam suscipit, vt & Dei præsentia, & Sanctorū Angelorum aspectu fruatur. Hinc b Doctor quidam Deotus his verbis exclamat: *Felix, ac lætabunda Mensa, quam ipse Deus propria pulchrè perornat præsentia, in diuini se pensans, vesci vultus conspectu, pro suauissimo cātu bene-*

b Dyonis. Carth. de vit. sol. li. 1. art. 12.

Digitized by Google

benedictionem ante edulium; in eo diuinorum contuitum, & postremò gratiarum actionem exoluens.

Is igitus Doliorum, in quibus vinũ asseruatur, lagenarum, sasillorum, trullarum, paterarum testacearum, manticarũ, mappularum, manutergiorũ, ac reliquæ suppellectilis, quæ Refectorij vsui deseruit, custos esse debet diligentissimus: ita vt Dolia vini ita studiosè conseruẽtur, quod vinũ non acescat. Lagenas, trullas, pateras integras ac mundas custodiat: Peras mappulas, manutergia, cum opus fuerit, lauanda curet; mappulas verò, & manutergia bis saltem in hebdomada mũda adhibeat. Panem quoq; & Vinum cũ primùm ab Eleemosynario feruntur; solicitè suis locis reponat, & custodiat, vt nulla ex parte dãni aliquid patiantur, aut deteriora fiant: eodẽ quoq; modo caseũ, & cætera bellaria cũ afferũtur omni diligentia curet, ne à muribus corrodantur, aut marcescant; idcircò ad hæc custodienda Arcam, vel Armarium in Doliario habeat claue obfirmatum; Doliarium quoq; ipsum sera occlusum teneat iuxta antiquã nostræ Religionis consuetudinem.

Cæterũ ad ipsius munus spectat quotidiè mẽsas iuxta morẽ suã cuiq; mappula, cultro, ac debita panis portione assignata tempestiuè sternere; singulas quoq; vini, atq; aquæ trullas testaceas suis operculis obstructas, ac benè lotas inter quosq; binos fratres super ligneas bases statuere, atq; eodẽ modo salilla lignea, aut testacea mũda inter eos collocare; singulis verò singulas pateras testaceas mũdas, ac lotas, ac lignea coclearia assignare.

Cum autem nocturno tẽpore cœnatur, aut ieiuniorum tempore collatio fit, tot singulis mensis lucernas suis arundinibus pẽdentes, vt nostri moris est, coaptet, quot ad vnumquemq; illuminandũm sufficiant.

Eius quoq; partes sũt, caseũ, fructus, ac cætera bella-

Digitized by Google

ria,cũ opus eſt, menſis apponere, et ſi fortè aliqui mẽſæ principio nõ intersũt,cũ primũ aduẽtãt,prõptè cuilibet ſuã ciborũ portionẽ miniſtrare; circa mediã refectionẽ panis ciſtellulã menſis circumferre,ac diligenter obſeruare; nũ alicui vinũ,aqua,ſiuè alia neceſſaria deſint,atque ocyùs ſuppeditare. Aeſtiuo tẽpore bis in refectione aquã frigidã,ac recenter hauſtã in trullas infundere, & ſicubi opus fuerit, ante refectionẽ, teſta in puteũ demiſſa æſtuans Vinũ refrigerare,atq; alia id genus efficere,quæ ad honeſtum familiæ commodum,non tamen ſenſus delicias fouendas pertinent.

Deniq; ad ipſius munus ſpectat, vt Refectorij mẽſæ, mundiſſimæ,ac nitentes ſint, omni ſtudio laborare, cultros exacutos,ac fulgentes ſeruare, cochlearia lignea,vel ad ſummum cornea ad menſarum vſum parare, ac parata ſub finem refectionis colligere, & optimè cuſtodire, ne intereant. Cum ieiunatur, fructus aliquot vel crudos, vel coctos in veſpere pro collatione abſque mappulis, vt noſtri moris eſt, quantum cuique ſufficiat, menſis miniſtrare, atque eam rerum omnium, quæ ad refectorium ſpectant,ſolicitudinem gerere,vt in rerum viliſſimarum, quibus vtimur pauperie, maximè quoad fieri poterit munditia,ac nitor effulgeat.

DE OFFICIO MAGISTRI COQVINAE.

CAP. XXI.

INter Religiosæ Domus miniſteria non vile, aut infimũ eſt Popinarium munus: ab eo namque, velut à communi Conuentus vbere,tota fratrũ familia alimẽta ſuggit: Propterea Magiſter Popinæ vir induſtrius eſſe debet,fidelis,prudens, diſcretus, diligens, ac præſertim Cha-

Digitized by Google

Charitate non vulgari præditus, qui popinariam artem rectè, ac prudenter exercere sciat, vt cibos opportuno tempore honestè, ac mundè parare queat. Huius muneris dignitatem apud Cœnobitas præclaram, non obscurè saluator illis verbis commendat. [a] *Quis, putas, est fidelis seruus, & prudens, quem constituit Dominus super familiam suam, vt det illis cibum in tempore?* cui etiam æternam pro labore pollicetur mercedem, cum subijcit. *Beatus ille seruus, quem, cum venerit Dominus eius, inueniet sic facientem; Amen dico vobis, quoniam super omnia bona sua constituet eum.*

[a] Matt. 24.

Itaque ad eius in primis officium pertinet, Ahena, Cacabos, lebetes, ollas æneas, ac fictiles, testus, sartagines, craticulas, Rudiculas, lances, & scutellas testaceas, ac reliquam suppellectilem popinariam diligenter curare, ne aliqua ipsius iactura fiat, aut damni quidpiam patiatur. Is quoquè salis, olei, carnium, leguminum, Alliorum, Cœparum, Radicum, ac cæterarum rerum, quę popinæ vsui deseruiunt cuſtos esse debet sollicitus, ne ipsius incuria detrimentum aliquod faciant, aut sua culpa intereant.

Cellam promptuariam habeat Refectorio contiguã, mundam, ac optimo semper ordine dispositam, nonnullisque pijs Christi, ac B. Virginis imaginibus ornatam, in qua vniuersa, quę pro communi Conuentus refectione paranda sunt, seruet.

Alterum, ac potissimum ipsius munus est quotidie cibos pro communi Conuentus familia parare, ac opportuno tempore ministrare; bis quidem in die, cum non ieiunatur, nimirum mane pro prandio, vespere pro Cœna, semel autem dumtaxat tempore ieiuniorum circa meridiem. Porrò in cibis parandis mediocritatem illis seruare debet, quæ est inter nimium, & paucum: ita vt.

Digitized by Google

vt nec nimia ciborum copia exuberet, sed iuxta B.P.N. Francisci placitum non diuitum opulentas, sed tenues pauperum mẽsas imitetur, nec indiscreta paucitate familiam inedia nimium affligat, atque extenuet, præsertim cum non æquales sint corporum complexiones, sed aliæ sint alijs robustiores, quæ ampliorem ad sui sustentationem alimentorum copiam exposcunt; Ordinis etiam statuta seruare debet, ne scilicet in cibis condiendis aromatibus assiduè, imò nec frequenter vtatur: nec nimis lautè, atque opiparè diuitum more, epulas paret. Sed meminerit nos pauperem hic vitam agere, vt ampliora in Cœlo bona nobis expectare liceat: quapropter tam in his, quàm in lignorum, condimentorum, ac cæterarum rerum, sine quibus ars popinaria exerceri nó potest, paupertatem cum primis diligat.

[a] Vmb. de inst. off. c. 22.

Cæterum [a] in eo maximè solicitus esse debet, vt quæ ad fratrum refectionem spectant, ita promptè, ac tempestiuè sint parata, vt audito refectionis signo post horas, sine mora tegulam pulset; ne interim fratres otiosè expectantes, tempus frustrà conterant.

[a] Vmb. de inst. off. c. 28.
[b] Idem. ca. 22.

[a] Tertium quoque ipsius munus est iuxta fratrum numerum æquales ciborum portiones in cella penaria diuidere, atque in tabula collocare: cauens in primis, [b] ne ex personarum acceptione quicquam vel in tabula, vel extra tabulam præter ea, quæ ex communi distributione reliquis dantur, nisi ex superioris licentia, præterquam infirmis, vel itinere fessis, vel extraneis fratribus ministret. Peracta verò mensæ benedictione, & signo comedendi à superiore edito, (non antea) statim tabulam cum portionibus à fenestrella emittat. Si Aduenæ fratres cõmuni mensæ benedictioni interfuerint, post superiorem ante cæteros ciborum portiones, ex distincta tabula accipiant.

Escu-

Digitized by Google

Esculenta verò, quæ interdum è mensa tolluntur, ac familiæ supersunt, Magister Popinæ prudenter distinguere debet: nam si integra, aut eiusmodi fuerint, vt iterum honestè mensis ministrari possint, munda conseruet, & iuxta prudentiæ, ac sanctæ paupertatis regulas, vti melius sibi visum fuerit, paret: veruntamen munditiam ante omnia seruet; sin minus caueat, ne aliquid eorum sua incuria, ac negligentia pereat. Idcircò maturè Ianitorem admoneat, vt ea in pauperes erogari possint.

Aduenas fratres si eiusdem Prouinciæ fuerint, vnius, vel ad summum duorum dierum spatio iuxta maiorem, aut minorem itineris longitudinem, aut personarum exigentiam, præ cæteris paulò lautiùs, ac vberius tractet. Si verò extranei alterius Prouinciæ fuerint, ad tertium, vel ad quartum vsque diem humanius ab eo excipiantur.

Si Magister coquinæ discipulos sibi subiectos habuerit, curet diligenter, vt imperitos patienter, ac humaniter in re popinaria instituat, non iracundè, non turbulenter, si fortè errauerint, sed pacificè cum his agat, à verbis minacibus, ac iniuriosis, ac præsertim ab omni, tametsi leui percussione abstineat: sed in qualibet occupatione animi tranquillitatem seruans, se ipsum, ac suos ad omnem pro Christo laborem subeundum excitet; idque sibi persuasum habeat, id se muneris, ac officij erga fratres obire, quo olim Beati illi cœlorum spiritus erga Christum Dominum in deserto functi sunt, de quibus ait [a] Matthæus. *Et Angeli accesserunt, & Ministrabant ei.* [a] Matt. 4.

Digitized by Google

CAP. XXII.

PRæfecti Infirmorum munus adeò per ſe commendabile eſt, ac Diuinis oculis gratum, vt B. P. N. Frã ciſcus [b] inter cætera regularis diſciplinæ præcepta nihil magis probauerit, laudauerit, pręconijs extulerit, ac nobis inculcatum reliquerit, quàm vt eiuſmodi à nobis Infirmorum cura ageretur, quam quiſque ſibi, ſummo videlicet ſtudio impendi vellet.

[b] Regul. c.

Porrò Infirmorum Prefectus in primis natura affabilis eſſe debet, ac ſuauis eloquio, [a] vt humanis verbis infirmos ſolari, ac recreare valeat: patiens, ac mitis, vt moleſtias ægrotantium ferre, atque eorum infirmitatibus compati ſciat; prudens, ac peritus, vt quæ ægrotis noxia, quę vtilia ſunt, non ignoret; prouidus, ac diſcretus, vt quę, vel pro morborum curatione, vel pro Infirmorum refectione procuranda, ac paranda ſunt, vt opportuno tempore procurentur, ac parentur, prouideat. Denique tam ardenti Charitate prędituſ, vt nullum exiſtimet laborem, dies, noctesque in Infirmorum cura, ac miniſterio inſumere.

[a] Vmb. de inſt. off. ca. 26.

Huius primùm munus eſt, omnium, quę ad Infirmorum curam pertinent, ſolicitudinem gerere, ac prouidere, vt pro Infirmorum refectione quędam ſuppellex habeatur, vulgari, ac communi noſtra, paulò honeſtior, veluti mappulę paulò ſubtiliores, Paropſides, patinę, ac cyathi fictiles, vt Infirmorum mens eorum aſpectu delectata recreetur: Pręterea vt meliores, ac recentiores lodices, Culcitrę laneę, puluilli, ſi opus fuerit, lanei, ęgrotorum lectulis deſeruiant, nonnulla quoque ſudaria munda pro Infirmorum vſibus ſecernantur, Matulę, & ſcaphia

Digitized by Google

scaphia mundissima cuique apponantur, vitrea quoque simpla nitida in Infirmorum cellis presto sint, ad lotium excipiendum, ac medico, cum opus fuerit, ostendendū. Hęc omnia in Maioribus presertim domibus sub Præfecti Infirmorum cura sint, quæ mundissima esse debēt, vt in his nihil ægrotantium oculos offendere, aut animū affligere valeat.

Ad ipsius præterea officium spectat, Medicum, quoties opus est, de superioris licentia ad Infirmorum visitationem accersere, eorum statum, ac morborum symptomata eidem significare, ab eo victus rationem, quam ægroti obseruare debeant addiscere, neque vllatenus præterire: pharmaca opportuno tempore infirmis ministrare, quæcunque vel pro venæ sectione, vel pro cucurbiculis, aut pro clysterijs applicandis, vel alijs morborum remedijs necessaria sunt, suppeditare: idonea, ac proportionata cuique Infirmo cibaria suo tempore parare, ac ministrare. Cum ægroti graui, ac periculoso morbo laborant, ijs sedulò insistere; ipsis frequentiùs inseruire, ac indefessè eorum obsequijs inuigilare: demū quæcunque, siuè ad corporalem ægrotantium salutem, siuè ad morborum curationem, siuè ad perfectam conualescentium incolumitatem quoquo modo iuuant, ad proprium ipsius munus pertinent.

Caueat tamen, ne (iuxta *a* Constitutionum nostrarum præscriptum) vllos Medicinales, aut Chirurgicos actus; præsertim cum ex ijs aliquod periculum imminere posset, per se ipse absque vllo Medici consilio, aut imperio exerceat, sed in omnibus Medicum consulat, ac iuxta illius præceptum se gerat, quod si Sacerdos, aut Clericus fuerit, iuxta *b* Canonum decreta, ab omni prorsus Medicæ, aut Chirurgicæ artis functione abstineat.

a Const.

b C. Sententiam, ne Cler. vel monac.

Postremum tandem Præfecti Infirmorum munus est,

vt

vt cum primùm è fratribus quempiam emori contigerit, edat consuetum signum Campana, ac post euolutũ vnius horæ spatium, corpus defuncti aqua tepida, herbis odoriferis conspersa lauet, cæteris Laicis fratribus cunctis ad huiusmodi pium officium conuenientibus, atque adiuuantibus; tum obsoleto aliquo habitu indutum in feretro statuat: brachia in crucis modum componat, ligneique Crucifixi imaginem ante pectus collocet; & si Sacerdos fuerit, stolam illius collo imponens, eam in crucis modum ante pectus extendat; ac demum superiorem admoneat, vt cum tempus postulauerit, Defuncti corpus solitis cæremonijs ad Ecclesiã deferendum curet.

In minoribus quidem Domibus, in quibus Infirmorum copia nec tanta est, nec tam frequens: Præfecti Infirmorum munus ad Coquinæ Magistrum transferri potest, ita vt idem sit Coquinæ Magister, & Præfectus Infirmorum. In maximis verò Domibus, vbi munus Præfecti Infirmorum ab officio Magistri Coquinæ distinctũ est, distincta quoque loca, tam ad Coquinam, quàm ad Refectorium apta, distinctæ officinæ, distincta suppellex, distinctus quoque inseruientium numerus Præfecto Infirmorum assignari debent: ne alter alterius officium inuadat, aut impediat.

In his caueat Præfectus Infirmorum; ne ea, quæ pro Infirmis mendicata, vel empta, vel sponte à pijs viris oblata sunt, in beneualentium etiam Aduenarum vsum erogentur: nisi ea huiusmodi fuerint, quod diù conseruari non possint, tunc verò, si nulli adsint Infirmi, de licentia tantum superioris, antequam putrescant, vel magis indigentibus dari, vel in commune, tempore refectionis distribui debent.

Aegrotantes, seu ab infirmitate conualescentes, quan-

Digitized by Google

quandiù sub cura sunt Præfecti Infirmorum, eidem in cunctis, quæ ad suam ipsorum curationem spectant, libenter obediant: nullus eis cibum, fructus, aut bellaria, aut potum absque licentia Præfecti Infirmorum, ministrare audeat: neque ipsimet Infirmi præter ipsius, aut Medici consensum vlla, aut esculenta, aut poculenta, aut remedia sibi adhibeant, ne, dum sibi ipsis plus quò indulgere volunt, graue fortè damnum inferant; sed omnem proprij Corporis curam in Præfectum Infirmorum reijcientes, ab eo, quę sibi necessaria sunt, accipiant.

DE OFFICIO DEPVTATI INFIRMO.

CAP. XXIII.

GRauissimè à Maioribus nostris sancitum est, vt cũ primùm aliquis fratrum in morbum inciderit, præter Infirmarium, statim idoneus frater deputetur, qui diligentissimè eidem in omnibus ministret; quod in minoribus præsertim domibus obseruari necesse est, in quibus, cum idem sit Coquinę, ac Infirmorum Præfectus, nullius sæpè socij ope, aut subsidio adiutus Aegrotorum ministerio sat esse non potest, quapropter alter è Sacerdotibus, vel ex Clericis, vel ex Laicis fratribus à Superiore deputari debet, qui Aegrotanti sedulò ministret, vt quæ per se Infirmorum Præfectus præstare non potest, is, fraternæ Charitatis studio impellente, perficiat, & quidem piè apud Deum gloriari, eidemque summas gratias agere debent, qui hoc munere digni censentur; quo & sanctiores quique homines non tàm functi, quàm mirum in modum delectati sunt: & diuina in ipsis Charitas aucta, ad ampliores cœlestium gra-

Digitized by Google

gratiarum cumulos eorum animos parat; id asserente
a Eccles. 7. a Ecclesiastico, dum ait: *Non te pigeat visitare Infirmũ; ex his enim in dilectione firmaberis.*

Huius igitur primum munus erit ęgrotanti sedulò assistere, quę opus sunt, illi ministrare; sępè loci pauimentum verrere, ac herbis odoriferis aspergere, mensam florum vasculis, & folijs, cum per tempus licet, ad Infirmi solatium ornare: Puluinaria, cum immunda sint, mutare; matulas, & scaphia emundare: Cibos, & pharmaca ab Infirmorum Prępfecto parata, ægroto ministrare: cum ipso, si opus fuerit Diuinum officium persoluere; & cætera Charitatis officia, quę ægrum vel solari, vel iuuare possunt, eidem exhibere.

Alterum quoque ipsius munus est, cum ægrotantis morbus ingraueścit, superiorem admonere, vt maturè illi Sacramenta ministrari queant: Ac tunc quidem ipsius partes erunt, frequentiùs suauia quædam thymiamata in ægrotantis Cella conflagrare, vt & fœtor, qui multipliciter oriri solet, ex ea depellatur; & Infirmus suaui illo odore recreetur, floribus quoque, prout temporis ratio permiserit, ac flagrantibus quibusdam herbis mensam, ac pauimentum conspergere debet, ac præsertim cum sacrum Viaticum ad ægrotum est deferendum. Tunc enim ab eo, & Cella Infirmi diligenter verrenda, & floribus ornanda, aromata cremanda, mensa, ac lectus mappis mundissimis sternendi; In mensa lignea Christi Crucifixi imago collocanda est, vt fusiùs suo loco explicabitur: quæ etiam obseruare debet, cum extremæ vnctionis Sacramentum ægrotis ministratur.

Demum cum ægrotus mortis periculo laborat, ad eum spectat, facultate à superiore impetrata, in proxima Cella decubare, vt maturè ei subuenire queat, Agonizanti quoque assistere, pro eo orare, post expleta Ec-

clesiæ

Digitized by Google

cleſiæ miniſteria, Paſſionẽ Chriſti ſuper moribũdũ legere, ac verbis ſuauibus ad obitũ diſponere: quod ſi vigiliæ circa ęgrotũ agendę ſint, ne plus ęquo Deputatus grauetur; Vigiliarum horas ſuperior alijs quoque fratribus diſpertiri poterit. Aegroto verò ad obitum propè accedente ipſius munus erit, ſuperiorem admonere, vt illuc fratribus omnibus aduocatis, ſuffragia pro Animę egreſſu ab omnibus fiant, ac demum vbi expirauerit, Campanam pulſare, & iuxta ea, quę in ſuperiori capite dicta ſunt, debita circa corpus defuncti ſimul cum infirmorum Prędecto officia perſoluere.

DE OFFICIO HORTVLANI.

CAP. XXIV.

HOrtulani officium non mediocre ingenium poſtulat, quandoquidem vel ex perfecta illius artis peritia, vel ex longa annorum experientia, vniuerſas ſeminum, herbarum, ac virgultorum naturas, vegetationes, caſus, incrementa, cunctaque ſerendi, plantandi, rigandi, purgandi, ligandi, ſuffodiendi, eradicandi tempora perſpecta habere debet; ne ex eorum ignorantia, olera, aut virgulta ſpem ſeminatoris, aut Plantatoris fruſtrentur.

Hortulanus itaque in qualibet Domo à Superiore vnus ex Laicis fratribus inſtituatur, qui in Horti cultura peritus, natura robuſtus, ac laboris cum primis amator ſit. Is omnium ſeminum, ac vtenſilium, quę horti culturę deſeruiunt, veluti ligonum, batillorum, raſtrorũ, falcularum, & ſi quę alia ſunt, cuſtos ſit diligentiſſimus; neque ea abſque Superioris facultate alicui extra Domum accommodet. Cella, aut loco aliquo propè Hortum

Digitized by Google

tum contiguo frui debet, in quem vniuersam suppellectilem, cum primùm ea vsus fuerit, lotam, ac mundam, recondat, quam etiam, cum detrita fuerit, instaurandam curabit.

Præcipuum ipsius munus est, tellurem, quoties opus fuerit fodiendo, ac stercorando ad semina præparare, & suo tempore serere, quæ sata sunt, irrigare: quæ loci mutationem exigunt, in aliam Horti partem ritè stercoratam, ac paratam transplantare; eam ab inutilibus herbis expurgare: demum ea omnia præstare, quæ ad perfectam eorum generationem, & incrementū conducunt.

Inter hæc, quoniam quædam olerum genera sunt, quæ ampliorem terræ culturam depoſcunt: alia, quæ ad sui vegetationem fimum poſtulant; alia, quæ magis soli expoſita esse debent; alia, quæ maiori aquarum copia irrigari opus est; alia, quæ luxuriantium ramunculorum putatione indigent: hæc omnia doctus Hortulanus callere debet, ac suo quæque tempore præstare.

Ipsius quoque muneris est, Arbores, ac virgulta fructifera solicitè curare, circum ipsa effodere, stercorare, inserere, ac suis locis optimo ordine disponere: vites præterea nouas plantare, alere, luxuriantes putare, erratico lapsu serpentes erigere, ac suis pedamentis, atque adminiculis fulcire, Pergulanas purgare, ligare, atque his, vbi opus est, recentes rudicas, ac perticas, quibus sustententur apponere: vbi nemora intra Monasteria consita sunt, ea quoque quotannis ab inutilibus surculis expurgari debent: Caueat tamen, ne arborem vllam, nec vitem iuxta Constitutionum nostrarum leges, nisi, prius obtenta à Prouinciali Ministro facultate, cædat, aut eradicet.

In

In Horto ambulacra recto ordine tam ampla distinguat, quod duos saltem deambulantes capiant; quorum latera Saluia, Hyssopo, saliunca, vel absynthio, vel libanote Coronaria, aut his similibus odoriferis herbis sint stipata, quæ aduenarum fratrum pedum lotioni quoque inseruire poterunt. Nemora quoque suas paulò ampliores vias habeant, passim aliquibus pijs Oratorijs interscissas, si id commodè fieri potest, in quibus vel Caluariæ locus, vel Christi sepulchrum, vel Mons Aluernæ, B.P.N. Francisco sacris Stygmatibus insignito, decoratus, siuè alia pia mysteria ad pietatem inflammantia, simplici opere repræsententur. Viæ autem tàm nemorum, quàm Hortorum nullo unquam tempore mundissimæ sint, atque à pullulantibus herbis expurgatæ.

Porrò in his tàm Horti, quàm nemoris laboribus, si quando solus Hortulanus non sufficiat, caueat summopere ne seculares homines ad sui auxilium accersat: sed in maioribus domibus socius illi à Superiore adhibeatur, qui tamen Hortulano subsit, ac illius imperata faciat; in Minoribus verò curet superior, vt cum vel terra fodienda est, vel Brassica transplantanda, vel Hortus irrigandus, à cunctis familiæ fratribus eidem operam præstetur. Cæterum tàm in Maioribus, quàm in minoribus Domibus curent superiores, vt iuxta nostri Ordinis constitutiones, qui legitimo impedimento non detinentur, quotidiè vel in fodienda, vel irriganda terra, vel in ambulacris tàm Horti, quàm nemoris (vbi nemora sunt) expurgandis, laborent, neque secularium aliquem, nisi summa necessitas interdum vrgeat, ad id opus aduocent, ne famulorum secularium vsus, altissimæ quam professi sumus, Paupertatis inimicus pedetentim in ordinem irrepat.

Hor-

Digitized by Google

Hortulani præterea munus eſt, operam dare, vt herbæ, quæ frequentiùs in Coquinę vſum cedunt, veluti Porri, Cæpæ, Allia, Cucurbitę, Serpillum, Petroſellinum, Saluia, Burago, Betæ, Bugloſſum, Braſſica in Horto copioſiùs habeantur. Recentia quoqȩ legumina, quibus in vere fratres veſci ſolent, qualia ſunt fabæ, ac piſa noua, item Fęnicula, ac Aniſa ſuo tempore non deſint: Cicoreum præterea, Paſtinacas, Betas purpureas atque alias huius generis herbas, quæ ad radices ſeruandas ſeminantur, tempeſtiuè ſerere debet, ne conuentus familia, quæ his hyemali præſertim tempore veſci ſolet, earum ſolatio deſtituatur.

Rurſus ad Acetaria paranda, intubum, lactucas criſpas, ac laconicas, naſturcium, coronopum, mentam, Oxalim, Draconculum, Pimpinellam, Rapa Sylueſtria, atque huiuſmodi herbis perpetuò in aliqua Horti parte Coquinæ proxima, ab eo alenda ſunt, vt Magiſtro Coquinæ præſto eſſe poſſint.

Denique Hortulani officium eſt, Arborum fructus, Raphanos, fœnicula, aniſa paſſim opportuno tempore colligere, ac Præfecto Refectorij vel diſtribuenda, vel cuſtodienda tradere: Braſſicas, ac Intuba inſtante hyeme in aptiorem locum transferre; Cicoreum, Paſtinacas, Betas purpureas, ac cætera radicum genera, ex humo extrahere, & in faſciculos colligata ſub tecto, apto in loco arena operire.

Poſtremò cogitet Hortulanus, Chriſtum Dominum
a Ioan. 10. a Hortulani aliquando formam apud homines ſuſcepiſſe; Hinc eum velut ſibi prȩfectum in animo ſtatuęs, omnem laborem, ſtudium, ac diligentiam in Horto excolendo, libentiſſimè, ac fideliſſimè conferat, vt ab eo iuſtè prȩmium aliquando expoſcere queat. Antequam ſe ad laborem accingat, animo piè in Deum erecto, vniuer-

Digitized by Google

vniuersas suas corporales exercitationes ad ipsius amorem dirigat, cunctaque corporis, & animæ instrumenta, quibus eas exantlare parat, eidem possidenda, ac gubernanda consignet. Inter laborandum verò, mentem vel aliquo Dominicæ Passionis mysterio, vel diuinarum aliarum rerum contemplatione detentam, in Deum suspensam gerat: eo enim fiet, vt & in labore requiem, & in æstu temperiem inueniat.

DE OFFICIO PRAEFECTI LANIFICIO.

CAP. XXV.

QVi præest Lanificio vir cum primis sanctæ Paupertatis amator, regularis, atque Euangelici silẽtij custos, atque omnium virtutum æmulator esse debet, vt Charitatis officium, quod quotidianam, atque assiduam corporis exercitationem efflagitat, piè, ac religiosè explere queat.

Pro opere Lanificij Domuncula à reliquo Monasterij corpore separata deseruiat; ne strepitus Lanificij Infirmos, aut litterarum studijs deditos, aut orationi vacantes conturbet, ac totius Conuentus silentium impediat: in ea aliquot mansiunculæ distinctæ esse debẽt, vt commodè Lanificium exerceri valeat, Altera pro lanarum custodia, altera pro lanificio; Amplior verò pro textrina.

Pro quolibet opere lanificij tres saltem operarij, fratres Præfecto subsint, ac idem pareant, quibus ipse propria munera, ac opera dispertiatur, quod si textrinum opus multiplicari contigerit, numerus quoque operariorum augeatur oportet; qui multiplici operi incumbant, in quo ipsius præsertim Præfecti iudicium expectãdum erit.

Digitized by Google

Præfectus Lanificij curam gerat ſolicitam, ne lana vel ex loci humiditate, vel aliundè dãni aliquid patiatur: omnia quoque vtenſilia, quę lanificio inſeruiunt, ſuę fidei erunt concredita, vt integra, quoad fieri poterit ſeruentur, quę verò aut diuturno vſu corroſa, aut caſu effracta fuerint, inſtauranda curabit.

Cum primũ ipſe, & ſocij coadiutores ad laborem accedunt, omnes ſimul in textrina, ante aliquam Chriſti, aut B. Virg. imaginem genuflectentes, breui oratione humiliter à Deo benè operandi opem depoſcãt, in eumq; omnem ſuum laborem, velut in metam referant: Porrò ante laborem recitent ter, Pater noſter, & Aue Maria, ad diuinum auxilium impenſius implorandum.

In labore ſilentium perpetuò ſeruent, niſi aliqua loquendi neceſſitas vrgeat; in eoque mentem, quoad fieri poterit, in Deo ſuſpenſam gerant, ne otioſa per vanas, & inutiles, atque etiam pernicioſas cogitationes, quę à Dęmone excitari ſolent, euagetur: nugæ, ſcurrilitates, facetiæ, ac otioſa verba omninò ab ipſis exulent; quin & otioſis, & nugacibus fratribus textrinæ oſtium ſit occluſum, neq; vllus à Præfecto lanificij ingredi permittatur, niſi qui, vel ſilentium obſeruet, vel ſpiritualem aliquam lectionem, aut ſermonem illis adminiſtret. Ad orationẽ mentalem, ac Refectionem communem diù, noctuque cum alijs fratribus conueniant, quod verò ad cætera cõmunia exercitia ſpectat, ſuperioris, ac præſertim Prouincialis Miniſtri ordinationibus obtemperent, qui decernere poterunt, quando, & à quibus communibus exercitijs eximi debeant.

Curet magnopere Prçfectus lanificij, vt iuxta Regionum, ac Prouinciarum conditionem, ac lanarum qualitatem, panni ab ipſis contexti viliſſimi ſint, ita vt in ea Prouincia viliores rectè exiſtimari queant: ſic enim, & noſtris

Digitized by Google

noſtris Conſtitutionibus cautum eſt, & Altiſſimæ Paupertatis ſectatores decet: Caueatque præſertim à Dæmonio meridiano, ne ſcilicet in Prouincijs, vbi rudiores tantum lanę colliguntur, Hiſpanicas, aut prętioſiores lanas aliundè ſibi quęrat, eo prętextu, vt meliores, ac ſolidiores pannos conficiat: ſed eo lanitio contentus ſit, quod in vnaquaque Prouincia oritur, & in ea commune, ac vulgare eſſe ſolet. Poterit tamen inter lanas diſcernere, rudioresque ad ſtragula ſecernere, molliores verò ad pannos conſtruendos ſeruare; Id enim Pręfecti prudentiam, ac ſolertiam expoſcit, qua citra omne temeratę Paupertatis periculum vti poteſt.

Olei quoque penuria minimè ita deterreatur, quin tantum lanificio imperti atur, quantum ad nendum, & ad commodam panni texturam ſit ſatis; neque enim Ordinis noſtri Paupertas neceſſaria denegat, ſed tãtum ſuperuacanea tollit.

In ipſa verò panni textura prudens ſit, ac perſpicax, ne eiuſmodi litia inſerantur, quę pannum contrahant, ac rugas inuehant; ſed omni ex parte, quoad fieri poterit, pannum ęquè extenſum conſtruatur.

Poſtremò tam in Lanis abluendis, quàm in calcandis pannis, pręſertim vbi hęc extra Monaſterium pręſtantur, diligenter animaduertat, ne vana, ac ſuperflua cum ſecularibus viris colloquia miſceantur: neque aliquid minus religioſa grauitate dignum fiat; ſed tanta honeſtate, ac morum compoſitione, quiſque opus ſuum perficiat, vt ſingularem in aliorum animis ędificationem pariant.

Finis Primæ Partis.

Digitized by Google

SECVNDA PARS.

DE RELIGIOSA QVORVNDAM domesticorum actuum Disciplina.

DE PVBLICIS ACCVSATIONIBVS, & modo paternarum correptionem.

CAP. I.

[a] D. Basil. in Reg. fus. disp. inter 37. D. Bened. in Reg. ca. 46. Ord. Carthus. stat. p. 2. c. 8. Carmelit. Discalc. in Reg. c. 10. Ord. Præmonstr. stat. dist. 1. c. 6

ACCVSATIONES Capitulares, quas Alij proclamationes vocant, tam longo, ac diuturno inter Monasticæ vitæ Professores vsu receptæ, atque approbatæ sunt, vt nullus prorsus Monachorum, aut Regularium Ordo olim à Patribus institutus fuerit, qui cum eas inter primas, ac præcipuas Monasticarum Constitutionum Regulas collocandas duxerit, ac lege colendas præscripserint, sacras non habuerit; neque id sanè immeritò: Nihil enim cum ad tuendam Regularis Disciplinæ incolumitatem, tum ad virtutum studium, in Religiosorum animis promouendum, ijs vtilius quicquam excogitari potuit: si quidem vt [b] Bernardus ait: *Pars regulæ est regularis correptio, & in ea reperitur non solùm bonæ vitæ institutio, sed & emendatio prauæ*; quapropter de illarum vtilitate agens [c] Tritemius, ita scribit: *vtinam scirent omnes Clausirales quantum eis volun-*

[b] D. Bern. de disp. & præcep.

[c] Tritem. li. de tripl. Reg. Claustr.

Digitized by Google

voluntariè sustinentibus proclamationes capitulares ad meritum vitæ sempiternæ proficiant, omnes accusationes, & iniurias pro amore Dei cum ingenti gaudio sustinerent.

Hinc grauissimè Ordinis nostri Constitutionibus sancitum est, vt publicę accusationes in Refectorio, quod nobis Capituli loco cedit, à nostris peragantur.

Primum igitur, signo Refectionis Matutinę à Prefecto Refectorij post Ecclesię signum, regula pulsato, cuncti familię fratres, præter ægrotos, & eos, qui à Superiore legitimè impediuntur, sine mora, debita cum grauitate ad Refectorium conueniant, antequam Mensę benedictio inchoetur; [a] qui verò tardius, vel post inchoatam benedictionem, vel peracta benedictione accesserint, post benedictionem tandiù in medio Refectorij genuflexi, capite inclinato, ac supplices maneant, quoad à superiore illis surgendi, & ad mensam eundi, facultas facta fuerit. In ingressu Refectorij omnes genuflectant, & ante Imaginem Refectorij procumbant, humumque pręreuerentia deosculentur.

[a] Reg. S. Aug. ca. 4. Reg. S. Pachom.

Qui à Professione triennium in Religione nondum excesserunt, ij iuxta nostrarum [b] Constitutionum leges quotidie seipsos publicè accusare debent. Qui verò quartum in Religione annum expleuerunt, à quotidiana accusatione, Prouincialis Ministri, seu Guardiani, nō autem Vicarij localis auctoritate, absolui debent, nisi aliqua eorum culpa exigente, accusationis tempus longiùs illis à Ministro Prouinciali protrahatur. Hi ergo iuxta Constitutionum nostrarum indulgentiam, ter tantum singulis hebdomadibus, nimirum diebus Lunæ, Mercurij, & Veneris ante Matutinam refectionem in Refectorio coram superiore se ipsos proclamabunt.

Cuncti igitur statutis proprię accusationis diebus in

Digitized by Google

Refectorio genuflexi Superioris aduentum expectent, qui vbi ad superiorem locum peruenerit, genuflexusq; ante imaginem de more procubuerit, iuxta veterem Religionis morem stans, non sedens, eorum accusationes audiat. Porro inter eos, qui seipsos accusant, Religionis Ordo seruetur, vt qui in Religione tempore priores, ac prouectiores sunt, cæteros humilitate antecellant, ac priùs se ipsos accusent, atque ita gradatim cæteri sequantur, donec ad infimum peruentum fuerit.

In his quoniam plerumque viri graues, ac senectute grauati esse solent, poterit superior cuilibet horum, post iniunctam illis pœnitentiam, annuere, vt à genuflexione surgant; quo diutiùs cæterorum præsertim Iuuenum correptioni valeat insistere.

Fratres verò dum se ipsos accusant, genuflexi, ac profundè coram superiore inclinati iunctis manibus, eas tantummodo culpas humiliter aperiant, quas vel circa Regularum disciplinam, vel Constitutionum obseruantiam admiserint, quatenus (vt inquit [a] D. Hieronymus) stimulata mens stimulo accusationis, ac verberum, caueat accusanda, ac pudenda committere: nec tamen (vt idem protinùs subijcit) propter hoc occulta cogitamina cordium prodantur, neque occulta peccata, quæ solis debent Sacerdotibus confiteri: sed solum quæ præceptis obuiant publicis, & alijs exempla peccandi præbent.

[a] D. Hieronym. in Reg. Monial. c 9.

Cæterum qui seipsos accusant, id non ore tenus, aut de more præstare debent: sed memores Christi Domini vilitatis, & abiectionis, tanto humilitatis spiritu seipsos coram omnibus contemnant, vt etiam dura, & aspera pœnitentiæ opera sibi à superiore iniungi cupiant. Si quidem, vt [b] Gregorius ait: Humilitatis indicium est, peccatum suum accusare, & accusantibus non negare;

[b] Greg. lib. 22. mor. c. 14.

Idcir-

Digitized by Google

Idcircò cum primis animaduertant, ne vllo colore quæsito culpas, aut negligentias suas excusent, aut in alterum lapsum reijciant. Turpissimè enim è Religiosi hominis ore excusationis verbum egreditur, ac tum maximè cum locus accusationem, non excusationem poscit: Hinc pius quidam [a] Doctor exclamat: *Quàm fœdum, quamque periculosum est, per vitium excusationis, & in loco humilitatis superbire, & in loco contemptionis differi, & in loco absolutionis in peccato arctiùs ligari.* [b] Climacum potiùs audiant ita monentem: *Aperi, denuda, detege Medico vulnus tuum. Dic age, noli confundi. Meum vulnus est, Pater mea plaga, cuius mihi causa fuit, non alterius, sed mea negligentia.*

[a] Adam. serm. 14.

[b] Clim. in Scal. coel. grad. 4.

Caueant tandem ne ob superioris correptionem obmurmurent, aut ab eo illatam sibi iniuriam conquerantur; id enim non tàm turpe, quàm vitiosum existimari debet, neque vlla ratione excusari possunt, quin in arrogantiæ crimen impingant, quocunque se prætextu defendant. Nam vt docet [c] Gregorius: arrogantes sicut inflantur laudibus, ita inflammantur correctionibus, & in malis suis fomitem defensionis exquirunt. Quod si interdum iniustè à Superiore corripi, aut pœnam sibi infligi videatur, culpam suam tamè, nisi interrogati, nullo modo defendant: quæ enim defenditur culpa, teste [d] Gregorio, geminatur. Sed patienter pœnam, aut confusionem propter Dominum substineant, & in ara cordis Deo adoleant; donec ipsorum innocentiam Deus aperiat; neque enim hominum confusionem Dei seruus extimescere debet, vbi mens à peccato est immunis, sed salubertimam illam B. P. N. [e] Francisci admonitionem memoria teneant, qua perfectum hominem describens, ita aiebat: *Beatus seruus, qui non est velox ad se excusandum, & humiliter sustinet verecundiam, & reprehensionem de peccato, vbi culpam non commisit.*

[c] S. Greg. li. 26 mor. cap. 1.

[d] Lib. 4. mor. c. 24.

[e] In admonit. ad Fratres.

Digitized by Google

Quamobrem fratribus omnibus consultum est, vt cũ primùm ad sui ipsorum accusationem accedunt, ita animum humilitate, sui abiectione, ac patiendi cupiditate imbuant, vt ad omnem confusionem, ac pœnam æquanimiter tolerandam paratum habeant.

Superior verò, qui erga Religiosum gregem, non tam Custodis, quàm Medici munus subeundum suscepit, quæ sui officij sunt, diligenter curet. Neque enim leuis illius culpa erit, si subditorum vulnera, & excessus dissimulans, ac silentio præteriens, morbosas, ac languentes pecudes, sub vanæ pietatis prætextu, non curet; vulnera correptionibus non perstringat; oleum, vinumque prudenter non infundat; ex quo tãdem Gregis interitus sequatur. *Qui enim* (inquit Gregorius) *non corripit resecanda, committit, & facientis culpam habet, qui quod posset corrigere, negligit emendare*; Certè nec veri Pastores, sed potiùs Mercenarij, neque Euangelici Canes Dominici ouilis custodes, sed Canes muti, non valentes latrare, ij Religiosarum Domorum Superiores censendi sunt, qui errantes subditos corripere vel negligant vel extimescant, quos merito [a] D. Gregorius his verbis suggillat: *Sæpè Rectores improuidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui liberè recta pertimescunt, & iuxta Veritatis vocem nequaquam iam Gregis custodiæ, Pastorum studio, sed Mercenariorum vitæ deseruiunt, quia veniente Lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt: tunc namque [b] Propheta eos increpat dicens: Canes muti non valentes latrare.*

Greg. in Reg.

[a] S. Greg. Past. p. 2. cap. 4.

[b] Isa. 56.

Quare Superiores nostri omnem penitus ex animo metum abijcientes, solo Religiosæ, ac Regularis disciplinæ tuendæ studio allecti, confidenter in Domino munus suum exequantur, Correptionibusque suorum subditorum statis diebus, non obiter, aut superficialiter, sed grauiter, ac sedulò insistant; ne si hæ rariùs, aut frigi-

dius

diùs fiant, vel paulatim desuescant, vel duriores, ac graviores deindè subditis videantur.

Attamen ne odiosæ reddantur correctiones, caueat superior, ne se plus æquo in his seueriorem exhibeat: sed iuxta [c] D. Gregorium; regat disciplinæ vigor mansuetudinem, & mansuetudo ornet vigorem, & sic alterum commendetur ex altero, vt nec vigor sit rigidus, nec mansuetudo dissoluta. Perpendat prudenter apud se vniuscuiusque subditi naturam, & spiritualem profectum, ex his quę, quando mitiores, quando acriores correptiones adhibendæ sint, addiscat. [c] Greg. in Past.

Quamobrem in correptionibus adhibendis ab omni prorsus iracundiæ, aut turbati animi specie abstineat. Nam vt [d] Tullius ait: In quibus vtendum est fortasse, & vocis contentione maiore, & verborum grauitate acriore, ea facere non videamur irati, sed vt ad vrendū, & secandum Medici. Neque verbis iniuriosis, duris, mordacibus, qualia à seculoribus viris interdum vsurpari solent, vel natalium, aut naturalium defectum exprobatiuis vtantur: demum ab ijs omnibus vacent, quę vel odium aliquod in animo conceptum, vel vindictæ appetitum præseferunt; sed potiùs [e] D. Basilium docentem audiant, quo pacto in correptionibus sese gerere debeant: *In adhibendis verò* (ait) *curationibus his, qui vitioso animi affectu aliquo laborant, consuetudinem imitari Medicorum debet, vt videlicet ægris non irascatur: sed contra morbum ipsum pugnet, in eoque impugnando, duriore victus ratione, si ita res postulat, animi vitia sanet. At verò qua ratione contra vitia pugnandum sit, protinus explicat subdens: veluti inanem gloriam abiectioribus exercitijs imponendis: futilem, & otiosam loquacitatem, silentio: immodicum somnum peruigilio, & excubijs orationum: segnitiem corporis laboribus imponendis* [d] Cic. li. 1. de offic. [e] D. Basil. in Reg. fus. resp. 51.

Digitized by Google

dis grauioribus: edacitatem indecoram Ieiunio: Murmurationem à Reliquis segregatione. Hæc sapienter Basilius. Deniquè se ipsos accusantes, placidè, pacatèque, religiosis, ac Paternis huiusmodi verbis corripiat, quibus eorum animus, vel ad emendationem moueri, vel ad profectum excitari queat.

Idcircò iuxta Patrum doctrinam, superiori consultū est, si quid graue in Refectorio emendandum se obtulerit, prius delinquentem Fratrem secreta, ac benigna increpatione semel, atque iterum, si oportuerit, admoneat, vt eò faciliùs, ac suauiùs ipsum ad culpæ emendationem trahat. Hinc enim potissimus in correptionibus finis à superiore sibi præstituendus est, vt Frater ab errore, ac culpa resipiscat. In leuibus autem culpis, quæ passim absque notabili subditorum confusione in Refectorio corrigi solent, id minimè obseruādum erit, præsertim si Iuuenes, ac tenerioris in Religione ætatis fuerint, quos varijs mortificationibus, ac seueriori disciplina, vt Ordinis nostri consuetudo fert, exerceri oportet.

Pœnitentiæ quoque illę à superiore iniungi debent, quę non iudiciale forum, sed paternam tantummodo correptionem sapiant, veluti se ipsos flagellare, abstinere à vino, à Carnibus, ab Obsonio, à fructibus, humi comedere, vittas ante oculos ligare, ligna in ore gestare, lingua humum lambere, atque alię huiusmodi, quę antiquo Religionis vsu in Refectorio plerumquè etiam citra omnem culpam, ad virtutis tantum exercitationem imponi solent; neque enim opera pœnitentię, quę in Refectorio passim fieri iubentur, ad erroris vindictam infliguntur, sed ad errantis potiùs commodum, atque vtilitatem; imò sępissimè ad virtutis profectum spectāt: vt ijs magis in sui ipsorum contemptu, abiectione, ac humilitate

militate crescere discant.

Quapropter id omnibus ex Patrum declaratione manifestum sit, omnes quoscunque pœnitentiæ actus, qui extra iudiciale forum in Refectorio absq; vllo scripto fratribus à superiore imponuntur: nullatenus eorū famam, aut existimationem lædere, aut minuere; imò nequè vllo modo attingere, sed omnes ad paternam tantummodo correptionem spectare, quò fit, vt superiores Domorum, neque verbis, neque vlla pœnitentiæ iniunctione ea delicta in Refectorio persequi debeant, quæ quoquo modo ad iudiciale forum deduci valent: sed si quæ eiusmodi offenderint, ea Ministro Prouinciali corrigenda seruent. Nulli verò superiorum Localium liceat, pœnas fori iudicialis, veluti Caparrônem, flagellationem alterius manu exercendam, Carcerem, atque alia huiusmodi in communibus accusationibus, pro pœnitentijs imponere.

Cæterum, qui se ipsos proclamant, tandiu genuflexi, ac supplices maneant, quoad superior correptionem absoluerit, ac salutarem pœnitentiam, prout res postulat, indixerit: à quibus ex sacrorum Canonum, & Constitutionum nostrarum præscripto nemo prorsus appellare audeat.

Porrò superior siuè pœnas iniungat, siuè immunes à Pœnitentijs dimittat, semper tamen illis Pater, & Aue Maria, brachijs in modum Crucis extensis dicenda imponat. Quod si interdum supradictis diebus subditorum culpas, ex causa audire noluerit, Pater noster, & Aue Maria, semel, ter, vel quinquies, prout illi visum fuerit, eodem modo illis recitanda iniungat, quæ ipse quoque genuflexus eodem ritu cum illis persoluat. Qui verò aliquas à superiore pœnitentias explendas acceperunt; si quæ ad mortificationem deferenda susceperunt,

Digitized by Google

perunt, quemadmodum ante oculos vittas, vel in ore bacillos, vel è collo vas aliquod pendens, ea etiam post refectionem non deponant, nisi facultatem à superiore acceperint: vbi autem pœnitentiam expleuerint, tam ante, quam post refectionem genuflexi in Refectorio dicant. Pater pro amore Dei sit hæc Charitas vestra; nec antea surgant, quam surgendi licentiam à superiore impetrauerint. Quod si interdum superior in Refectorio publicam alicui flagellationem iniunxerit; is peracta benedictione in angulo, vel in calce Refectorij, vbi nullæ mensæ adsunt, genuflectens, cingulum soluat, atque habitum vsque ad humeros exuat, brachijs intra manicas retentis, ita vt pars corporis anterior habitu tegenda videri non possit: neque antea flagellationem incipiat, quam superior mensæ signum ediderit, quo edito, Psalmum Miserere, deuotè, ac morosè inchoet simul cum flagellatione, ac tandiù prosequatur, quoad superior Mensæ percussione finem flagellationis indixerit: mox habitum induens, ac manus lauans in medio Refectorij genuflexus dicat: Pater propter amorem Dei sit hæc Charitas vestra; atque ibi tandiù toto corpore inclinatus maneat, donec superior eundi ad mensam illi copiam fecerit.

DE DISCIPLINA IN REFECTORIO seruanda.

CAP. II.

REligiosa plebs nisi exactissimo, ac certo quodam rerum ordine contineatur, facilè in confusionē, ac inordinationem prolabitur. Ea propter, vt omne inordinationis, ac deformitatis vitium, quo Religionis decor, ac venustas deperditur, à nobis quàm longissimè exulet,

Digitized by Google

exulet, certi, ac perpetui ritus diuturno Ordinis nostri vsu approbati, prescribendi sunt, quos in publica, & communi Refectione cuiusque Religiosæ Domus familia obseruare debeat.

Capitulari igitur culparum correptione peracta, signum Benedictionis leui mensæ percussione à Superiore indici debet, quo edito cuncti humo deosculata surgant, stantesque ante mensas, suo quisquè ordine, Chorus nimirum ad Chorum conuersus, tegulæ sonitum expectent, qua à Præfecto Refectorij quatuor, vel quinque ictibus pulsata, Hebdomadarius benedictionem clara voce inchoabit, dicens: *Benedicite*, vtroque Choro respondente *Benedicite*; Tum Hebdomadarius obseruata Benedictionum varietate, quæ iuxta Rubricas, cuique tempori accommodari debent; illas prior prosequatur, vtroque Choro simul canente: tùm absoluta oratione Dominica, post quam dixerit: *Et ne nos inducas* &c. Stans versus principalem mensam, quæ est mẽsa Superioris, det Benedictionem semel tantum proferens signum Crucis manu protensa, dicens; *Oremus. Benedic Domine nos* &c. quo dicto Acolythus, ad medium Refectorij pergens, dicat: *Iube Domne benedicere*: Cui hebdomadarius in matutina Refectione, extra tempus Ieiunij respondeat: *Mensæ Cœlestis* &c. In vespertina verò, aut tempore Ieiunij: *Ad cœnam vitæ æternæ* &c. Acolythus autem protinus subiungat; *Deus Charitas est* &c.

Benedictione absoluta omnes de more genuflectant, & à Superiore benedictionem expectent, qui versa facie illis benedicat, mox ad suam quisque sedem se recipiat, quo cum peruenerint; [a] Nemo mappulam suam explicare audeat, sed iunctis manibus paulisper ad Dominum orans expectet, donec Superior comedendi signum

[a] Reg. Pachom. ar. 2

Digitized by Google

gnum ediderit: quo audito prior Acolythus petita à Superiore benedictione Euangelij librum, ac caput præcedenti die intermissum, clara, ac intelligibili voce legat, præter quam in die Veneris, in quo vt Constitutionibus nostris præscriptum est, B.P.N. Francisci Regula, ac testamentum legi debent) ne solæ fauces cibum sumant, sed & aures esuriant verbum Dei: neque is à lectione cesset, donec à Superiore, legendi finem signo percussionis mensæ acceperit.

Post Euangelij lectionem in celebrioribus festis à secundo Acolytho legatur Historia Sancti, vel Festiuitatis, de qua agitur solemnitas, apud Auctorem probatũ, ac grauem exarata. Reliquis verò temporibus Euangelio succedat liber aliquis pius, vulgari idiomatè conscriptus, iuxta Cathalogum librorum, qui hic describuntur. Nimirum.

Constitutiones Ordinis nostri quolibet bimestri.
Chronicon Ordinis.
Conformitates B.P.N. Francisci.
Thomas de Kempis de Imitatione Christi.
Laurentius Iustinianus de Vita solitaria.
Disciplina Nouitiorum S. Bonauenturæ.
Stimulus Diuini Amoris eiusdem.
Plactus de Bono statu Religiosi.
Pharetra Diuini Amoris Lanspergij.
Vita Christi Landulphi Charthus.
Dyonisius Charthusianus de quatuor Nouissimis.
Nonnulli moderni Auctores tam ex Ordine nostro, quàm ex alijs: vti.
Opera Fratris Alexij Segalæ.
Opus de Triplici voluntate.
Gerson de Perfectione Religiosa.
Rodriquez de vita Perfecta.

Et si

Digitized by Google

Et si qui alij ad pietatem inflammantes Superioribus visi fuerint, his annecti poterunt.

Post Acolythos, ac Clericos; Sacerdos ordine postremus, ac reliqui suo ordine successiuè lectorum munere fungantur, qui tamen vbi mediocri aliquo temporis interuallo lectioni incubuerint, nullo expectato à Superiore signo, cum voluerint, à lectione cessabunt, & librũ alteri porrigent.

Nullus nisi à Superiore facultate impetrata, ante gratiarum actionem à mensa audeat recedere. [a] Nemo in mensa loquatur: sed summum silentium in ea ab omnibus seruetur, ita vt nullius mussitatio, aut vox nisi solius legentis ibi audiatur. Quod si fortè cuipiam aliquid necessarium defuerit in mensa, lagenula leuiter cultello percussa signi sonitum ministranti dabit; vt olim Angelus [b] Pachomianis præscripsit, & apud [c] antiquissimos Monachos iàm olim lege receptum est.

[a] Reg. S. Bened. c. 38. Reg. S. August. c. 1. C. cum ad Monasterium de statu Monach.

[b] Reg. Pachom. art. 3

[c] Reg. S. Bened. c. 38.

Cæterum conuescentes Fratres id serio apud se reuoluant; Duos sibi Hospites in ea refectione nutriendos: corpus nimirum, & animam: & quicquid in corpus contulerint, id statim effundi; quod autem in Animam, seruari. Porrò animus non nisi Verbo Dei pascitur, ac saginatur; idcircò inter edendum lectioni aures adeò attentas præbere debent, vt potiùs audire, quàm comedere videantur. Denique [d] Bernardi consilium est: *Cum Manducas, nequaquam totus manduces: sed corpore tuo refectionem suam procurante, mens suam non negligat, sed de memoria suauitatis Domini, vel scripturarum aliquid, quod eam pascat, meditando; vel saltem memorando ruminet, & digerat.*

[d] Bernard. ep. ad Fratres de Mõte Dei.

Ciborum auiditatem, quę ex nimia edendi celeritate proditur, velut turpem, ac Religiosis hominibus indecoram studiosè coerceant; nam vt [e] Hieronymus ait: *Non*

[e] Hieron. in Reg. Monach.

Digitized by Google

Non tantum in comestione cibus, quantum turpis, & indecens modus reprehendendus est: nam & in fabis, atque hordeaceis panibus nimia auiditas grande causat peccatum; quare in capiendo cibo omnem celeritatem fugiant, ne canes potiùs, ac bestias, quàm homines imitari videantur.

Quin etiam ipsa illis ventris saturitas vitanda est, ne animum obruat, & carnem aduersus spiritum armet. Nota quippè est [b] Isidori sententia: saturitati semper libidinem coniunctam esse, eamque vt [c] Climacus ait, omnium malarum cogitationum, atque somniorum seminarium existere. Quibus illud [d] Bernardi suffragatur dicentis. *Panem ipsum cum mensura studebo sumere, ne onerato ventre, stare ad orandum tedeat, & ne improperet mihi Propheta: quia Panem meum comederim in saturitate: sed ne simplici quidem aqua ingurgitare me assuescam, ne distentio ventris vsque ad titillationem pertingat libidinis.*

[b] Isid. li. 2. Sol. l.
[c] Clim. in comp. dict. recap.
[d] S. Bern. serm. 66. in Cant.

Porrò nimis turpe, ac Religioso homine indignum est, de cibis sibi appositis minus lautioribus, vel inconditis obmurmurare; vel nimis accuratum se sibi Medicum exhibere: qui enim propter cibum obmurmurãt, teste [e] Basilio: Iudicium eorum, qui in Deserto murmurauerunt, habent. Qui verò de cibis conqueruntur, quod sibi noceant, molliores se Ascetas esse declarant, qui in epulis non vitam, sed meliorem corporis statum quærunt, quos meritò [d] Bernardus redarguit his verbis: *Quale est hoc, vt in totis fluuijs, agris, et hortis, cellarijsque reperiri vix possit, quod comedas: Attende te, quæso, Monachum esse, non Medicum, nec de complexione iudicandum esse, sed de Professione, Parce, obsecro, primum tuæ quieti; parce deindè ministrantium labori, parce grauamini Domus; parce conscientiæ non tuæ duntaxat, sed alterius*

[e] S. Basil. in Reg. breu. resp. 133.
[d] D. Bern. serm. 30. in Cant.

Digitized by Google

ſerius quoque quem ſcandalizas.

His igitur, quæ in quotidiano conuictu vitia obrepere ſolent, reſecatis, deuotus Aſceta abſtinentiam, ac cæteras Refectorij virtutes ſibi in ipſo Refectorij ingreſſu amplectẽdas proponat, quas ſtrenuè deinde proſequatur. Viliora fercula, ſi quando lautiora miniſtrentur, ſemper ſibi eligat: neq; tamen in ijs appetitum, aut ſaturitatem quęrat; fieri enim poteſt, teſte [b] Auguſtino, vt ſine aliquo vitio cupidinis, vel voracitatis pretioſiſſimo cibo ſapiens vtatur: Inſipiens autem fœdiſſima gulæ flãma in viliſſimum olus exardeſcat. Atq; vt ad id faciliùs, & efficacius moueatur, Chriſtũ pauperẽ ſibi in qualibet refectione ante oculos proponat ab eo Eleemoſynã poſcentem, cui, piaculum ſibi videatur, quę ex eſca, vel potu ſibi miniſtratis meliora ſunt, denegare, neq; vllatenus dubitet, quicquid ſibi ſubtraxerit, in Chriſtũ erogari. Poſtremò [c] oculos à vagatione cõpeſcat, ne videlicet alios conueſcentes circũſpiciat. Turpe enim vitiũ eſt (ſi [d] D. Bonauenturæ credimus) inter epulas oculis vagari, vbi potiùs pudicè, ac demiſſis luminibus ea tantum, quę ſibi appoſita ſunt, quiſque attẽdere debet. Hęc Aegyptiorum Monachorum olim diſciplina fuit, quibus, vt refert [e] Caſſianus, ea in comedendo oculorum cuſtodia erat, vt cucullis vltra oculorum palpebras demiſſis (ne ſcilicet liber aſpectus habeat curioſiùs copiam euagandi) nihil amplius intuerentur, quàm menſam, & appoſitos in ea, vel quos ex ea capiunt cibos: ita vt quemadmodum, vel quantum reficiat alius, nullus inuicem notaret.

[b] D. Aug. de Doct. Chriſtiana.

[c] Reg Pachom. art. 11.

[d] Bonau. p. 1. ſpecul. Diſcip c. 17

[e] Caſſ. li. 4. Inſt. Renunc. c. 17.

His pro ſpirituali menſę Diſciplina breuiter commemoratis, ad externas cæremonias redeo. Superior, quoties Præfectum Refectorij accerſere voluerit, leuiter lagenulam cultello percutiat; cum verò in fine refectionis

Digitized by Google

nis à mensa surgendum est, prius superior Clericos, ac Laicos surgere iubeat, deinde si necessarium erit cæteros quoq; Sacerdotes, quos vel ætas, vel dignitas non excusant, qui dispertitis inter se officijs; alij priùs esculenta, quę vel integra, vel adhuc vtilia superfuerunt, non manu, sed cultello colligant, & in mundo catino reponant. Alij pulmenta, si quę residua sunt, asportent: tum verò alij mensam circumeuntes, vndique vasa omnia immunda in sportas, aut Canistros recipientes ad Coquinæ lauatorium deferant. Alij lagenas; Alij pateras, alij salilla: alij mappulas inde asportantes, quæque suis locis reponant. Alij scopula mensas emundent, vel si quid quisquiliorum in mensa offenderint, illud in Cistella, scopula verrente accipiant, ne Refectorii pauimentum conspurcent: Alii tandem leuidensa mensas confricent. Qui autem post gratiarum actionem adhuc decumbunt, post refectionem, quæ sibi parata erant, in propriũ locum asportent.

Quibus absolutis superior surgens à mensa, bina mensæ percussione det omnibus surgendi signum, quo audito prius tegulæ signum, mox Hebdomadarii vox statim sequatur, clara voce intonantis: *Tu autem Domine miserere nobis*. Statimque omnes surgentes respondeant: *Deo gratias*; ac deindè Hebdomadarius gratiarum actionem tempori cõgruentem inchoet, quam cæteri vsque ad Psalmum, *Miserere*, vel alium, pro temporum ratione prosequantur in Refectorio: Inchoato vero Psalmo, non antea, omnes caput ante imaginem, quæ in Refectorio est, inclinantes, bini, & bini grauiter ad Chorum procedant, quò vbi peruenerint, ante Sacramentum genuflectant, atque ibique genuflexi tandiù expectent, donec superior aspersorium de manu Laici, aut Clerici iunioris accipiens, eos aqua benedicta

dicta aſperſerit. Aſperſi adſuam quiſque ſedem pergat: vbi ſtantes gratiarum actionem iuxta eccleſiaſticas Regulas abſoluant, Hebdomadario verſiculos, ac orationē decantante: Poſt Orationem, *Retribuere, dignare Domine* &c. cum dicendum eſt *Pater noſter*, omnes genuflectant, & dicto, *Deus det nobis ſuam pacem*, addatur Antiphona: *Salue Regina*, cum ℣. *Aue Maria, gratia plena Dominus tecum*, & ℟. *Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui*, & oratione, *Gratiam tuam, quæſumus Domine* &c. Præterquam in triduo maioris Hebdomadæ, in quo obſeruari debet modus in Breuiario preſcriptus. Denique dictis oratione, *Pater noſter, & Aue Maria*, & facto ſigno ab Hebdomadario leui percuſſione manuum, ſuperior dicat: Laus, & gratiarū actio ſit Domino noſtro Ieſu Chriſto, cui ſtatim reſpondent vterque Chorus: ſemper Laus &c. Eadem ferè in Refectione veſpertina obſeruanda ſunt, nonnullis exceptis. Primum, quod in ea nulla culparum ſit proclamatio. Secundo, quod omnes erecti benedictionem expectant. Tertio, quod tàm benedictio menſę, quàm gratiarum actio iuxta Rubricam Breuiarii mutatur. Quarto, quod gratię Deo non in Choro, ſed in Refectorio redduntur. Quinto, quod in fine non dicitur Antiph. *Salue Regina*, ſed dicto, *Deus det nobis ſuam pacē*, ſuperior dicit Laus, & gratiarum actio &c. Quo abſoluto ſtatim vniuerſi profundè iaclinati, ac ſupplices benedictionem à ſuperiore petant, vna voce dicentes *Benedicite*, quam ſuperior & ipſe genuflexus illis à Deo precari debet dicens: *Benedictione perpetua benedicat vos Pater æternus*, vel aliam benedictionem ad placitum vſurpans: quę benedictio diebus leiuniorum poſt Completorium datur.

In diebus leiunii edito Veſpertinę collationis ſi-

Digitized by Google

gno, omnes ad Refectorium conueniant, vbi post reuerentiam prostratione corporis Imagini exhibitam, stantes superiorem expectent, qui ingressus prius de more ante imaginem procumbat; tum benedictio ab Hebdomadario inchoabitur hoc modo: primùm Hebdomadarius dicat, *Benedicite*, sicut in prandio, stantibus omnibus, ac respondentibus, *Benedicite*, quo dicto omnes genuflectentes simul clara voce dicant, *Aue Maria*, qua expleta, Hebdomadarius solus surgens formet signum Crucis super mensas dicens: Hoc Donum Charitatis benedicat dextera Dei Patris. Reliqui verò respondeant, *Amen*; deindè humum ante imaginem deosculantes, quisque ad suum se recipiat locum, ac sedendo de iis, quę appositа sunt manducent, aut bibant.

Absoluta collatione superior signo edito vniuersa è mensa asportari, & mensas euerri iubeat; Deindè alio signo surgendi facto. Hebdomadarius stans dicat.

℟. *Adiutorium nostrum in nomine Domini.*

Cęteri quoque stantes respondeant.

℟. *Qui fecit Cœlum, & terram.*

℣. *Sit nomen Domini benedictum.*

℟. *Ex hoc nunc, & vsque in seculum.*

Et prætermisso. *Oremus.* subiungat.

Retribuere dignare Domine omnibus &c.

℣. *Benedicamus Domino.*

℟. *Deo gratias.*

℣. *Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.* ℟. *Amen.*

Tum profundè inclinati dicant secretò, *Pater noster*, quo dicto Hebdomadarius cum reliquis genuflectens addat. *Deus det nobis suam pacem.* Omnesq; genuflexi respondeant. *Amen.* Postea superior dicat:

Laus,

Digitized by Google

Laus, & gratiarum actio sit &c. Reliquis respondentibus: *Semper laus* &c. tum omnes surgant, & à Refectorio recedant.

DE IEIVNIO IN PANE, ET AQVA diebus quibusdam solemnioribus seruando.

CAP. III.

SAnctissimo P.N. Francisco, ac nostris prioris illius seculi Patribus ieiunium in pane, & aqua adeò familiare fuit, vt vix vllo anni tempore aliud quicquam, præter hæc sibi ad victum ministrari permitterent; quin etiam Beatissimo Patriarchæ nostro aqua tam breuis, & arcta fuit, teste D. Bonauentura, vt cum siti plurimum æstuaret, eam illius potu extinguere non auderet; quo fit, vt legitimis tam Egregij Patriarchæ Filijs, ac strenuis tantorum Patrum imitatoribus minimè durum, aut graue videri deberet, si solemniores saltem quasdam vigilias, quæ sacratiores anni dies præcedere solent; velut legitima sempiterna, solemniori hac ieiunij forma sibi celebrandas statuerent: eo siquidem fieret, vt quo arctioribus ieiunijs caro extenuaretur, spiritus pinguiori deuotione saginaretur, & quanto magis exterior homo ciborum inedia affectus esset, ac sensus oblectatione careret, tanto vberiùs interior homo ad copiosiora Dei dona percipienda disponeretur.

Dies igitur solemni hoc ieiunio panis, & aquæ ex consilio consecrandi, erunt omnes sextæ feriæ, quę in mense Martio continentur, feria sexta in Parasceue: Peruigilium Assumptionis B. Virginis mense Augusti: Peruigilium Natiuitatis eiusdem in mense Septembri: Peruigilium B.P.N. Francisci mense Octobris: Peruigi-

Digitized by Google

lium Conceptionis B. M. Virg. in menſe Decembri: Peruigilium Natiuitatis Domini in eodem menſe: Peruigilium Annuntiationis B. Virginis in menſe Martio, niſi illud occurrat intra tempus Paſchale. Cęterum qui ſtomachi morbo laborant à ſuperiore poterunt diſpenſari, vt pro aqua vino propter ſtomachum vtantur.

Cum verò hæ vigiliæ celebrantur conſultum eſt, vt omnes in Refectorio ſe ipſos publicè flagellent: quod ſi ſuperior in eo cæteris exemplo eſſe voluerit, rem ſuperiore dignam præſtabit, qui ſe ipſum exemplum bonorum operum, teſte Apoſtolo, præbere debet: Iuniores verò præſertim Clerici, & qui quartum in Religione annum nondum expleuerunt, ſi ſuperiori viſum fuerit, humi genuflexi comedant, vt qui cœleſti vocatione poſteriores ſunt, rigidioris diſciplinæ auſteritate cæteros antecellant. Veruntamen in ſexta feria Paraſcęue pręter Ieiunium, & flagellationem, cuncti humi genuflexi refectionem ſumant, ijs exceptis, qui iuſtis de cauſis à ſuperiore diſpenſantur.

DE DISCIPLINA APVD IGNEM IN calefactione ſeruanda.

CAP. IV.

TAm profectò excellens, ac perfecta eſſe debet Religioſorum, ac præſertim Fratrum Minorum vita, vt ipſę quoque domeſticæ actiones, quæ paſſim, ac quotidiè abſque vllo diſcrimine fiunt, quæque vulgares, atque humanæ vitę neceſſariæ haberi ſolent, ea virtutum luce fulgere debeant, vt quicunque in ipſas oculos coniecerint, mox cœleſtis, ac Religioſæ diſciplinæ ornamenta eſſe credant. Ipſa enim ſpiritualis profectus ratio,

Digitized by Google

ratio, quę nos vbique comitari debet, planè exigit, vt nihil otiosè, inutiliter nihil, nihil à nobis sinè virtute fiat: neque leuis culpę esse finit, si quod ad virtutis profectum, ac spirituales opes augendas plurimùm conferre potest, nostro vitio, ac negligentia sine fructu, ac Dei gloria prętereat. Idcircò Fratres in qualibet animi, & corporis actione Deum vbique, ac semper sibi pręsentem habere contendant, certoque sibi persuadeant, Deum non tam operis substantiam, quàm operis modũ perpendere, ac proinde eos etiam, qui infimi humanę vitę actus putantur, si prestantissimo animo fiant, maximè Deo placere, & mirum in modum ad spiritualem vitę profectum conducere.

Quamobrem cum, bruma poscente, ignis pro tota familia ad frigus pellendum instruendus est, id non passim, & pro cuiusque voluntate fiat; sed locorum, temporum, ac regionum habita ratione, quod superioris iudicio relinquendum est; semel in nocte, nimirum Matutinis horis peractis, & ter ad summum in die, videlicet post Conuentualem Missam, & vtranque Matutinam, ac Vespertinam refectionem, ignis publicè à Clericis paretur, nisi superior alijs hoc munus committere maluerit.

Porrò ij, quibus huiusmodi officium à superiore demandatum fuerit, post Vespertinam calefactionem, aridorum fasciculorum quantum sufficit, commodo loco Popinę proximo pro nocturna calefactione parent: tum post Matutinas horas, sine Orationis iam instante, vnius miserere spatio ante illius finem, qui clepsamedrium moderatur signum edat, quo illi admoniti statim ad instruendum ignem pergant.

In magnis Domibus, in quibus copiosa familia degit, si locus omnes capere non possit, alter post primum, no-

Digitized by Google

uis fasciculis adiunctis, ignis excitetur. Prunę verò ; quę interdum in camino supersunt solicitè à Sacrista in tripode colligantur, & in Chorum, vel Sacristiam ad loci humiditatem tollendam, deferantur: idem quoque & in diurna calefactione seruetur.

Cęterum igne nocturno tempore post Matutinum officium instructo, superior, vel qui ibi maior fuerit, Matutinum B. Virginis inchoet, si illud in Choro persolutum non fuerit, quod omnes deuotè, ac debitis interualis obseruatis vsque ad finem prosequantur: Hebdomadario, & Acolythis proprium munus obseruantibus. Quod si in Choro absolutum fuit, Graduales, aut Pœnitentiales Psalmi eodem ritu recitentur, aut breuiores orationes prout qualitas temporis, aut Religionis requirit. In diurnis autem calefactionibus dicantur pro Benefactoribus viuis, ac Defunctis Psalmi *Miserere mei Deus* &c. *Deus Misereatur nostri* &c. *De profundis* &c. *Pater noster* &c. *Et ne nos inducas* &c. *Oremus. Pro Benefactoribus nostris. Retribuere Dignare Domine* &c. *Oremus. Pro fidelibus Defunctis.* ℟. *Requiem æternam* &c. *Requiescant in pace. Domine exaudi orationem meam* &c. *Dominus vobiscum* &c. *Oratio. Omnipotens sempiterne Deus, qui viuorum* &c.

Fratres verò se ipsos calefacientes non sedeant, sed stantes, modestiam, ac honestatem seruent, ne scilicet tibias, aut nimium extollant, aut immodestè distorqueãt, vel habitu vsque ad genua sublato, quę honestè videri non possunt, inhonestè denudent.

Silentium verò perpetuò colant, ita vt nulli liceat in publica calefactione sermones miscere. Ignis enim, qui Petro, vt Christum negaret persuasit, facilè verba otiosa à nobis extorquet, atque inde in vitiosa, ac murmuratoria præcipites ducit.

DE

Digitized by Google

DE DISCIPLINA IN CELLA seruanda.

CAP. V.

CElla Religiosis viris ad perfectionem anhelãtibus semper familiaris fuit; nam vt [a] D.Bernardus ait: *Cœli, & Cellæ habitatio cognata est, & quemadmodum ad inuicem videntur habere aliquam cognationem nominis, sic & pietatis; A Cella enim sæpè ad Cœlum ascendimus.* Certè mira sunt, quę ab [b] Ambrosio, [c] Bernardo, [d] Dorotheo, [e] B.Laurentio Iustiniano, atque ab aliis Sanctis Patribus, ac præsertim à [f] D.Basilio in Cellę commendationem dicuntur, cuius, hęc sunt verba. *O Cella spirituale prorsus habitaculum; namque de Superbis facis humiles, de gulosis sobrios; de crudelibus pios, de iracundis mites, de odiosis reddis in diuina Charitate feruentes: Tu vigliarum, & ieiuniorum nutrix: tu patientiæ, ac pacis perfectissima custos: tu purissimæ simplicitatis magistra, ac omninò fraudulentæ duplicitatis ignara: tu nosti homines ad perfectionis culmen euehere, atque ad consummatæ sanctitatis fastigium sublimare.*

[a] D. Bern. ad fratres de monte Dei.

[b] S. Amb. ad Sabin. ep. 91.

[c] S. Bern. ad fratres de monte Dei.

[d] S. Dorot. dist. 12.

[e] B. Laur. Iust. de vit. solit. c. 12.

[f] S. Basil. de Laud. Heremi.

Quamobrem fratres suę vocationis non immemores id in primis curare debent, vt sint diligentes Cellę custodes, ac boni Cellitæ; quod si vel obedientia impellente, vel fraterna suadente Charitate, inde illos egredi oportuerit, ad ipsam quantocyùs reuertantur, ne externæ vagationis vulnera sibi repentè inflicta gemant.

Porrò cũ in Cella fuerint, ibi haud secus se habeant, quàm si in platea, ac propatulo essent, omnium oculis expositi: Honestatem, verecundiam, ac modestiam solitarij tàm perfectè colant, perindè ac si soli non essent. Cellam ne curiosè ornent, sed paucis, ac simplicibus Chri-

Digitized by Google

Christi Crucifixi, B. Virginis, ac piis Sanctorum Imaginibus sint contenti; nimia enim ornatus curiositas oculos distrahit, ac mentem à Cœlestium rerum contemplatione auocat. Caueant maximè, ne aromata, aut suffimenta ad inodorandam Cellam, in ea seruent, ne Cellam aromaticam potiùs, quàm Eremiticam (obiurgante a Bernardo) sibi elegisse videantur. A superfluis, pretiosis, ac curiosis abhorreant, quæ cum instituto nostro rerum omnium pauperrimo pugnant: sed vilibus tantum necessariis, quæque pauperum vsui sunt accommodata, delectentur. Lectus iuxta Religionis nostræ vsum sit pauper, paleis stratus, ac rudi tela opertus; scabellum humile, Mensula ad scribendum, ac studendum sufficiens, Lucerna vilis, imagines simplices ex cartha, libri necessarii. Demum quæ vana, quæ ridicula, quę otiosa, quę esculenta, aut poculenta sunt, à Cella seruorum Dei penitùs excludantur: talisque Cella illius sit, qualis pœnitentem, ac seculi Contemptorem decet. Cum verò è cubili surgunt, præsertim in manè, statim lectum sternant, & Cellam componant.

a S. Bern. ad fratres de monte Dei.

Latibula ad res occultandas in Cella non struant, vt omnia superiori aperta esse possint, si interdum eorum Cellas visitare voluerit. a Cum verò perpetuum tàm in Cella, quam in Dormitorio silentium esse debeat; summopere cauere debẽt, ne alienam Cellã diu, noctuè ad Confabulandum ingrediantur: quod si interdum necessitas cogat, aliquem ex Fratribus per diem in Cella conuenire, non priùs Cellæ ostium aperiant, quàm ianuam pulsauerint, ac post pulsum audierint, Ingredere; ac tum submissa voce, ac breuiter apertis Cellæ foribus, rem expediant. Nocturno verò tempore post salutationem Angelicam nemo prorsus absq; superioris licentia alterius Cellam ingrediatur. In lecto eam hone-

a Reg. Pachom. Stat. Cõg. S. Sal. c. 13. Stat. Ord. Præm. Stat. Ord. Oliuet. in c. 22. Reg. 5 Bened. Reg. commun. Soc. Iesu Reg. 33

Digitized by Google

honeſtatem ſeruent, vt nunquam ita habitum contrahant, quod partem aliquam Corporis in honeſtè denudent; ſed eam membrorum compoſitionem cuſtodiãt, quam [b] S. Bonauentura his verbis præſcribit: *Honeſtè, & compoſitè iaceas in dextro, vel ſiniſtro latere, nunquã tamen ſupinus, vel aliter inhoneſtus; nunquam dormias cum manibus in ſinu poſitis, nec cruribus eleuatis, vel diſcoopertis, ſed ſemper teneas tunicam inter crura, vt nullus inueniat te inhoneſtè iacentem.*

[b] S. Bonau. in ſpec. Nouit. c. 7.

Cæterum dormituris ante ſomnum dat [a] Bernardus conſilium ſic ſcribens. *Iturus ergo ad ſomnum, ſemper aliquid defer tecum in memoria, vel cogitatione, in quo placidè obdormias, quod nonnunquam etiam ſomniare iuuet; quod etiam vigilantem te excipiens, inſtatum heſternæ intentionis reſtituat; ſic tibi nox ſicut dies illuminabitur, & nox illuminatio tua erit in delicijs.*

[a] S. Bern. ad fratres de monte Dei.

Porrò ad nocturnas Dæmonum tentationes effugandas, non abs re fuerit, poſt intimum, ac ſpiritualem Crucis Chriſti amplexum, quam ſibi altè animò inſculpere, atque ante oculos ſemper verſare debent, ſtrati loco ſibi ſepulturam effingere: mortuosque, vel breui morituros ſe in ſepulchro collocatos exiſtimare; vt animus funebri illo ſpectaculo deterritus, ad vana, ac pernicioſa Dæmonum ſimulacra ſe minus conuertat. Id præſtandum conſulit [b] Climacus ita ſcribens: *Cum in lecto cubas, ſit tibi ipſe iacentis habitus figura in ſepulchro clauſi.* Poſtremò nunquam valuis Cellæ apertis dormiant.

[b] Climac. Scal. Cœl. grad. 7.

Dum verò in Cella degunt, non otio torpeant, non vanis cogitationibus diſtrahantur, non tempus inutiliter expendant, [c] ſed vel legant, vel orent, vel meditentur, vel gemant, vel ſcribant, vel ſcripturas ſacras, vel Patres, vel ſpirituales libros euoluant. Ita fiet, vt, [d] B. Lauſ-

[c] Thom. de Kemp. li. 1. de diſtinct. Clauſt. c. 7.

[d] B. Laur. Iuſt. de vit. ſolit. c. 12.

Digitized by Google

Laurentio Iustiniano teste; Cella illis sit sponsi reclinatorium, virtutum custos, tranquillitatis portus, additamentum pacis, medela vitiorum, Contemplationis locus, tabernaculum fœderis, Nuptialis thalamus, Hortus irriguus, Paradisus delitiarum, Cœli Ianua, schola scientiæ, Conscientiæ Cathedra, magistra silentii, & spiritualis scala, vsque ad polorum alta pertingens.

DE DISCIPLINA IN QVIBVSDAM alijs domesticis actionibus custodienda.

CAP. VI.

NOn leue profectò Religiosæ perfectionis ornamẽtum est, si in qualibet domestica actione, quæ à nobis geritur, quidam Regularis Disciplinæ splendor, ac venustas eniteat, quæ rectum, ac benè compositum animum declarent: religiosa enim mens virtutum, ac spiritualis profectus studiosa omnem in minimis quoq; rebus sui inordinationem horret; nihil turpe, indecorum nihil, nihil nisi graue, ac perfectum scit moliri; quandoquidem id sibi certò persuadet, quod quotidiano experimento compertum est, nimirum eum, qui leuiora negligit, pedetentim ad grauiora protrahendum fore cum enim, vt docet a Ambrosius, Animus in corporis gestu appareat, & species corporis simulachrum sit mentis, figuraque probitatis, qui in exterioribus, tametsi infimis, ac quotidianis actibus, eam Disciplinæ regulam seruare contemnit, quæ Religiosæ vitę sanctimoniam perpetuò comitari debet, planè animum se à Religiosæ profectionis studio alienum gerere ostendit.

a S. Ambr. lib. 2. Soliloq.

Fratres igitur omni studio, ac diligentia contendant ita se in omni actione, tametsi leuissima, gerere, vt morum

Digitized by Google

rum grauitatem, atque honestam corporis compositionem vbique custodiant, atque in his præsertim, in quibus summa honestas elucere debet; idcircò expurgationem, quę æstiuo tempore, habitu radijs solaribus expositò fieri solet, ita honestè præstent, vt nunquam vel se nudos intueantur, vel eam nudi exerceant, sed altero habitu, vel tunica induti, opus suum grauiter, ac honestè peragant: idcircò in quolibet Expurgatorio habitus, vel tunica ad hunc vsum parata habeatur simul cũ scopula longiori cordula ad Clauum alligata. Interea verò dum vestem expurgant, Psalmũ Miserere, seu De profundis secum recitent, vel spiritualem diuini iudicij, aut Purgatorij ignis sibi meditationem animo reuoluẽdam assumant; ne spiritus nequam illos vacantes, aut vanis cogitationibus implicitos offendat.

Eodem quoque modo & alteram vestium expurgationem, quæ subiecto igne præstatur, perficere debent; nimirum vt cum primùm habitum, seu tunicam exuunt, solo pallio tegi, illis satis non sit, sed alterum habitum, seu tunicam huic vsui paratam habeant, quam socius auersa facie in humeros sublatam illis induendam præbeat: dum verò expurgatur vestis, pro Defunctis Fratribus alternatim ab ijs dicatur Psalmus *De profundis*, cũ versiculis, & oratione: *Deus veniæ largitor* &c. Tantaq; honestate, ac silentio opus illud exerceant, vt omnes grauitatem, ac silentium seruent.

Postremò cum Fratres in Horto laborant, ita se ad laborem accingant, vt habitum altiùs, quàm ad media crura non attollant, nunquam verò in femoralium modum cingulũ inter femora transmisso succingant, quod neque decorum, neque honestum esse potest, cum scenicum, ac Histrionicum potiùs habitum redoleat.

Atque vt iuxta S. P. N. Francisci consilium Fratres

maiori

Digitized by Google

maiori cum deuotione ac pietate manuum labori incumbant, in ipso laboris exordio, genuflexi dicant Pater noſtr. & Aue Maria, omnem corporis ſui defatigationem Deo Opt. Max. offerentes; tum vel Pſalmos Graduales, vel Pœnitentiales, vel Litanias Sanctorum, aut B. Virg. recitent: poſt hæc ſilentium ſeruent, & quilibet ſibi propriam meditationem ad Diuini amoris excitamentum aſſumant, quibus non ſolùm corpus, ſed etiam animus in Dei amore ſe ipſum exerceat, quod etiam in tonſura Fratrum, atque alijs huiuſmodi corporis exercitijs obſeruandum eſt, vt integrum, ac perfectum opus ex corporis, & animi exercitatione conſtans, quod Deo gratiſſimum eſſe ſolet, eidem à nobis offeratur.

DE TONSVRA FRATRVM, ET RITV *in ea ſeruando.*

CAP. VII.

TOnſura humilitatis indicium eſt, quo nos in ſortẽ Domini vocatos, atq; eidem perpetuo ſeruitutis fœdere deuinctos eſſe admonemur. Hinc ſanctiſſimis noſtrarum Conſtitutionum legibus ſancitum eſt, vt qualibet quintadecima, aut ſaltem vigeſima die tam Clerici, quam Laici fratres capillos tondeant, ne ijs plus æquo excreſcentibus, ſecularium hominum more comam nutrire videantur, quod ſacris Canonum ſanctionibus interdictum eſt: ac Religioſæ militiæ inſigne contemnere, quod graui culpa non vacat.

Quamobrem in ſingulis domibus ſacculus, vel calathus aſſeruetur, in quo parata habeantur nonnulla ſudaria oblonga, forfices ad tondendos capillos aptę, Pennicilla, Pectines, quantum cuiq; domui ſufficiat, quorũ omnium

Digitized by Google

omnium curam gerat Præfectus Aduenarum, cuius partes erunt fudaria, cum sordida fuerint, abluere, ac recentia apponere, forfices vt acuantur, curare, pennicilla, ac pectines, munda seruare. Demum ne eorum quicquam intereat sollicitè inuigilare.

Cæterum iuxta omnium Ordinum leges, & antiquissimum nostrę Religionis vsum tàm in Clericorum, quàm Laicorum tonsura capilli ad cutem vsque radantur, nec cuiquam secùs agere liceat. At in Clericorum Corona consuetudo iam ab ipso Religionis nostrę exordio recepta seruari debet, vt ea neque in ampliorem, neque in breuiorem, quam duorum digitorum mensuram se extendat, quę enim amplior est, in comam degenerat, quę autem breuior ad Monachismum accedit, à quo Mendicantium Ordines habitu, ac professione sunt diffiti.

Porrò dum tonsura fit, Caueant Fratres, ne vana, ac inutilia inter se colloquia misceant; sed ex ipsa capitis tonsura addiscant, otiosa omnia, ac superflua illis esse resecanda: Quare iuxta antiquum Ordinis morem ante tonsuram vterque tam Tonsor, quàm tondendus genuflexi Aue Maria deuotè recitent: Tum vel silentium seruent, si tonsura in Dormitorio fiat, vbi silentium perpetuò custodiri debet, vel si alibi eam exerceri contingat, Psalmi Graduales, aut Pœnitentiales alternatim dicantur, aut de regula, vel spiritualibus rebus agatur; vt corporale opus spiritualiter fiat, & ex spirituali colloquio spiritus pinguescat.

Finis Secundæ Partis.

TER-

Digitized by Google

TERTIA PARS.

DE RITV IN ELECTIONIBVS, ac plerisque aliis actionibus seruando.

DE CONVOCATIONE CAPITVLI GENERALIS, & electione Definitorum.

CAP. I.

SACRARVM electionum, quibus Prelatorum dignitas in vnoquoque Religiosorum cœtu solet constitui, tanta apud nos semper grauitas fuit, vt ex his indignè, aut legitimè peractis, sacrorum Ordinum vt plurimùm occasus, aut incolumitas pendeat: neque enim quisquam ignorare potest, quænam bonis, aut malis Pastoribus, ad subditorum animos, vel ad virtutes, vel ad vitia impellendos, vis, atque auctoritas insit; nam, vt [a] Gregorius scribit; nemo plus in Ecclesia nocet, quàm qui per uersè agens nomen, vel ordinem sanctitatis habet: Delinquentem autem hunc redarguere nullus præsumit, & in exemplum vehementer culpa extenditur, cum pro reuerentia ordinis peccator honoratur.

[a] Greg. in Past. p. 1.

Quamobrem id nobis in primis enitendum est, vt Pastorum nostrorum electiones piè, ac sanctè peragantur; quod planè fiet, si cuiusque electoris animus ab omni

ni mala cupiditate liber ad ea tantum feratur, quę recta, & honesta, quęq; Religiosæ societati, cum primis sũt vtilia: demum si nihil præter Dei voluntatem, ac beneplacitum apud se agitans, Apostolorum instar ita ab eo pendeat, vt semper Deum oret: Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his, vnum accipere locum, & sortem ministerij huius.

Hinc non immeritò à Maioribus nostris sancitum est, vt Generalia, ac Prouincialia Capitula statis temporibus cogerentur vt & multorum consilio res maturiùs agerentur, & plurimorum electorum in Domino consentientium suffragijs, superiorum nostrorum electio à Deo profecta esse crederetur.

Generale quidem Capitulum, quod ad vniuersa Ordinis nostri negotia grauiùs pertractanda potissimùm institutum est, olim quidem quolibet triennio ex [a] Regulæ nostræ præscripto apud nos celebrari consueuerat: at dilatata per orbem Religione, cum Generalis Minister intra id temporis spatium cunctas Ordinis Prouincias commodè visitare non posset, nũc pridem in Generali Capitulo Romæ coacto anno Domini 1612. decretum fuit iuxta [b] eiusdem Regulæ indulgentiam, vt Generalia Capitula quolibet sexennio à Generali Ministro conuocarentur. Ritus autem in eo conuocando antiquus obseruandus est, vt scilicet, Generalis Capituli celebrandi loco in priori Generali Capitulo ex Patrum consensu præstituto Generalis Minister congruo tempore ante expletum sexẽnium citatorias, seu conuocatorias litteras ad totius Ordinis Ministros Prouinciales mittat, quibus locum, ac tempus futuri Generalis Capituli celebrãdi indicet, nec non eos, quibus ex Regula competit ad Capitulum Generale conuenire (nimirum Custodes) eligendos præscribat.

[a] Reg. c. 8.

[b] Ibidem.

Digitized by Google

Quod si interdū cōtingat Generalem Ministrum ante sexennium expletum, è viuis excedere; mos antiquus à Constitutionibus præscriptus seruetur : nempè vt Prouincialis Minister, in cuius Prouincia Generalis decesserit, de consilio duorum Prouincialium ex Prouincijs, quæ sibi magis contiguæ fuerint, missis per vniuersum Ordinem citatorijs litteris, eodem ritu Generale Capitulum conuocet : Interea vt nostris Constitutionibus cautum est, primus in ordine Definitor Generalis vices Ministri Generalis in toto ordine obtineat, & vsque ad nouam Definitorum electionem in Generali Capitulo excluſiuè præsideat; electis enim Definitoribus, ijdem vsque ad Ministri Generalis electionem iuxta veterem consuetudinem in Capitulo præsidere debent.

Congregato igitur Generali Capitulo, quandoquidem vetustus Religionis vsus obtinuit, vt illud sexta ante festum Pentecostes feria celebretur, per tres, aut quatuor dies ante eius celebrationem Definitores Capituli Generalis proximè elapsi simul cum Ministro Generali, si adhuc sit in humanis, vel si decesserit, primo in ordine Definitore eius vices gerente, in Definitorium conuenientes, Custodum litteras inspiciant, & num legitimè electi fuerint explorent; curentque socij Generalis, aut primi Definitoris, vt mensa parata sit, in qua hæc scribantur. Primum tabella, in qua omniū vocaliū nomina distinctè sint conscripta. Secundū Cāpanula ad Bidellos Capituli accersendos. Tertium Atramentarium, cartha, theca pennaria, ac puluearia : demum sellæ aliquę, seu sedilia tam pro Ministro Generali, & Definitoribus, quàm pro alijs Patribus, qui interdum in Definitorium vocantur.

Ea Custodū disquisitione facta, & his, qui ad electiones,

Digitized by Google

nes, vel admittendi, vel ab illis reiciendi sunt, admissis, aut reiectis: absente à Definitorio Procuratore Generali, iterum Patres vocales sigillatim vocentur, & audiantur, si defectus eis occurrant opponendi contra dicti Procuratoris administrationem in sexennio suæ Procurationis, delata notentur; ac Procuratore postea accersito, quæ ei obiecta fuerant propalentur, quæque in sui defensionem produxerit scribantur. Pridie autem diei celebrationis Capituli solemniter in Ecclesia Sanctissima Eucharistia exponatur, & quadraginta horarum spatio, fratribus diu, noctuque ante illam orantibus, vt in secundò libro dictum fuit, publicè pateat, eadem die Capitulo à Generali Ministro conuocato, Procurator Ordinis sigillum Procuratoris in manu Generalis Ministri resignans in Refectorio genuflexus defectus in sexennio sui officij admissos, publicè coram fratribus accuset: quem Generalis Minister dignis correptionibus, ac pœnitentijs salutaribus, si opus fuerit, prosequetur; sin Generalis Minister decesserit, primus in ordine Definitor illius vices gerens, hanc functionem explebit.

Postera verò die Veneris illucescente Missa de Spiritu sancto à Generali Ministro ritu solemni celebretur, cui vniuersi Vocales deuotè interfint: in eaquæ omnes, qui ea die celebrare minimè potuerint, ad sacram Communionem accedant. Interea verò dum Missa celebratur, primum signum pro Definitorum electione tegula raris ictibus pulsetur; post Missam autem duo alia signa eodem modo dentur, eo tantum discrimine obseruato, quod ad finem vltimi signi tegula crebrioribus ictibus percuti debet: Interea socij Generalis Ministri prouideant, vt atramentarium, cum calamis, & cartha, tabula quoque ad Carthan tegendam apta,

Digitized by Google

in superiori Refectorij mensa sint parata.

Hic igitur quandoquidem de electionibus agendum est, præmittere lubet, quod cum varia sint electionum Canonicarum genera: Aliæ enim electiones per scrutinium; aliæ per compromissum, aliæ tandem per communem spirationem fiant. Vetusto nostræ Religionis vsu iamdudum receptum est, vt electiones omnes apud nos partim per scrutinium, partim per cõpromissum limitatum peragantur; hoc pacto scilicet, vt votorum omnium secreta disquisitione à scrutatoribus à Capitulo electis expleta, ipsi scrutatores tanquam Compromissarij, virtute compromissi limitati, in eos à toto Capitulo facti, eos, vel eum eligant, in quos, vel in quem maior pars Capituli consenserit, quam electionis formam velut omnium optimam, ac tutissimam perpetuò à nostris retinendam esse decernimus.

[g] Concil. Trid. sess. 23. de reform. c. 4.

[g] At quamquam in Tridentino Concilio definitum fuerit, vt qui sacris ordinibus initiati non sunt, ac perindè nequè Clerici in minoribus tantum Constituti, neque Laici suffragia in electionibus ferre non possint, ex antiqua tamen consuetudine, & Constitutionum nostrarum præscripto, cui & ipsa [b] sedis Apostolicæ Indulgentia accedit, ipsi quoque ius electionis cum cæteris commune habere valent,

[b] Innoc. c. 2. de Inst. Feder. cõ. 107. const. ex Pij V. declarat.

Electores itaque vniuersi saltem sub finem vltimi signi in Refectorium conueniant; ibique Ministro Generali, cum Definitoribus ad mensam, quæ est in Capite Refectorij sedentibus, ac reliquis Electoribus circumsedentibus legantur distinctè à Bidello Capituli nomina omnium electorum, singulis ad sui nominis appellationem respondentibus (Adsum,) vt perfectus electorum numerus, ac præsentia adesse comprobetur: tũ Generalis Minister de futura Definitorũ, & Gene-

Generalis Ministri electione sermonem, prout illi visum fuerit, instituere poterit, in quo ea tantummodo, quæ ad electiones in genere ritè peragendas necessaria, & vtilia videntur, siuè quæ ad eorum, qui eligendi sunt, officium, ac institutionem spectant explicanda proponat, cauens maximè, ne ad singulares quasdam Personas, siuè tacito, siuè expresso nomine inter concionandum declinet.

Absoluto sermone Generalis Minister simul cum reliquis electoribus è mensa exiliens, omnibus, ac singulis copiam faciat liberè explicandi, si quod in futuris electionibus impedimentum animaduertant, quo minus canonicè, ac legitimè perfici queat: cunctis tacentibus, Generalis Minister conuocatis seorsim Definitoribus, remque prudenter inter se discutientes, tres Generalis Capituli scrutatores, ac Compromissarios de corpore Capituli designent, designatosque de Refectorio exire iubeant, hosque Generalis Minister publicè in Capitulo proponat, exquiratque num omnes in propositos cõ sentiant: consensus hic, quamuis secundum Doctores, non tacendo tantum, sed viua voce exprimi deberet ab omnibus, quia tractatur de rè grauissima; vetus tamen in ordine nostro vsus obtinuit, vt sufficiat pro expresso consensu taciturnitas, & quod aliquis expressè non repugnet, consentientibus ergo vocalibus in compromissarios a Generali propositos legantur à Bidello Capituli Verba in Constitutionibus apposita, nimirum. Silu. Manual. præl. to. 2. q. 23. art. 29.

a Vniuersis fratribus manifestum sit, in qualibet electione id necessarium esse, ac sufficere, vt qui electi fuerint, maiorem suffragiorum partem sibi fauentem habeant. Ac præterea cunctis notum facimus, quod sub pœna peccati mortalis, ac damnationis æternę, in qualibet electione is eligi debet, qui melior, dignior, & ad id a Const. c.

Digitized by Google

munus,ad quod eligitur,magis idoneus iudicatur,omni humano respectu postposito.

Mox verò Generalis Minister cum reliquis genuflectens alta voce intonet Hymnum. *Veni Creator Spiritus* &c. Cæteris alternatim totum Hymnum per versus canentibus, quo expleto à Generali Ministro dicantur versus.

℣. *Emitte spiritum tuum,& creabuntur.*
℟. *Et renouabis faciem terræ.*
℣. *Ora pro nobis sancta Dei genitrix.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*
℣. *Ora pro nobis B. P. Francisce.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Deindè proferat collectas.

Oremus.

Deus,qui corda fidelium &c.
Omnipotens sempiterne Deus prætende super famulos tuos &c.
Mentes nostras &c.
Concede nos famulos tuos &c.
Deus qui Ecclesiam tuam B. Francisci &c. *Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

Deindè quinquies *Pater noster*, & *Aue Maria*, deuotè recitanda indicat.

His expletis Scrutatores,seu Compromissarij,ad locum consuetum se conferant,& qui inter eos dignitate, seu ætate maior est,Medius sedeat,& Notarij,seu primi Compromissarij munus exerceat: Porrò hic Electores admonendi sunt, ex veteri Religionis vsu, & Constitutionum

Digitized by Google

tionũ noſtrarũ præſcripto, cautum eſſe, ne ex numero Definitorum Capituli Generalis proximè elapſi, plures quam tres eligantur, tametſi pauciores eligi poſſint: ac præterea eos tantum Definitores eligi debere, qui de corpore Capituli, eidem præſentes exiſtunt. Electorum autem nemo è refectorio egrediatur, ſed quisque ſuo loco ſedeat, donec à Bidello, qui ad electores, cum opus fuerit, appellandos à Miniſtro Generali, & Definitoribus deputari debet; ad ferenda ſuffragia vocetur.

Prius igitur Maior Compromiſſarius ſua ſuffragia pro ſex Definitorum electione in cartha conſcribat ita ſecretò, vt ab alijs ſocijs Compromiſſarijs percipi nequeant; tum verò ab altero Compromiſſariorum ſex pariter vota exquirat, ita ſecretè, vt alter illius vota nõ agnoſcat; quæ cum ille detulerit, & ipſe conſcripſerit, propria ſuffragia à ſe iam lata illi proferet, deinde ambo ſimul, eadem & ab altero Compromiſſario eodem modo depoſcant, ſuffragijs hoc modo elargitis vota omnia ſtatim inter ſe conferant, & ad inuicem communicent.

Poſt Compromiſſarios Generalis Miniſter prior, deinde Definitores cum reuerentia à Bidello vocati accedant, & totidem ſuffragia ferant. Reliqui poſt eos eo ordine, quo in tabella cõſcripti ſunt, quam Bidellus præmanibus habere debet, ſua pariter vota depromant: Compromiſſarij verò fideliſſimè cuiuſque vota conſcribant, in eoque prudentes ſint, vt æquale temporis ſpatium in eorum votis conſcribendis, qui nonnulla iam vota habuerunt, quàm in eis, qui ea recenter accipiunt, inſumant: ne alicuius nouitatis ſuſpicionem in cuiusquam animo concipiendam relinquamus.

Poſtquam electores omnes vocati ſua vota ad Definitorum electionem tulerint, mox omnes Compromiſſarij

munus,ad quod eligitur,magis idoneus iudicatur,omni humano respectu postposito.

Mox verò Generalis Minister cum reliquis genuflectens alta voce intonet Hymnum. *Veni Creator Spiritus* &c. Cæteris alternatim totum Hymnum per versus canentibus, quo expleto à Generali Ministro dicantur versus.

℣. *Emitte spiritum tuum,& creabuntur.*
℟. *Et renouabis faciem terræ.*
℣. *Ora pro nobis sancta Dei genitrix.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*
℣. *Ora pro nobis B. P. Francisce.*
℟. *Vt digni efficiamur promissionibus Christi.*
℣. *Domine exaudi orationem meam.*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*
℣. *Dominus vobiscum.*
℟. *Et cum spiritu tuo.*

Deindè proferat collectas.

Oremus.

Deus,qui corda fidelium &c.
Omnipotens sempiterne Deus prætende supra famulos tuos &c.
Mentes nostras &c.
Concede nos famulos tuos &c.
Deus qui Ecclesiam tuam B. Francisci &c. *Per Christum Dominum nostrum.* ℟. *Amen.*

Deindè quinquies *Pater noster*, & *Aue Maria*, deuotè recitanda indicat.

His expletis Scrutatores,seu Compromissarij,ad locum consuetum se conferant,& qui inter eos dignitate, seu ætate maior est,Medius sedeat,& Notarij,seu primi Compromissarij munus exerceat: Porrò hic Electores admonendi sunt, ex veteri Religionis vsu, & Constitutionum

tionũ noſtrarũ præſcripto, cautum eſſe, ne ex numero Definitorum Capituli Generalis proximè elapſi, plures quam tres eligantur, tametſi pauciores eligi poſſint: ac prꝛterea eos tantum Definitores eligi debere, qui de corpore Capituli, eidem præſentes exiſtunt. Electorum autem nemo è refectorio egrediatur, ſed quisque ſuo loco ſedeat, donec à Bidello, qui ad electores, cum opus fuerit, appellandos à Miniſtro Generali, & Definitoribus deputari debet; ad ferenda ſuffragia vocetur.

Prius igitur Maior Compromiſſarius ſua ſuffragia pro ſex Definitorum electione in cartha conſcribat ita ſecretò, vt ab alijs ſocijs Compromiſſarijs percipi nequeant; tum verò ab altero Compromiſſariorum ſex pariter vota exquirat, ita ſecretè, vt alter illius vota nõ agnoſcat; quæ cum ille detulerit, & ipſe conſcripſerit, propria ſuffragia à ſe iam lata illi propꝛlet, deinde ambo ſimul, eadem & ab altero Compromiſſario eodem modo depoſcant, ſuffragijs hoc modo elargitis vota omnia ſtatim inter ſe conferant, & ad inuicem communicent.

Poſt Compromiſſarios Generalis Miniſter prior, deinde Definitores cum reuerentia à Bidello vocati accedant, & totidem ſuffragia ferant. Reliqui poſt eos eo ordine, quo in tabella cõſcripti ſunt, quam Bidellus præmanibus habere debet, ſua pariter vota depromant: Compromiſſarij verò fideliſſimè cuiuſque vota conſcribant, in eoque prudentes ſint, vt æquale temporis ſpatium in eorum votis conſcribendis, qui nonnulla iam vota habuerunt, quàm in eis, qui ea recenter acciplunt, inſumant: ne alicuius nouitatis ſuſpicionem in cuiusquam animo concipiendam relinquant.

Poſtquam electores omnes vocati ſua vota ad Definitorum electionem tulerint, mox omnes Compromiſſarij

farij simul diligentissimè singulorum vota disquirant, ac scrutentur, eosque in quorum electionem maiorem votorum partem consensisse deprehenderint; Maior Compromissarius hoc ordine publicè pronuntiet. Primo loco eorum suffragia legat, qui minorem votorum numerum sortiti sunt, tum eorum postremo, qui à Maiore electorum parte suffragia acceperunt.

Si qui paria suffragia acceperint, votorum medietatem excedentia, senior in Religione obtineat, vt scilicet prioris Definitoris locum teneat, qui plures in Religione annos consumpsit. Si electorum vota ita concordia fuerint, vt in primo scrutinio maior votorum pars in omnium Definitorum electionem consenserit, mox Ministri Generalis iussu tegula pulsetur, & solemniter electio pronuntietur. Si verò omnes in primo scrutinio electi non fuerint, tot scrutinia fiant, quoad sex Definitorum numerus compleatur.

Eo tandem numero completo, surgat maior Compromissarius, qui Notarij officium gerit, & adstantibus sibi socijs vota omnium legat, & toto Generali Capitulo præsente, sex illos, in quos maior electorum pars consenserit, vnumquemque suo ordine iuxta maiorem, vel minorem numerum votorum, quæ acceperunt, in Definitores Generalis Capituli eligat, ita vt primus Definitor sit, qui cæteros votorum numero excedit, atque ita alij succedentes. Cum verò Compromissarius electos pronuntiat, his vtatur verbis.

In nomine Domini nostri Iesu Christi, eius Sanctissimæ Genitricis Mariæ, ac Seraphici P. N. Francisci, totiusque Cœlestis curiæ triumphantis. Amen.

Hæc est electio Canonica RR. Patrum Definitorum præsentis Capituli Gener. in hoc loco Immaculatæ Concept. de Vrbe congregati, facta hodie 20. Maij Anni millesimi

simi sexcentesimi &c. In qua quidem electione electi sunt in Patres Definitores.

R. P. F. N. de N. qui habuit voces. O.
R. P. F. N. de N. qui habuit voces. O.
R. P. F. N. de N. qui habuit voces. O.
R. P. F. N. de N. qui habuit voces. O.
R. P. F. N. de N. qui habuit voces. O.
R. P. F. N. de N. qui habuit voces. O.

Et ego Frater N. Compromissarius nomine meo, & sociorum meorum Compromissariorum, virtute compromissi limitati in nos facti, eligo, & electos esse pronuntio ipsos RR. Patres Fratres N. N. N. N. N. N. in Definitiores præsentis Capituli, in quorum electione vestrum Pars maior consensit. Omnes respondeant. Amen.

Porrò electorum Definitorum munus, atque auctoritas est, simul cum Generali Ministro totius Religionis negotia pertractare, causas iudicare, ordinationes condere, quibus Regularis obseruantia, si cubi fortè nutauerit, aut dilapsa fuerit, confirmetur, & instauretur; demum quæcunque ad optimum Ordinis regimen conducunt, cum ipso expedire. Cum enim sacra nostri Ordinis Monarchia, minimè simplex sit, sed Aristocratiam, & optimatum gubernationem sibi admixtam habeat, eo fit, vt seniorum ad sui administrationem non tam consilio, quàm decretis vtatur. Principisque cum suo senatu formam, atque auctoritatem præferat.

Digitized by Google

DE ELECTIONE GENERALIS MINISTRI.

CAP. II.

SAcra Minorum Religio, quandoquidem à primo sui ortus exordio ita à Beatissimo Patriarcha Francisco constituta fuit, vt Monarchia, velut optima regiminis forma, ad sui administrationem vteretur, Generalis Ministri tanquam Principis, ac supremi capitis in ea præsidentis præsentia, atque auctoritate semper potita fuit, atque inde ex B. Patris lege, ac præscripto ipsius electioni opportunè insistere visa est; vt ob id ex toto Religionis orbe Patres ad Generalia Capitula conuocaret, quo ea grauiùs, ac sanctiùs peragi valeret: neque id sanè immeritò. Tanti enim Capitis constitutio, maximam ab omnibus diligentiam, ac consilium exquirit; nam (vt scribit [b] S. Leo) si in quibuslibet Ecclesiæ gradibus prouidenter, scienterque curandum est, vt in Domo Domini nihil inordinatum sit, nihilque præposterum, quanto magis elaborandum est, vt in electione eius, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur? nam totius familiæ Domini status, & ordo nutabit, si, quod requiritur in Corpore, non inuenitur in capite.

[b] S. Leo Papa ep. 85. dist. 61. c. miramur.

Propterea Generalis Minister ex qualibet Ordinis Prouincia, qui dignior, qui sanctior, quique tanto muneri magis idoneus iudicatur, eligi potest, ac debet. Porrò & si (teste [a] Hieronymo) res penè contra naturam sit, vt sine peccato aliquis existat: attamen talis eligatur oportet, cuius comparatione cæteri greges dicantur, quo fit, vt minimè necesse sit, eum vel de Corpore Capituli, vel Capitulo præsentem esse; quod etiam de Prouincialibus Ministris, ac Custodibus Capituli Generalis sentiendum est.

[a] Hieron. epist. ad Ocean.

Cæte-

Digitized by Google

Cæterum sexennij tempus propterea ipsius officio non pridem constitutum fuit, vt is intra id temporis spatium cunctas Ordinis Prouincias commodè, ac personaliter visitare queat: nullique visitatori extraordinariè instituto, munus illud, quod ad ipsum, ex officio spectat, quodque meliùs, atque vtiliùs ab eó expletur, quoad fieri poterit, committat.

Definitorum itaque Generalium electione absoluta, Generalis Ministri exindè cesset auctoritas: Definitoribus verò electis, quilibet suo ordine, in Mensa Patrum sedentibus, mox Generalis Minister in signum resignationis officij, vt Constitutionibus nostris sancitum est, sigillum Ordinis offerat; tum retrocedens ad medium Refectorij, pallio depositó, genuflexus, seipsum de officio Generalatus malè administrato humiliter accuset: cui humanibus verbis Definitor respondeat, priùs vocales Capituli audiendos esse. Statim verò eodem ritu Generalis Ministri electio perficienda erit, atque is tantum eligendus, in cuius electionem maior electorum pars conspirauerit; Compromissarij verò in eo eligendo antiquam formam seruent, quę est.

In nomine Domini nostri Iesu Christi &c.

Hęc est electio Canonica Admodum R. P. Ministri Generalis in hoc loco Immaculatæ Conceptionis de Vrbe facta hodie die 20. Maij Anni millesimi &c.

Et ego Frater N. Compromissarius nomine meo, & sociorum meorum Compromissariorum virtute Compromissi limitati in nos facti, eligo, & electum esse pronuntio ipsum, *Admodum R. P. F. N. in Ministrum Generalem totius nostræ Congregationis:* in cuius electione Vestrum pars maior consensit. Vniuersique respondeant: Amen. Procedatur postea à Capitulo ad electionem Procuratoris Generalis Ordinis, & (si opus fuerit)

Digitized by Google

fuerit) ad ſeptimi Diffinitoris, iuxta noſtrarum Conſtitutionum Generalium præſcriptum quibus expletis.

Statim à primo Definitore Capituli inchoetur Hymnus. *Te Deum laudamus* &c. quem omnes, proceſſione à Refectorio ad Eccleſiam inſtituta, claris vocibus proſequantur. Qui verò in hac Proceſſione ritus obſeruandi ſint, in ſecundo libro ſuo loco dictum fuit. Hactenus quidem poſt Generalis Miniſtri electionem mos fuit, vt ad Generalem Miniſtrum Fratrum Cõuentualium pro illius confirmatione mitteretur: At verò hac tempeſtate ex Pauli V. Pont. Max. benignitate, hac Ordinis noſtri ſubordinatione per Bullam ſublata, & Religione noſtra in Caput liberum conſtituta, Generalis Miniſtri noſtri electio iam à nullius Confirmatione pendet: quo fit vt minimè opus ſit, in poſterum hanc Confirmationem à Generali Miniſtro Patrum Conuentualium exquirere.

Poſt hæc Generalis nuper electus opportunum tempus nactus, congregatis Definitoribus in Definitorio, Vocales Capituli audiat, ſi quid vitij, aut malæ adminiſtrationis Generali Miniſtro nuper officio defuncto, velint opponere; quibus auditis, eodem in Definitorio accerſito, accuſationum eidem Capitula legãtur, ac ipſius reſponſa ſcribantur.

Tum verò Capitulo à Generali Miniſtro quamprimũ conuocato, pręteritus Miniſter genuflexus, ac Pallio depoſito, defectus ſuos accuſet, quem Generalis Miniſter in Scabello ad id parato ſedere iubeat: ac protinùs oppoſitos articulos, & data reſponſa ex carthula legat, vel legenda præcipiat. Quæ plenè diluta ſunt, probet; quę verò grauia, nec plenè, nec ſufficienter diluta videntur, prudenter exaggeret: quę tandem aperta reprehenſione digna ſunt, non diſſimulet, ſed paterna correptione proſequatur. Poſtremò eas illi Pœnitentias iniungat, quas

Digitized by Google

quas & delictorum mensura, & Paterna Charitas, nec non publica Religionis vtilitas depoſcunt.

DE PROCVRATORIS ORDINIS, ET Commiſſarij Romani, officio, & auctoritate.

CAP. III.

QVoniam de duplici hic, & Procuratoris, & Commiſſarij Generalis munere agitur: ne propria cuiusque dignitatis officia confundantur, vtriusque auctoritas explicanda eſt. Ac primum Procuratoria dignitas res eſt à Commiſſarij Generalis dignitate non tam nomine, quàm officio diſtincta. Munus enim Procuratoris Ordinis, vt ex ipſo nomine, atque appellatione perſpicuum eſt, maximè circa Ordinis negotia verſatur, quæ apud Romanam Curiam ſunt gerenda: quo fit vt rerum omnium, quæ vel ad ſingulorum Fratrum, vel ad commune totius Ordinis commodum ſpectant, quæ tamen in Romana Curia peragenda ſunt, ſumma ex toto Ordine ad ipſum duntaxat referri debeat; isque ſolus apud Pontificem, Cardinales, Congregationes, ac cæteros Magiſtratus, ac perſonas, vbi opus fuerit, negotia tractet: de quibus poſtea Generalem Miniſtrum certiorem faciat, Ei propterea ſtabilis, ac fixa in Romano Conuentu ſedes, ac neceſſarius ſociorum numerus ad ipſius labores ſubleuandos, præſto ſit, oportet; cui etiã proprium Refectorium, ac Dormitorium à communi ſegregatum inſeruire debet, ad pleraque, quæ ad ipſum ſpectant, peragenda, vt priſca iàm conſuetudine receptum eſt.

Ad ipſius quoque officium pertinet, Bullas Pontificias, ac Decreta, quæ paſſim à Romana Curia erumpũt pri-

Digitized by Google

primùm Generali Miniſtro, dein cunctis Ordinis Prouincialibus Miniſtris tempeſtiuè manifeſtare, vt ſi quæ in his ab Eccleſia præcepta ſunt, maturè à noſtris ſeruari queant.

Tertium tandem eius munus eſt, quod ad illius honorem potiùs, quàm ad officium pertinet, coram Summo Pontifice orare, & illius Capellæ intereſſe. Atque hęc quidem Procuratoris Ordinis, quatenus Procuratoria tantum dignitate fulcitur, munera ſunt, ex quibus illius auctoritas emergit, quæ nemini, præterquam Generali Miniſtro ſubijcitur.

Porrò Cõmiſſarij Generalis munera multo ampliora ſunt, ac præſtantiora ad quæ non eligitur à Capitulo Generali, à quo ad officium Procuratoris tantum aſſumitur; congruum enim eſt, vt qui omnium Procurator eſſe debet, ad hoc ab omnibus deligatur; ſed quæ à Generali Miniſtro Generali accipit, ſuas vices illi delegante, ampliores, ſeu anguſtiores, prout ei ſatius videtur. Is enim propriè Prælatus eſt, delegatas Generalis Miniſtri vices, ac poteſtatem gerens: quamobrem ad ipſius munus, & auctoritatem ſpectat iuxta Generalis Miniſtri diſpoſitionem, vel Tranſalpinas, vel Ciſalpinas Prouincias curare, Apoſtatas omnes Romam aufugientes recipere, abſoluere, & ad proprias, vel alienas Prouincias deſtinare. Aduenas fratres Romam aduentantes ſibi ſubiectos habere; ac cætera omnia delegata ſibi à Generali Miniſtro auctoritate, erga ſibi commiſſas Prouincias præſtare, quæ ipſe Generalis Miniſter erga omnes propria valet efficere: niſi Generali Miniſtro, à quo tota ipſius auctoritas pendent interdum viſum fuerit aliqua ex parte, illius poteſtatem coarctare.

Sed quoniam vtraque hæc tam Procuratoris, quam Commiſſarij Generalis auctoritas apud nos ſimul in

vnam

Digitized by Google

vnam electi perſonam conſpirat, quæ vtriuſque munus gerit; idcircò nulla eſt inter Procuratorem, & Commiſſarium Generalem apud nos differentia: Quare is tantum admonendus erit, vt in vtroque munere obeundo tam prudenter ſe gerat, vt Generali Miniſtro ſemper ſe ſubiectum eſſe ſciat, ac propterea delegatas ſibi à Generali Miniſtro poteſtatis metas ne tranſiliat; de ijs verò omnibus, quę vel in Romana Curia pertractat, vel circa ſibi commiſſas Prouincias peragit, maturè ipſum Generalem Miniſtrum certiorem reddat. Denique nihil aduerſus Miniſtri Generalis pręſcriptum, vbi aliquid ipſi ab eo pręceptum fuerit, aut Generalis Capituli, ſiuè generalium Cõſtitutionum noſtrarum decreta, quicquam moliri audeat, cum iis potiùs eum ſubiectum eſſe oporteat.

Quamobrem qui tanto muneri pręficiendus eſt, vir eſſe debet cum primis in Religione prouectus maturioris ętatis, optimè in ſacris litteris, Theologia, ac ſacris Canonibus verſatus, affabilis, induſtrius, prudens, ad negotia peragẽda idoneus, optimis moribus imbutus, grauis; qui etiam Summi Pontificis, ac Illuſtriſſimorũ Cardinalium conſpectui gratus valeat apparere, ac de rebus Religionis, vt decet, rationem reddere.

DE CONVOCATIONE CAPITVLI Prouincialis, & electione, ac munere Diſcretorum.

CAP. IV.

PRouincialia Capitula quotannis in ſingulis Prouinciis apud nos celebrari debere, lex eſt longo Religionis vſu recepta, & Conſtitutionibus noſtris ſancita, quam ipſa quoque ritè gubernandi ratio perſuadet.

Digitized by Google

det. Meliùs enim res Prouinciæ gubernantur, ac matu-
riùs exceſſibus, qui interdum in Regulæ obſeruantiam
irrepunt, proſpicitur; cum frequentiùs Capitula con-
a Prou. 11. gregantur, ac multa conſilia, quibus plurima a ſalus eſ-
ſe ſolet, ad totius Prouinciæ vtilitatem conſpirant. Qua-
propter hunc Prouincialium Capitulorum quolibet
anno celebrandorum morem, velut ſacrum, optimum-
que cuſtodiri volumus: ne ſilentibus, ac dormientibus
Capitulis Tartareus hoſtis paulatim inobſeruantiæ Zi-
zania in ſacræ Religionis agro ſeminet: & dum huma-
na magis, quàm diuina prudentia ducimur, carnem tan
dem pro ſpiritu metamus.

Prouinciale igitur Capitulum ſingulis annis in qua-
libet Prouincia die Veneris poſt ſacrum Paſcha ſecun-
do, vel tertio celebretur: præterquam in vltramontanis
Prouincijs, in quibus Generali Capitulo imminente,
Prouinciale Capitulum menſe Septembri prima, aut
ſecunda Veneris die celebrari poterit, vt qui ad Gene-
rale Capitulum conuenire debent, commodiora itinera
ante hyberna tempora nanciſcantur, vt eo faciliùs con-
ſtituto tempore ad illud peruenire queant.

Cæterum cum Prouinciale Capitulum celebrandum
erit Prouincialis Miniſter congruo tempore ante illius
celebrationem miſſis conuocatorijs litteris ad omnes
ſuæ Prouinciæ Conuentus, in quolibet Conuentu Diſ-
cretum Canonicè eligi iubeat. Tum vero Diſcretos Ca
nonicè electos ſimul cum Guardianis ad Prouinciale
Capitulum accedere iubeat.

Cæterum Diſcretorum munus erit ſimul cum Guar-
diano ad Prouinciale Capitulum conuenire. Guardia-
ni, ſi quæ ſunt, incorrecta crimina, aut defectus, ad Capi-
tulum deferre, ac ſimul congregatis Patribus aperire,
ſingulas Conuentus, ac Fratrum ſuæ familiæ neceſſita-
tes,

Digitized by Google

tes, quæ interdum emergunt, aut ipsis creditæ sunt, proponere: suffragia pro Definitorum, Prouincialis Ministri, ac Custodum (cum Generale Capitulum celebrãdum est) electionibus ferre: atq; alia legitimè peragere, quæ ad totius Capituli consensum, aut determinationẽ definienda referuntur.

Quapropter Discretos viros prudentes esse oportet, fideles, maturos, rerum Religionis, ac Prouinciæ non ignaros, Regularis cum primis obseruantiæ cupidos, qui ea omnia, quæ in Capitulo, vel agenda, vel proponenda sunt, salubri consilio, ac ratione anteuertant, non sectarios, non factionarios, non hominum gloriam ambientes, aut honores aucupantes: sed quæ Dei, ac Christi sunt, tantummodo quærentes. Demum tales eligi debent, qui plurimum suo consilio, ac prudentia publicis rebus opitulari queant.

Porrò Discretorum electio, vt canonica esse possit, eodem planè ritu à toto Conuentu celebranda est, quo cæterę omnes electiones perfici solent; nimirum per secretum scrutinium, & compromissum: ijsdemquę cęremonijs ante, & post electionem adhibitis, quibus Definitorum electionem peragendam esse diximus.

In hac tamẽ Discretorum electione, quędam partim ex iure communi, partim ex nostris Constitutionibus obseruanda sunt. Primum est, quod nullus in Discretum eligi potest, qui non sit de corpore illius familiæ, in qua celebratur electio. Secundum qui quartum in Religione annum nondum expleuerunt, ex Constitutionum nostrarum prędscripto, nec actiuam, nec passiuam in electione Discreti vocem obtinent. Tertium quod Prouincialis Minister saltem per bimestre, ante Discreti electionem neminem eidem familię addere, nec ex ea quemquam mutare, vel adimere debet. Quartum, &

Digitized by Google

ſtremum, quod iure Diſcreti eligendi potiri non debent Monaſteria, quæ nondum in Guardianatum ſunt erecta: ſed Vicarius, ac Fratres in huiuſmodi Vicarijs commorantes, pro electione Diſcreti iuxta Prouincialis Miniſtri diſpoſitionem ad magis propinquum Monaſteriũ ſe conferant.

Cæterum in electione Diſcreti promulganda, forma antiqua à Compromiſſarijs ſeruetur, quę eſt.

In nomine Domini nostri Ieſu Christi, qui est benedictus in ſecula. Amen. Hæc est electio Canonica, huius Loci nostri. N. facta ex impoſitione R. P. Ministri Prouincialis hodie die N. Menſis N. Anni Milleſimi ſexcenteſimi &c. in qua electione P. F. N. habuit voces. O. &c.

Et ego Frater N. Diſquiſitor, & Compromiſſarius nomine meo, & ſocij mei Compromiſſarij virtute compromiſſi limitati in nos facti eligo, & electum eſſe pronuntio P. F. N. in Diſcretum huius Loci nostri; in cuius electione maior pars vestrum conſentit. Cęteri reſpõdeant. *Amen.* Quo ad numerum ſcrutiniorum, & ad cætera, quæ ſtatuta ſunt circa Diſcreti electionem, Conſtitutionibus noſtri Generalibus ſtetur.

Diſcreti verò antequam ad Capitulum pergant, litteras teſtimoniales ſuę ipſorum electionis à Conuentu hoc ritu exaratas accipiant.

Reuerendi in Chriſto Patres &c. fidem facimus RR. PP. veſtris, qualiter in noſtro locali Capitulo pro Diſcreto eligendo, canonicè congregato, in primo, vel ſecundo, ſiue tertio ſcrutinio, electus fuit P. F. N. Sacerdos, vel Laicus in Diſcretum Loci noſtri N. &c. Rogamus igitur RR. PP. veſtras, vt eum admittatis in noſtro Capitulo Prouinciali ad omnia legitimè celebranda, quę de iure ſibi competi probè noueritis.

Vale-

Digitized by Google

Valete. Ex loco nostro N. de N. die &c.

RR. PP. VV. Obedientes filij Fratres Loci N. &c.

Inscriptio.

Reuerendis Patribus Ministro Prouinciali, ac Definitoribus Capituli Fratrum Capuccinorum Prouinciæ N. in loco N. congregatis in Christo obseruandissimis &c.

Eos verò, qui Generali, vel Prouinciali Ministro præsente Discreti eligantur, minimè opus est, testimonialibus litteris fulciri, cum ijs Generalis, vel Prouincialis Ministri presentia suffragetur.

DE ELECTIONE, AC OFFICIO DEFINITORVM.

CAP. V.

COngregato Prouinciali Capitulo, pridiè quam illud celebretur, Prouincialis Minister cum Definitoribus in Definitorium simul conuenire debent, & Discretorum electiones explorare, num ritè, ac canonicè peracte fuerint, sicut de Custodibus Capituli Generalis dictum fuit; in mensa quoque Definitorij tabella omnium electorum, Campanula, & atramentarium cum reliquis ad scribendum necessarijs, à socio Prouincialis Ministri collocari debent. Sacra Eucharistia per quadraginta horarum spatium publicè exponenda erit; vt res tanta, qualis est eorum electio, qui ad Prouinciæ gubernacula sedere debent, à qua totius vniuersitatis bonum pendet, Deum Optimum Maximum Doctorem, & Comitem habeat, quo ritu verò sacra Eucharistia exponenda sit, in tertio libro explicatum fuit. Die Veneris Missa de Spiritu sancto à Prouin

Digitized by Google

ciali Miniſtro ſolemniter erit celebranda. Tegula ter pulſanda. Demum in electione Definitorum Capituli Prouincialis idem prorſus ritus, ac modus obſeruandus eſt, quem in electione Definitorum Capituli Generalis obſeruandum propoſuimus, nempè vt Definitores omnes de corpore Capituli eligantur; quodque in eorum electione tres Compromiſſarij inſtituantur, & ſingulorum electorum vota exquirantur, atque ij tantum eligantur, in quos maior pars electorum conſenſerit. Illud verò tantum excipi debet, quod in Capitulo Prouinciali quatuor tantum Definitores eligi debent, ex quibus duo ad ſummum ex Definitoribus Capituli proximè elapſi aſſumi poſſunt.

Horum munus, ac officium eſt, ſimul cum Prouinciali Miniſtro cunctas Reorum cauſas definire, emergentia dubia, ac negotia expedire, Guardianorum prouiſiones facere, ſtudia, Lectores, Nouitiatus, ac Nouitiorũ Magiſtros inſtituere, familias inſtruere. Demum quęcunque ad rectam totius Prouincię gubernationem ſpectant, cum ipſo decernere. Idcirco Iudices ſimul cum Miniſtro Prouinciali ſedent, ea poteſtate prędiți, vt ſine ijs Prouincialis Miniſter arduum quicquam expedire nõ deceat; quandoquidem vti de Definitoribus Generalis Capituli ante hac dictum fuit, non ſolum a conſultiuum, verum & deciſiuum in Prouinciali Capitulo, vel Congregatione intermedia votum ſibi vendicant.

a Man. Prælat. tom. 2. q. 17. art. 1. tom. 4.

Quò fit, vt qui Definitor eligendus eſt, vir cum primis rectus, Regulæ, & æqui obſeruantiſſimus eſſe, debeat, ſingulari prudentia ornatus, ſacrorum Canonum non ignarus, ac tali ſcientia imbutus, qua & Reorum cauſas iudicare, & propoſitas quęſtiones ſoluere,

Digitized by Google

uere, ac dubia explicare, & eorum omnium, quæ efficit rationem reddere valeat. Denique ita ab omni cupiditate liber, vt nihil omninò præter id, quod rectum, & honestum est, quodque Diuini nominis gloriam, ac Religionis commodum, atque vtilitatem auget, in animo versetur.

Porrò in publicanda Definitorum electione forma verborum consueta seruetur, quæ est.

In nomine Domini nostri Iesu Christi &c. Hæc est electio Canonica RR.PP. Definitorum præsentis Capituli Prouincialis in hoc loco N. de Vrbe, vel N. Ciuitatis, siue oppidi N. congregati, facta hodie die 20. Mensis Aprilis Anni Millesimi, sexcentesimi &c. In qua quidem electione electi sunt in Patres Definitores.

R. P. F. N. de N. qui habuit voces. O.
R. P. F. N. de N. qui habuit voces. O.
R. P. F. N. de N. qui habuit voces. O.
R. P. F. N. de N. qui habuit voces. O.

Et ego Frater N. Compromissarius nomine meo, & sociorum meorum Compromissariorum virtute Compromissi limitati in nos facti eligo, & electos esse pronuntio ipsos RR.PP. Fratres N. N. N. & N. in Definitores præsentis nostri Capituli. In quorum electione vestrum pars maior consentit &c.

DE ELECTIONE, ET MVNERE Prouincialis Ministri.

CAP. VI.

PRouincialis Ministri non oscitanter, aut imprudenter electio peragenda est. Cum enim in ea de supremo Prouinciæ capite eligendo agitur, à quo omnium

Digitized by Google

membrorum ipsius incolumitas pendet, certè omnium salus periclitatur, cum vel ex consilij inopia, vel percrescentibus prauarum cupiditatum tenebris, quibus prudentiæ lux obruitur, ac fugatur, caput languidum, ac infirmum eligitur; ex quo illum in totius corporis morbū grassari oporteat, de quo subijcit Vates; A Planta pedis, vsque ad verticem non est in eo sanitas, etenim ex sacris litteris perspicuum est, nihil gregi exitialius esse posse, Pastoris indigni, ac seipsum, non gregem pascentis incuria.

Quamobrem electores summa in hac electione prudentia, ac consilio vti debent, ne indignos, ac gregi pernicioſos ad Prouincię gubernacula accersant, neuè morboſa, ac infirma sibi capita constituant.

Definitorum igitur electione peracta, electi Definitores, quilibet suo ordine in mènsa Patrum sedeant. Mox Prouincialis Minister in signum resignationis officij, sigillum Prouinciæ in eorum manus resignet: tùm genuflexus, ac depoſito pallio (quemadmodum de Generali Ministro diximus) suos defectus accuset; cui primus Definitor nomine sociorum respondebit, priùs vocales omnes audiendos, tum si quid admonendum fuerit, omni charitate præstandum.

Post hæc nuper electi Definitores in Definitorio congregati, vniuersos Capituli Vocales ad se vocatos audiant, si quid querelę aduersus Prouincialem Ministrū habeant: tum accersito Prouinciali Ministro ad se in Definitorio, eidem querelarum articulos legant: & tam accusationum articulis, quàm Prouincialis Ministri responsis scripto acceptis, Capitulum à Definitoribus quā primùm conuocetur, in quo Prouincialis Minister genuflexus, ac pallio depoſito, se ipsum humiliter accuset. At vero primus Definitor illum in parato scabello sedere iubeat:

Digitized by Google

iubeat: tum eidem accuſationum articulos, ac ipſius reſponſa diſtinctè legat: & vbi opus fuerit, prudenter exaggeret. Demum illum pœnitentia iuxta Delictorum excessum iniuncta dimittat; ſtatim verò ad nouam Miniſtri Prouincialis electionem à toto Capitulo procedatur: quæ ijſdem planè ritibus celebranda eſt, quibus Generalis Miniſtri electio peragi ſolet: ita vt in ea nihil prorſus addendum, nihil immutandum ſit, præter electionis formam, quæ talis eſſe debet.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti &c.

Hæc eſt electio Canonica R.P. Miniſtri Prouincialis huius noſtræ Prouinciæ N. in hoc loco N. Ciuitatis, ſiuè oppidi N. facta hodie die 26. *Menſis Aprilis anni milleſimi ſexcenteſimi* &c.

In qua quidem electione electus eſt in Miniſtrum Prouincialem huius noſtræ Prouinciæ N. R.P.F.N. de N. qui habuit voces. O.

Et ego Frater N. de N. Compromiſſarius nomine meo, & ſociorum meorum Compromiſſariorum virtute compromiſſi limitati in nos facti eligo, & electum pronuntio ipſum R.P.F.N. in Miniſtrum huius noſtræ Prouinciæ: In cuius electione veſtrum pars maior cõſentit, toto Capitulo cõclamante, *Amen*. Deueniatur deinde (ſi opus fuerit) ad electionem quinti Diffinitoris, prout noſtris Conſtitutionibus cautum eſt, qua peracta.

Statim inchoetur, *Te Deum laudamus* &c. inſtruatur Proceſſio, manuum deoſculatio fiat, vt in ſecundo libro explicatum fuit.

Porrò electi Miniſtri Prouincialis munus erit in Capitulo, ac Definitorio, tanquam proprium Prælatum, præfidere, de Regulari obſeruantia, ac virtutibus fratribus ſermocinari, vniuerſos ad perfectam Regulæ obſeruantiam verbis accendere, & vitæ exemplis anteire: cum

Digitized by Google

cta Prouinciæ negotia cum Definitoribus expedire. Post Capitulum omnes Prouinciæ Conuentus, ac singulos fratres bis in anno visitare; Nouitios de consilio seniorum recipere: à reseruatis casibus absoluere. Ad Generale Capitulum simul cum Custodibus conuenire, ibique suffragia ferre: atque ea omnia munera obire, quę ad proprium totius Prouincię Pastorem, ac Prælatum spectant.

DE ELECTIONE CVSTODVM, & Custodis Custodum tempore Capituli Generalis.

CAP. VII.

POst electionem Prouincialis Ministri, antequam Guardianorum electio fiat; si Capitulum Generale in proximo Pentecoste celebrãdum fuerit, Custodes, qui ad Generale Capitulum conuenire debent, solemnibus totius Capituli suffragijs eligi debent, iuxta ritũ in Cõstitutionibus nostris expressum: nimirum vt duo, vel quatuor Custodes secundum regulas integris, seu diuisis Prouincijs præscriptas, eligantur hoc ordine: In primo Scrutinio primus tantummodo Custos, qui Custos Custodum appellatur, eligendus erit, in cuius electione, qui nuper officio functus est Prouincialis Minister nullum suffragium accipiat: reliqui verò altero scrutinio eligi poterunt, in quo eidem Prouinciali Ministro passiuum suffragium obtinere licebit, vt nostris Constitutionibus præscriptum est; in qua quidem electione illud obseruandum est, quod quamquam necesse non sit, vt Custodes ex corpore Capituli eligantur, attamen opus est, vt sint de corpore Prouinciæ, vt proprium munus, quod circa Prouinciæ negotia pertractanda potissimum

Digitized by Google

mùm verſatur, ritè obire queant. Horum ſi quidem munus commune eſt, electores Generali Capitulo intereſſe; Definitores Generalis Capituli, & Miniſtrum Generalem cum reliquis eligere; eaque omnia legitimè præſtare, quæ in Generali Capitulo ab omnibus electoribus præſtantur. Singulare verò Cuſtodis Cuſtodum munus eſt, Prouincialis Miniſtri, ſi quas habet accuſationes, ad Generale Capitulum deferre.

Cęterum cum hęc Cuſtodum electio Canonica eſſe debeat, eadem prorſus ſubſtantialia ſeruanda ſunt, atq; ijdem ritus ſequendi, qui in Cęteris electionibus, ac præſertim in electione Diſcretorum ſeruãtur. [a] Cum enim ij ſint Diſcreti Prouinciarum, qui idem planè munus in Generali Capitulo obire debent, quo Diſcreti locorum in Prouinciali Capitulo fungi ſolent: ſi localium Diſcretorum electio ſolemni ritu promulgatur, ac teſtimonialibus litteris roboratur; qua ratione eadem electionis ſolemnitas, ac teſtimonialium litterarum robur Cuſtodibus denegari debet? quapropter electis Cuſtodibus, eodem planè ritu eorum à Compromiſſarijs electio in Capitulo celebretur, ac teſtimonialibus litteris Capituli muniatur eo planè modo, quo Diſcretorum localium electio in Conuentibus perfici ſolet, mutatis tantum mutandis hoc pacto.

[a] Manual. Prælat. to. 2. q. 18. ar. 2.

In nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti &c.

Hæc eſt electio canonica Cuſtodum huius noſtræ Prouinciæ N. facta ex impoſitione admodum R. *P. N. Generalis Miniſtri totius noſtri Ordinis hodie die menſis Anni milleſimi ſexcenteſimi* &c. *In qua electione electus fuit in primo Scrutinio in primum Cuſtodem* R. *P. F. N. qui habuit voces. O. In alijs verò ſcrutinijs*

R. P. F. N. qui habuit voces. O.

R. P. F. N. qui habuit voces. O.

R. P. F. N. qui habuit voces. O.

Et

Digitized by Google

Et ego Frater N. Disquisitor, & Compromissarius nomine meo, & sociorum meorum Compromissariorum virtute compromissi limitati in nos facti eligo, & electos esse pronuntio ipsos RR.PP.N.N.N. in Custodes huius nostræ Prouinciæ N. in cuius electione maior pars vestrum consensit &c.

Litteræ testimoniales pro Custodibus, qui ad Generale Capitulum conuenire debent.

Admodum RR. PP. &c. *Fidem facimus RR. PP. VV. qualiter in nostro Prouinciali Capitulo congregato in primo Scrutinio electus fuit R.P.F.N. in Custodem Custodiæ, & in secundo, vel tertio Scrutinio electi fuerunt in Custodes huius nostræ Prouinciæ R.P.F.N. R.P.F.N. R.P.F.N. Rogamus igitur admodum RR. PP. VV. vt eos admittatis in nostro Capitulo Generali ad omnia legitimè celebranda, quæ de iure sibi competi probè nouerit is. Valete ex Loco N. die Mensis Anno millesimo sexcentesimo* &c.

Obedientes filij RR.PP.VV.

Vocales Capituli Prouincialis Prouinciæ N.

Ego Fr. N. de N. Prouincialis Minister affirmo.
Ego Fr. N. de N. Primus Definitor.
Ego Fr. N. de N. Secundus Definitor.
Ego Fr. N. de N. Tertius Definitor.

DE PROVISIONE GVARDIANORVM, & ritu in ea seruando.

CAP. VIII.

ELecto Prouinciali Ministro, priusquàm Guardianorum electio fiat, Prouincialis Minister cum Definitori-

nitoribus in Definitorium conuenientes, cunctos ac singulos Discretos locorum audiant, si quid de Guardianorum administratione, aut locorum necessitatibus admonere voluerint. Quod si hi graue aliquod aduersus Guardianos, aut alios fratres aperiendum habuerint, illud nō aliter, quam scripto testibus confirmato in Definitorio prodant, nisi id Prouinciali Ministro tanquam Patri reuelari voluerint. Singuli quoque Guardiani vocentur, qui Definitorium ingredientes pallio depositō, ac genu flexi se ipsos de malè administrato munere coram Prouinciali Ministro, ac Definitoribus accusent. Prouincialis autem Minister proiectos maximè, ac seniores surgere iubeat, ac fedare, atque ijs oppositos accusationum articulos legat, quos si illi plenè diluere non potuerint, paternè corripiat, & pœnitentia pro culparum grauitate imposita dimittat.

Porrò in his vocandis hic modus seruetur. Tabella in Definitorio habeatur, in cuius dextera parte Guardiani, in læua Discreti locorum sibi respondentes suo ordine sint conscripti. Alteram huic similem tabellam Bidellus, seu conuocator apud se retineat: cum verò ex his aliqui vocandi sunt, pulsetur Campanula in Definitorio, cuius simulac Bidellus sonitum perceperit ad Definitorium accedat, vt vnumquemque, prout illi mandatum fuerit accersat.

Guardianorum, ac Discretorum examine perfecto, noua Guardianorum prouisio fiat ritu, ac modo à Constitutionibus præscripto: nimirum vt ijs communi consensu à Guardianatu exclusis, qui exclusione digni iudicantur: accersitisque scrutatoribus Capituli, vel alijs, si ita visum fuerit in eorum locum subrogatis, Prouincialis Minister, ac singuli Definitores propriam schedulam scrutatoribus exhibeant, in qua tot fratrum ab ijs electorum

Digitized by Google

torum nomina notata sint, quot Guardiani eligendi erunt, ij verò ex tota, & sola duntaxat Prouincia assumi debent, dummodo indigni, aut ineligibiles non sint, & quartum in Religione annum excesserint, quamquam multo in Religione prouectiores esse debent, vt commissum munus maiori prudentia, ac Religionis experientia exercere valeant.

Cæterum Patres eos tantum ad Guardianatus promouendos curent, quos probis moribus ornatos, regularis disciplinæ studiosos, humiles, Orationi deditos, religiosa conuersatione præditos, sufficienti litteratura imbutos; eo tãdem munere dignos, ac idoneos esse nouerint: Tumidos verò, vaniloquos, susurrones, effeminatos, ac præsertim factiosos prorsus ab honoribus arceãt; nam vt [a] S. Leo scribit: sicut boni operis sibi comparant fructum, qui rectum tenent in eligendo pastore iudiciũ; ita graui semetipsum afficit damnatione, qui ad suæ dignitatis collegium sublimat indignum.

[a] S. Leo ser. 61. c.

Porrectis schedulis, scrutatores seorsum singulorum votis inter se diligenter collatis, & absque errore collectis, omnium vota in Definitorio legant, & eos electos pronuntient, in quos maior pars electorum concordauerit. Quod si vno scrutinio numerus Guardianorum perfectus haberi non potuerit tot scrutinia fiant, quot ad Guardianorum numerum explendum sufficiant: neq; antea electi Guardiani publicentur, quàm peracto Capitulo familiarum tabulæ in Refectorio publicè legantur.

DE

Digitized by Google

DE REVERENTIA SVPERIORIBVS exhibenda.

CAP. IX.

SVperioribus in Ordine constitutis, quisnam illis honor, ac reuerentia exhibenda sit, supereſt inquirendum. Et quidem cum Apostolus [a] ad Tymotheum scribens, honorem, qui diuino iure Superioribus debetur, commendet his verbis: *Qui benè præsunt Presbyteri, duplici honore sunt digni*; atque ipse Dominus de reuerentia Prælatis impendenda agens dicat: [b] *Qui vos spernit, me spernit*. Ingens profectò subditorum culpa erit, si eos, quibus subesse, obedientię voto adstringuntur, reuerentia prosequi negligant, aut recusent. Quamobrem fratres satagere debent, vt omni tum rusticitate, tum animi arrogantia deposita duplici honore, ideſt maiori, quoad fieri potest reuerentia, vt explicat [c] Theodoretus, suos Superiores afficiant; vel vt interpretatur [d] Hieronymus, duplicem officij, ac doctrinæ honorem illis, velut Pastoribus, ac Doctoribus impendant. Has enim velut geminas rationes quisque in suo Superiore intueri debet, quibus ad ipsum maximo honore prosequendum moueatur: officij nimirum dignitatem, qua Pastores sunt, & Doctrinæ splendorem, qua suos subditos erudiunt.

[a] Ad Tym. 5.

[b] Luc. 10.

[c] Theod. in 1. Thym. 5.

[d] Hieron. in 1. Ro. 5.

Verum id faciliùs, ac libentiùs subditi prestabunt, si in suis Superioribus eam muneris, ac personę excellentiam agnoscant, qua Deum, cuius vices gerunt, ac potestatem participant, inter homines repręsentare, ac illius personam, & maiestatem in terris referre valent. Inde enim Inclytus ille Iesuitanæ Societatis [a] Fundator, potissimum reuerentiæ fontem hausit, qua superiores afficien-

[a] B. Ignat. Loyola epist. obedien. §. 4.

Digitized by Google

ciendos esse monet his verbis: *Sedulò vos in eam curã atque exercitationem incumbere cupio, vt Christum Dominum in Superiore quolibet agnoscere studeatis: in eoque Diuinæ Maiestati reuerentiam, atque obedientiam summa cum Religione præstare.*

Et quamquam nemo facilè superioris vitam iudicare debeat: attamen si quæ in Prælati moribus improbitas nulla tergiuersatione celari possit; id eos ab instituto reuerentiæ munere mouere non debet; neque enim in eo priuata persona, sed dignitas; non hominis conditio, sed Vicaria Dei potestas; neque meritum, sed diuinum planè munus spectandum est, quibus honor, ac reuerentia debetur, vt docet b Bernardus his verbis: *quod etsi iam manifestè innotuerit indigna Prælati alicuius vita: vt nihil omnino dissimulationis, nihil excusationis admittat; propter eum tamen, in quo est omnis potestas, ipsum, quem modo talem nouimus, excelsum reputare debemus: non præsentibus Personæ meritis, sed ordinationi Diuinæ, & dignitati ipsius officij deferentes.* Maximam igitur suis superioribus, tam interiùs, quam exteriùs reuerentiam exhibere fratres assuescant. Interiùs quidem illos reuerentia afficient, si eosdem ex animo diligant, honore dignos existiment, & de ipsorum officio, ac dignitate sublimia sentiant. Exteriùs verò eos honore prosequentur, si ea reuerentiæ, ac subiectionis signa ijs exhibere curent, quibus Superiorem prosequi decet. Ea verò ex Doctrina Patrum quam plurima enumerantur. Primum est coram superiore caput nudare. Aliud venienti assurgere. Aliud transeunti caput inclinare. Cum sedente non sedere, sed stare. Præeuntem subsequi; eo trãseunte sistere. cedere loco digniori, ac via. sinistro tantum lateri adhærere; loquentem nunquam interrumpere, sed audire. Sedenti, aut ambulanti non nimis

b S. Bern. serm. de Aduentu.

nimis appropinquare; cum eo non contendere, aut illi verborum importunitate lacessere. In cachinnum coram illo non erumpere. eo presente non clamare; caput, aut manus illius non tangere. Incomposito corpore, aut habitu ante illum non existere. Debitis honorū titulis eundem prosequi. Denique ab omni cōtemptus signo abstinere. Si Generalis, aut Prouincialis fuerit, aut ex maioribus Superioribus quispiam, eos decet nō nisi genuflexo alloqui, & eodem modo eos loquentes audire, eorumque iussa capessere. Si Iuniores fratres sint non tàm maioribus, quàm minoribus etiam superioribus idem reuerentię signum prestare debent; vt vetustus fert nostrę Religionis vsus, quę omnia honoris, ac reuerentię signa Prelatis debita esse tradunt [a] D. Bonauentura, [b] S. Benedictus, [c] Smaragdus, [d] Camaldulenses, [e] Ioannes Trullus, [f] Seruatius, [g] Vmbertus, [h] Regulę Societatis Iesu, atque alij Regularum expositores.

Cæterum cum varij sint honorum tituli, quibus Superiores iuxta cuiusque dignitatem prosequendi sunt. In his supremus, qui Generali Ministro, Procuratori Ordinis, aut ijs, qui his muneribus functi sunt, & Definitoribus Capituli Generalis debetur, est (Admodum R. Patris.) Hoc paulò exilior est, qui visitatorem Generalem, Ministrum Prouincialem, Visitatorem Prouincialem, & Definitores Capituli Prouincialis, aut talibus officijs iam functos decet, nempè (R. Patris.) Infimus tandē, qui est (Admodum Venerandi Patris,) ad Custodes, Guardianos, & Vicarios locorum spectat, qui nunquam Definitoria dignitate sunt potiti; quibus vniuersos, suo cuique honoris titulo seruato, ita affici oportet, vt qui debitos cuique honores denegauerit, irreuerentiæ proculdubio maculam contrahat, qui verò ampliori, quàm par est, ex ijs quempiam titulo exornauerit, fędę adula-

[a] D. Bon. p spec. p. 1. c. 6.
[b] S. Bened. reg. c. 36.
[c] Smaragd. in cap. 4. & 63. Reg. S. Bened.
[d] Camal. li. 1. c. 63.
[e] Trull. li. 4. c. 25. §.
[f] Seruat. ope sp. 18. tust u. 6.
[g] Vmber. li. de instr. off. c. 5.
[h] Reg Soc. Iesu. reg. 22.

Digitized by Google

adulationis ſuſpicione non vacet.

Denique Superiorem ſuum quiſque honoret, vt Patrem. Appellatio enim iſta, quæ, teſte [a] Hieronymo, Religioſorum maximè Superioribus conuenit, & pietatis eſt, & poteſtatis, vt [b] Tertullianus loquitur. Pietatis quidem propter paternæ curæ ſimilitudinem, quam erga ſubditos, tanquam filios gerunt; Poteſtatis verò ob iurisdictionem, quam velut Iudices erga ſubditos exercent, ex quibus in ſubditis tùm amor, tùm filialis timor erga ſuperiorem oriri debent: atque vtriusque ratione debita pietati, poteſtatique reuerentia ex ijsdem proficiſci.

[a] S. Hieron. ep. 14. ad eclant.

[b] Tertull. li. de orat. c. 2.

Hæc autem vt faciliùs ſubditi erga ſuperiores præſtare poſſint, tria potiſſimùm vitia illis vitanda ſunt. Primum eſt ſuperbia: ne ſcilicet ſuos ſuperiores iudicent, aut honore minus dignos eſſe exiſtiment; vel quod peius eſt, in eos arroganter inſurgant: Initium enim omnis peccati, atque adeo omnis irreuerentiæ mater ſuperbia eſt, quæ nec Deum timet, nec homines reueretur. Idcircò hanc priùs Religioſus ab animo expellere debet, vt tam interiùs, quàm exteriùs debitam ſuo Superiori reuerentiam exhibeat.

Alterum eſt ruſticitas: non illa quidem, quæ ſancta eſt, quæquè religioſum hominem ab Aulicorum moribus, ac conuerſatione longè diſiunctum ad religioſam ſimplicitatem transfert: ſed ea dumtaxat, quæ congruũ alteri honorem deferre neſcit, quæ ſanè vitioſa ruſticitas eſt, atque eò damnabilior, quo ſub ſimplicitatis nomine debita reuerentiæ ſigna ſuperiori denegare audet, nequè enim vera ſimplicitas, quæ virtus eſt humilitati cognata, adeo ruſtica eſt, vt honoris, ac reuerentiæ, quæ Prælatis etiam exterius debetur ſit ignara. Quapropter qui religioſi haberi volunt, veram ſimplicitatis virtutem

Digitized by Google

tutem ex animo amplectentes, vitiosam rusticitatem abijciant, quæ irreuerentiam fouet.

Postremò tandem illis nimia cum Superioribus familiaritas vitanda est; siquidem experientia quotidiana compertum est, ex nimia familiaritate sæpè contemptum, ac irreuerentiam gigni: ex ea enim quædam agendi, atque dicendi libertas oritur, quæ metum illum, ac verecundiam, quæ reuerentiæ comites esse solent, quæque è Superioris Maiestate fluunt in animo perimit. Denique incredibile est, quot nimia familiaritas, non solum cum Superioribus, verùm & cum cæteris siuè æqualibus, siuè senioribus contracta, reuerentiæ cuilibet debitæ vulnera inferat: ex quo id tandem exploratum est, trina hæc Cerberi capita, quæ debitam superioribus reuerentiam deglutiunt, vero Religioso cum primis præcidenda esse.

Verùm & Superiores ita vitam instruere debent, vt se omnibus honorabiles præbeant: is enim facilè contemnitur, cuius vita despicitur: Præcipuè verò erga subditos ita se gerant, vt omnes tanquam filios diligãt, & congruo honore prosequantur. Nemini austerè imperent; nullum sua potestate opprimant: linguam à verbis iniuriosis, ac imperiosis in primis compescant: benignè ac modestè cum omnibus loquantur, mansuetudinem seruent. Meminerintque extra delictorum culpas, se omnium esse seruos, ac Ministros. *Rectorem te posuerunt* (inquit [a] sapiens,) *noli extolli, sed esto in illis quasi vnus ex ipsis*. [a] Eccles. 32.

Denique forma facti gregis ex animo, vt Apostolus monet, curent subditis magis virtute, & exemplo, quàm auctoritate præesse.

Quod si interdum subditus correptione indigeat; id non asperè, non violenter, non impetu fiat: sed correp-

Digitized by Google

tionem ſuperior tanto lenitatis, ac manſuetudinis ſpiritu attemperet, vt in ea paternam potiùs diſciplinã, quã vindictę appetitum, aut ſuperbię typhum oſtendat.

DE CONSILIIS SVPERIORVM curiosè non indagandis.

CAP. X.

PLurimas ſępè tùm publicas, tùm priuatas perturbationes peperit curioſa rerum inueſtigatio, earum præſertim, quę ad ſuperiorum gubernationem ſpectant, quas dum anxij ſcrutatores, velut Canes venatici, qui vniuerſa odorantur, ſagaciter exquirunt. Duo potiſſimum incommoda in ordinem inuehunt. Aut enim ſi ſuperiorum conſilia aſſequuntur, non rarò rectam eorum gubernationem impediunt, dum eorum deliberationes carpunt, ac iniuſtis calumnijs inſequuntur, vel etiam immaturè produnt; vel ſi ad ea minimè pertingunt, (quod frequentiùs accidit) falſis rumoribus, ac ſuſpicionibus omnia replent. Quo fit, vt huiuſmodi curioſas de rebus Superiorum inquiſitiones, tanquam Ordinum peſtes, vniuerſi penè regularium auctores iuſtiſſimè damnent.

[a] S. Baſil. in Reg. fuſ. Diſp. 9.48.

Hanc inſequitur S. [a] Baſilius ita ſcribens: *Caterum nequis facilè in huiuſmodi vitium, ſecus de Antiſtite ſuſpicandi, aut iudicandi cum detrimento tùm ſuo, tùm Reliquorum etiam Fratrum incurrat: illud in vniuerſum obſeruari in Conuentu debet, vt nullo modo quis curiosè Antiſtitis conſilia perueſtiget, aut in eius facta anxiè inquirat.* Hanc [b] Carthuſienſes in ſuis Conſtitutionibus prohibent, & viſitatoribus mandant, vt eos, qui de Domorum regiminè curiosè inquirunt, aut in eorum adminiſtratione vltrò non vocati, ſe intromittunt, durè repre-

[b] Carth. 2. Stat. ca. 14. nu. 8.

Digitized by Google

reprehendant, ac corripiant. Hanc [c] S. Ignatius Iesuitanæ Societatis Fundator his verbis damnat: *Quæ à superioribus circa administrationem agenda sunt, nemo curiosè ab alijs exquirat: sed vnusquisque sibi, ac muneri suo attendens, quicquid de se, atque alijs constituendum erit, tanquam de manu Domini expectet.* Eandem quoque [d] Clerici Regulares S. Pauli; atque aliæ, Regularium Congregationes, velut pestiferam expellunt.

[c] S. Ignat. Loyol. reg. comm. reg. 71.

[d] Cle. Reg. S. Pauli Instit. noui. c. 18. §. 6.

Quapropter tam pernicioſam luem nos quoque à Sacro noſtro Minorum Ordine euulſam optantes, primùm quidem vniuerſos Fratres in Domino hortamur, vt propriæ vocationis memores, ſe ipſos totos in rerū ad ſe pertinentium cura occupent. Inde enim fiet, quod S. [a] Basilius monet, vt minimè in aliorum, ac præſertim Superiorum conſilijs exequendis ſint curioſi. Frequēs [b] S. Dorothæi dictum illud erat: *Tuam ipſius rem agito*; cui quilibet religioſus mordicùs inhærere debet, ac meminiſſe, ſe non in alienam, ſed in propriam tantum meſſem falcem mittere debere, neque ad aliorum, ſed ad ſuam tantum vineam excolendam vocatum eſſe.

[a] S. Basil. Reg. fus. resp. 48.

[b] In vita S. Doroth.

Deinde ſe ipſos tutò ſuis Superioribus credant; quid enim ſi ipſi apud Deum Iudicem pro animabus noſtris rationem ſunt reddituri: an non æquum eſt, vt quibus animas committimus, exteriorum quoque regimen abſque vlla hæſitatione relinquamus? Audiant [c] Basilium: Cum illi animas noſtras gubernandas commiſimus, tanquam de ijs rationem reddituro, prorsùs abſurdiſſimè facimus, ſi huic fidem in rebus comptentiſſimis abrogamus. Id enim vitij ex diffidentia, ac reuerentiæ defectu erga Superiores potiſſimùm oritur.

[c] S. Basil. Reg. fus. resp. 48.

At verò ſi Religioſis ea virtus altè animo inſideret, qua omnem ſui ipſorum curam, ac ſolicitudinem in Deum proijcientes, vniuerſa de manu Domini expe-

Digitized by Google

starent, ac velut rationabilia iumenta è Superiorum nutu, tanquam ex Dei nutu penderent, facilè profectò curiosas huiusmodi de consilijs, ac rebus agendis Superiorum interrogationes, & anxias percunctationes abscinderent: quibus interdum, tum socios Prouincialium, tũ Superiorum amicos, ac beneuolos, tũ aduenas Fratres, & eos, quos arcanorum conscios esse posse sibi persuadent, molestia afficiũt, & si nihil ab eis expiscari valeãt, protinùs in coniecturas, in suspicionem, in temeraria iudicia proruunt; & cum potiùs falsa diuinent, quàm vera assequantur; suo se ipsos vitio lædunt, ac erroris sui pœnas luunt, dum mentis tranquillitate omissa, perturbato animo fiunt, cogitationibus afflictantur, & cęteros in eandem animi perturbationem impellunt.

Hac igitur Fratres se molestia liberent, sibi ipsis attẽdant, De superioribus benè sentiant: cuncta nudè de manu Domini pręstolentur; & omnem curiositatem circa Superiorum actiones, deliberationes, consilia abijcientes, vera animi apud se ipsos tranquillitate fruantur, illius dicti memores: *Viue Deo, tecumque habita.*

DE MVTVA INTER FRATRES reuerentia seruanda, & reuerentiæ gradibus.

CAP. XI.

NOn modo Superioribus, quibus reuerenter, ac humiliter subesse diuina lege iubemur; verum & maioribus, & inferioribus, & æqualibus debitũ vnicuiq; honorem, ac reuerentiam exhibendam esse, vox est Apostoli monẽtis: *Omnes honorate, fraternitatem diligite.* Equũ enim est, vt qui superno Dei munere ad cęleste brauiũ vocati, in Dei filios cooptati sunt, ac diuina vocatione donati, sublimem Religionis statum assequuti sunt,

1. Petri 2.

Digitized by Google

sunt, ac perfectissimè Deo famulantur, certatim honore se inuicem præueniant, vt idem Apostolus suadet: id enim & æquitatis ius, & iustitiæ virtus requirit, quæ quod suum est, vnicuique tribuit. Hinc [b] Bernardus: *Redde* (inquit) *superiori, redde inferiori, redde æquali, cuique quod debes, & dignè celebras Aduentum Christi, parans in iustitia sedem suam.* Quod confirmat [a] Isidorus ita scribens: *Potiori gradui competentem reuerentiã tribue, & iuxta dignitatem vnicuique redde honorem.* Neque enim idem omnibus honor impendi debet; sed qui cuique proprius est, iuxta dignitatem est compensandus; ita tamen, vt nemo, tametsi infimi gradus existat, suo apud nos honore careat. Ex hac enim mutua Fratrum reuerentia quamplurimæ nascuntur virtutes, & vberrima inter religiosos pax, & concordia nutritur.

[b] S. Bern. serm. 3 de Aduentu.

[a] S. Isid. li. de Sinon c. 16. in fin.

Sed quoniam inter nos varij Personarum gradus distinguntur; sunt enim Lectores, sunt Prædicatores, sunt Sacerdotes, sunt Clerici, sunt Laici, seu Conuersi. His quis cuique honoris, ac reuerentię gradus debitus sit, explicandum erit.

Primum igitur Discipulorum erga Lectorem tantus debet esse honos, ac reuerentia, vt eos velut parentes, non quidem corporum, sed animorum existimare debeant, à quibus non esse naturę, quod cum brutis animantibus commune habent, sed bene esse, quo diuinam imitantur naturam, acceperunt; ob hanc enim causam Aristotelis dictum [b] à Laertio, & [c] Philostrato relatum laudatur, cum ait: *Maioribus dignos honoribus esse parentes, qui liberos instituissent, ijs, qui tantum genuissent: quod his vitæ solùm, illis præterea vitæ bene dicendæ ratio debeatur.*

[b] Laert. li. 5. in Arist. [c] Philost. li. 6. c. 14. de vita Apol.

Hinc sanctus [d] Isidorus Pelusiota geminas in Mgistro rationes animaduertit, quibus illi à Discipulis reueren-

[d] Isid. Pelus. lib. 2. ep. 26.

Digitized by Google

tia debetur; nimirum quia Diſcipulorum parens eſt, & Gubernator, quas rationes fuſiùs explicans [e] D. Thom. docet, duplicem Magiſtris reuerentiam à Diſcipulis præſtandam eſſe. Primum ob excellentiam Doctrinæ, quæ reſpectu Diſcipulorum in Magiſtro reſidet, tùm ob aliquod munus regendi, quod Magiſter erga Diſcipulos exercet, dum illos in docendo regit, & ad finem dirigit, quo etiam ſpectat illud [a] Hieronymi: *Aliud eſt conferre aliud diſcere; inter cõferentes æqualitas eſt; inter Docentem, & Diſcentem, minor eſt ille, qui diſcit.* Quamobrẽ (vt aliàs dictum fuit) Diſcipuli ſtudijs operam dantes Lectores ſuos omni non modo reuerentia proſequantur, verum & in ijs, quæ ad ſtudiorum rationem ſpectãt, ijsdem humiliter ſubſint.

[e] S. Thom. 2. q. 102. a. 1.

[a] S. Hieron. epiſt. ad Gal. 2.

Lectores è regione Diſcipulis ſe faciles, ac affabiles præbeant, atque omnes æquali Charitatis affectu diligentes, eos tùm in pietate, tùm in Doctrina erudiant, vt alibi expſicatum fuit.

Prædicatores ſacrum Dei Verbum euangelizantes, velut Apoſtolicum munus obeuntes, B.P.N. [b] Franciſcus extremum ſpiritum agens Teſtamento nobis reuerendos reliquit. Hi enim (vt ipſe ait) velut ſpirituales Parentes ſpiritum nobis, ac vitam, (non quidem naturalem, ſed ſupernaturalem) miniſtrant. Quæ profectò B. Patris ratio pro omnibus, quę in hoc genere afferri poſſent, vna ſufficere debet; nam, vt [c] Bernardus ait: ſi Parentes carnis noſtræ germaniùs propter naturam diligimus, & reuerentia proſequimur, certè ſpirituales eruditores ſuos quiſque profuſiùs propter gratiam debet honorare. Atque inde in [d] Concilio Calcedonenſi Flauianus Epiſcopus hæc de Prædicatorij muneris honore his conſona diſſeruit: *Pietate, & recta prædicatione verbi veritatis nihil honorabilius Sacerdotibus: omnis enim*

[b] S. Franc. in teſt.

[c] S. Bern. ſerm. 50. in Cant.

[d] Epiſt. ad Leon. PP. quæ eſt in præamb. Concil. Calcedon.

Digitized by Google

enim nostra spes, atque salus, & retributio promissorum bonorum in his est. Quapropter Clemens Romanus Petri Apostoli documenta referens, hæc inter alia habet: Princeps Apostolorum (inquit) manifestè cunctos audientes instruebat dicens; Videntur mihi qui loquuntur verba veritatis, & qui illuminant animas hominum, similes esse radijs solis, qui vt processerint, & apparuerint mundo, celari vltra, aut occultari nullatenus possunt; dum non tam videntur ab hominibus, quàm videre omnibus præstant. Vnde benè per se ipsa veritas ad veritatis præcones ait: vos estis lux mundi. Ex quibus sanè explicatum est eos, qui laborant in verbo, omni apud nos in honore esse habendos.

Ad Sacerdotes venio, quorum tam sublimis, & excellens dignitas est, vt eam digno honore nemo prosequi possit. [a] Chrysostomus integros de Sacerdotum dignitate, ac diuino propemodum honore illis impendendo libros conscripsit. Beatus Martyr, [b] Ignatius Sacerdotium summum honorum esse dixit, qui in hominibus consistunt. [c] Ambrosius Sacerdotes Regibus cultu, ac veneratione antecellere probat. Alij denique Patres [d] Gregorius Nazianzenus, & alter [e] Nyssenus, [f] Ephrem, [g] Isidorus, [h] Hieronymus, [i] Gregorius nihil frequentius quàm honorem Sacerdotibus deferendum exagitant.

Sed ijs omnibus prætermissis, vnum illud nobis sufficiat, quod B. P. N. Franciscus in suo testamento scriptũ nobis his verbis reliquit: *Et ipsos* (inquit,) *& omnes alios Sacerdotes volo suspicere, diligere, & honorare, tanquam Dominos meos, & nolo in ipsis considerare peccatum, quia filium Dei in ipsis discerno, & Domini mei sunt. Idque propterea efficio, quia nihil video corporaliter in hoc seculo de ipso Altissimo filio Dei, prater quam sanctissimum*

[a] S. Chrys. trib. lib. de Sacerdot.
[b] S. Ignat. Episcop. ad Smyrn.
[c] S. Ambr. li. de dign. Sacerd. c. 2.
[d] Gregor. Nanz. orat. 1. nu. 125.
[e] Nyssen li. de vitu Moysis.
[f] Ephrem. to. 1. serm. de Sacerd.
[g] Isid. Pelus. li. 3. ep 20.
[h] Hieron. Ep. 1. ad Heliod.
[i] S. Greg. li. 4. reg. Ep. 31.

ſimum corpus eius, & ſanctiſſimum ſanguinem ipſius, quod ipſi conſecrant, & recipiunt, ipſique ſoli cæteris administrant.

Idcircò Sacerdotes ſiuè Nouitij ſiuè Profeſſi, tàm in Choro, quàm in Menſa cęteros omnes, qui Sacerdotes non ſunt, pręcedant. Ac pręterea æquum eſt, vt tranſeunte Sacerdote omnes caput aperiant: nemo, etiam Clericus, aut Laicus cum Sacerdote niſi ab eo rogatus, conſedere audeat; & tunc quidem ſi in domibus ſecularium ſint, non æquali gradu, ſed ſella paulò longiùs à Sacerdotis ſella retroacta ſedeant. Locus honoratior tam in via, quàm in conſeſſibus ab ijs, qui Sacerdotio non fruuntur, Sacerdotibus tribuatur. Nullus niſi nudato capite Sacerdotem alloquatur; nemo Sacerdotẽ, multo minùs Superiorem alloquens abiectiſſimum illũ loquẽdi modum vſurpet, qui fit per Tu, tibi, te, vel vos, vobis: hunc enim modum tanquam Religioſę obſeruãtię, quę Sacerdotibus debetur, violatorem omnes penitus [a] Ordines à ſuis conuerſationibus repellunt; ſed eo potiùs vtantur, qui apud modeſtos, ac morigeratos homines vſitatus habetur: nimirum, veſtra Paternitas, hęc enim appellatio honoris Sacerdotibus debetur, qui ſoli Patrum nomine vocari debent, velut ad ſpirituales filios generandos apti; vt apud pleroſque [b] Ordines lege receptum eſt: quod etiam nouiſſimè [c] Clemens VIII. Pont. Max. approbauit, cum decretum illud Clericorũ Regularium, qui Miniſtri Infirmorum nuncupantur, ſua auctoritate confirmauit, quo ſancitur, vt Sacerdotes tãtum Patres appellari, ac nominari valeant. quod etiam apud nos perpetuò obſeruari, ac cuſtodiri æquum eſt: nimirum, vt pręter Sacerdotes nullus ex Clericis, quantumuis ſacris initiatus, neque ex Laicis licet ſenior tàm loquendo, quàm ſcribendo Pater nominetur, aut veſtrę

Pater-

[a] Vmb. lib. de Inſt. off. c. 2. §. quid membra. Cler. Reg. S. Pauli in reg. cõuerſ. Pars 2. c. 4. Carmel. S. Eliz p. 1. conſt. c. 14. §. 6.

[b] Clr. VIII. in Bulla cõ firm. Ord. miniſt. Infirm.

Paternitatis appellatione afficiatur; sed Fratres communi nomine nuncupentur: nec tamen rusticus ille loquendi modus, Tu, tibi, te, dum cum ijs agitur, vsurpetur; sed modestior illa verborum forma, quę fit per vos, vobis, vt apud nos mos est, vsitetur.

Clerici inter seuerioris Disciplinę annos adhuc constituti, Sacerdotes non nisi genuflexi alloqui audeant: Laici quoque tametsi ętate prouecti, tam in exteriori obseruantia, quàm in modo conuersandi, eam erga Sacerdotes reuerentiam, ac humilitatem prę se ferre discãt, quam Sacerdotalis ordo, ac dignitas postulant. Nouerintque maximam sui ipsorum muneris partem, atque adeò Laicalis nominis gloriam in eo consistere, vt altissimam sui status perfectionem humilitate, & erga alios, prę sertim Sacerdotes reuerentia, acquirant. Huc enim spectat quod de a B.Egidio B.P.N. Francisci socio litteris traditum est: quod inter alia adminicula, quibus sublimem perfectionis gradum conscendit, illud potissimum fuit, quod erga alios reuerentię cum primis studiosissimus fuit: quo fit, vt obuiantes sibi Sacerdotes, multò magis Superiores, humili capitis inclinatione excipere, illis caput aperire, locum dare, & omnia reuerentię signa, quę superiùs exarata sunt, illis exhibere debeant.

a Chron. lib. 1.

Iam verò ad Clericos, ac Laicos accedo, quibus proprius cuique gradui honos proculdubio deferendus est. Porrò sicut Clerici Sacerdotibus primas in omnibus deferre debent, eosque tanquam Patres, ac Dispensatores Mysteriorum Dei, dignis honoribus prosequi; ita Laici Clericis tãquam Sacrorum Altarium Ministris, & in sortem Domini vocatis, caput aperire, digniori loco cedere, primas tam in Processionibus, quàm in mensa tribuere, atque ea honoris signa exhibere debent: quę

sacrum

Digitized by Google

sacrum Clericatus ministerium suaptè natura, velut debita exposcit.

Clericis è regione erga Laicos Fratres eam reuerentiam inesse oportet, vt omnes, atque eos præsertim, qui seniores sunt, atque ætate graues, velut matres honorare debeant, ijsque caput nudare, dicto citiùs obsequi, reuerentiam tam verbis, quàm vultu ostendere. Cum ijs non sedere; venientibus assurgere, loquentes non interrumpere, asserentibus non contradicere, & tanquã senioribus honorem senectuti debitum deferre. Sic enim decet Iuniores seniorum Canitiem venerari: nam vt [a] Sapiens docet: *Dignitas senum canities est*; quæ cum apud omnes vtique gentes, teste [b] Ambrosio, sit honorabilis, tùm maximè apud Religiosos honore digna est, qui validioris ætatis cursum in Dei obsequios summa cum laude peregerunt.

[a] Prouerb. 20.
[b] Amb. in 1 Thym. 5.

Cæterum inter æquales non ætas, sed Religiosæ professionis antiquitas iuxta veterum sanctorum placita ordinem præscribat: ita vt iuxta [c] B. Hieronymi sententiam, quicunque Monasterium primus ingredirur, primus sedeat, primus ambulet, primus Psalmum dicat, primus in mensa manum extendat, prior in Ecclesia communicet; nec ætas inter eos quæratur, sed Professio; quod etiam [d] S. Benedicto, [d] ac plerisque ex illis prioris æui Patribus placuit.

[c] S. Hier. Præf. in Reg. 5. Pachom.
[d] S. Bened. Reg. c. 63.
[e] Smaragd. in cap. 63. Reg. S. Bened.

Postremò Fratres vniuersos hortamur in Domino, vt omni tumore longè ab animo pulso, quo debitus alteri honor trucidatur, vitioseque rusticitate remota, quæ irreuerentiæ est parens, demùm nimia familiaritate exposa, quę contemptores animos parit, mutua sibi vicissim honoris, ac reuerentię signa vbique impendant; multum enim (vt [e] Ambrosius ait) ad roborandam dilectionem valet, cum secundum Doctrinam Apostoli-

[e] Ambros. Epist. 81 ad Demet.

cam

cam inuicem se homines honore prȩueniunt: & alter alterum Superiorem existimantes, amant seruire subiecti, & nesciunt tumere Prælati. Etenim cum nihil magis fraternam Charitatem iugulet, ac pacem inter fratres turbet, quàm opinio contemptus, quæ illius animũ inuadit, qui debito honore fraudatur. Profectò ad mutuam Charitatem inter fratres conciliandam, ac tenendam, animique ingenuitatem declarandam nihil vtilius, si D.[b] Bonauenturæ credimus, esse potest, quàm vt iustum cuique honoris debitum exoluamus. Deferre (inquit) humiliter socijs honorem, Charitatis est fraternæ fomentum, conscientiæ bonæ, illustrisque animi euidens argumentum; vix, nisi socio deferas, cum ipso proficies. Certent igitur Fratres, vt se inuicem honore præueniant: qui superiores sunt, subditos eo honore afficiant, qui pro cuiusque dignitate cuique proprius est, vt subditorum sibi amorem, ac beneuolentiam concilient; subditi quoque debitum Superioribus honorẽ impendant. Sacerdotes maximo apud omnes in honore habeantur, vt is, qui in ipsis Sacerdotij auctor est, in his cum primis honoretur: Iuniores senioribus, licet æquali, aut minori dignitate præditis, velut maioribus reuerentiam exhibere discant; id enim & veneranda senectus, & Canities longa annorum serie diuinis obsequijs comparata, deposcunt. Seniores se Iunioribus affabiles, ac sociabiles exhibeant, ijsque dilectionis paternæ gratiam impendant, vt eorum honore frui possint. Aequales æqualibus, nec non Inferioribus mutua cum reuerentia occurrant, vt perpetuò inter Fratres teneri Charitas possit. Ita fiet, vt Apostolicum consiliũ, quod [a] Petrus suadet, cum ait: *Omnes honorate, fraternitatem diligite*; & [b] Paulus post ipsum inculcat dicens: *Charitate fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem prȩuenientes,*

[b] S. Bonau. 2. p. spec. p. 1. c. 6.

[a] 1. Petri 2. [b] Rom. 12.

nientes, quo planè indicant fraternam Charitatem ex mutua honoris exhibitione pendere, apud nos tandem feliciùs impleatur.

DE DISCIPLINA IN MVTVA Fratrum conuersatione seruanda.

CAP. XII.

REligiosorum conuersatio multis virtutum insignibus clara, ac illustris esse debet, vt à Cœlesti Angelorum conuersatione, cuius ipsa typum gerit, propiùs abesse conspiciatur. In his ordine prima est morũ grauitas, ac compositio, quæ in omni conuersatione propterea seruanda est, ne mentis leuitas, quę scurrilitates, cachinnos, ineptas lętitias, murmurationes, detractiones, ac pleraque eius generis vitia parit, animum dissoluat. Hac enim grauitate, quæ pondus animæ à

c Gregor. mor. l. 19. c. 4. c Gregorio appellatur, destitutus animus facilè in omnem, tùm verborum, tùm actionum dissolutionem ruit.

Debent igitur, qui ad mutuam conuersationem accedunt, prius animum grauitate, ac maturitate, velut præsidio munire, vt nihil vanum, nihil scurrile, nihil ad risũ, & cachinnos mouens effutiant; sed quæ seria, quæ vtilia, quæ necessaria sunt, ac spirituali profectu digna, hæc tantum animo versent, hęc verbis depromant, hæc alijs cogitanda, ac pertractanda proponant: *Ridere, aut rideri* (inquit a Hieronymus) *secularibus relinque. grauitas tuam personam decet:* quandoquidem teste b Basilio, non abesse à se intemperãtiam significat is, qui profuso nimis, petulantique risu teneatur. Porrò si de immoderato risu hæc à Patribus dicuntur, quid de stultiloquio, quid de scurrilitate, quid de obscęnis verbis, atque

a Hieron. Ep. 8. c. 7. b S. Basil. regul. fus. resp. 17.

Digitized by Google

que alijs intemperantiæ vitijs, quæ ex mentis leuitate fluunt, dicendum erit; quę c Apoſtolus ab omnium nedum Religioſorum perſonis effugari iubet? c Epheſ. 5.

Teneant igitur verborum, & actuum grauitatem, ac maturitatem, quæ tùm ex rerum vtilium colloquio, tùm ex modeſta, ac tranquilla verborum prolatione, tum ex capitis ſtabilitate, oculorum demiſſione; frontis ſerenitate; vultus hilaritate, inceſſus grauitate, manuum continentia, geſtuum ordinatione, deniq; ex totius corporis recta, ac religioſa cõpoſitione, potiſſimũ declaratur.

Altera, quæ in domeſtica conuerſatione virtus erigitur, eſt humilitas, quæ religioſam grauitatem ita comitari, & attemperare debet, vt grauitas ſine humilitate non ſit, ne ſuperbiat; & humilitas cũ grauitate ſit coniuncta, ne nimis ſit deiecta. Hæc porrò humilitas ſi non fictè, aut apparenter, ſed ſincerè, ac profundè Religioſi animo inſederit: id illi in mutua conuerſatione præſtabit, vt cũctos voce remiſſa, & vultu placido alloquatur: neminem deſpiciat, neminem mordeat; irrideat nullũ: a nullum dictis, aut factis laceſſat, cum nullo contendat; nulli verborum procacitate, aut importunitate ſit oneroſus, lubenter omnibus cedat; cæteris vbique primas tribuat, aliorum dicta, aut facta, quæ laude digna ſunt commendet: prę alijs doctus, aut prudens haberi non expetat. Cęterorum ſenſus, aut ſcita ſuis anteponat: quę minus interdum aò alijs doctè, aut ſubtiliter prolata ſunt, prudenter diſſimulet, aut benignè interpretata in meliorem ſenſum conuertat. Aliorum mores, ſi quãdo improbi ſint, ęquo animo ſuſtineat. Hęc tandem humilitas Religioſum virum omnium oculis gratum, & amabilem reddit. a S. Bonau. de perfect. Relig. li. 2. c. 31.

Tertia mutuę conuerſationis virtus eſt circumſpectio, qua quilibet in familiari cęterorum conuerſatione

vti

vti debet: ne scilicet quemquã dicto, aut facto prę ignorantia lędat: facilè enim ex ore euolat verbum ioco, aut relaxandi animi gratia dictũ, quod cum ex pręsentibus, aut absentibus quempiam pupugerit, illud non iocosè, sed serio, & ex animo prolatum iudicatur; ex quo sępissimè[b] iurgia, rixę, odia, malevolętię, simulationes ebulliunt, quę vix vlla deinde satisfactione verborum extingui possunt. meminerint, sanctorum doctrinam esse, vt omnia verba bis ante ad limam veniant, quàm semel ad linguam: ac prętereà hanc animi cautionem, ac circumspectionem in omnibus quoque alijs, tàm verbis, quàm actibus adhibeant: vt se ipsos ab omni casu, ac labe puros custodiant; cum enim familiaris conuersatio non nihil animum laxet, & liberiorem tam in loquendo, quàm in agendo hominem efficiat, planè difficilè erit, nisi custodem quisque sui ipsius circumspectionẽ adhibeat, vt in cunctis animi motibus, cogitationibus, affectionibus, in omnibus quoq; sẽsibus, verbis, ac corporis actionibus, moderationẽ illã seruet, quę recti mẽsurã, ac modũ non excedat. Circũspecta itaq; sit Religiosorũ cõuersatio, & oculis plena, vt in ea nihil nisi rectum, & ex omni parte sanctum admittant.

b Bocca. epist. p. 1. c. 31.

His, & quarta virtus, quę est Honestas adnectẽda est, vt honesta conuersatio dici, & esse possit. Porrò honesta conuersatio erit, si cuncta obscęna verba, gestus, actus corporis, demũ quę obscęnitatem aliquo modo pręseferũt, à se procul ablegare studeant. Idcircò ab Historiarum, aut rerum gestarum narratione, quę turpia aliqua admista habent, quibus & animi pudor, & honestorum aures offendi possunt, penitus abstineant. Erubescat honestus animus naturalia membra, ac membrorum partes, quę honestè nominari non possunt, proprijs nominibus appellare, aut eorum mentionem facere;

nihil

nihil enim religioſam honeſtatem magis labefactat, quã turpium huiuſmodi rerum pertractatio, quæ turpem ipſam quoque conuerſationem reddunt. Muliebrem quoque verborum molitiem, adulatoria illa humilitatis verba, quæ aulam ſapiunt, quibus ſeculares homines, alios Heros, ac Dominos, ſe ipſos ſeruos catenis nexos ventilant, vitare debent. Hæc enim religioſos viros dedecent, quos maximè ſermonis grauitas, ac ſimplicitas exornant.

Præterea in geſtibus corporis, atque in omni membrorum actione honeſtas illis ſeruãda eſt, quam profectò violant, [a] qui aliorum vultum, aures, barbam, caput, collum, manus, nulla neceſſitate poſtulante, contrectãt, aut qui laterum contractu riſum aliis mouent. Vel qui alterius cingulum, aut manum geſtandam accipiunt; Vel qui oſcitantes brachia, ac tybias coram aliis nimis extendunt. Vel qui nares in proſpectu manibus abſque ſtrophio emungunt, aut in aliorũ oculis conſpuunt, vel aliquam corporis partem, præſertim verecundam perfricant, aut laſciuum aliquem geſtum præferunt. Hæc, & pleraque alia, quæ ijs addi poſſunt, morum honeſtas à ciuili conuerſatione expellit.

[a] S. Bonau. ſpec. p. 1. c. 24.

Ad hæc propria cuique reuerentia in omni conuerſatione ſeruanda eſt, vt omnibus grata eſſe queat. Irreuerentiæ enim vitium, cum aliorum honorum depaſcat, præſentes conturbat, pacem fugat, rixas ſuſcitat, inimicitias ſerit, & omnia honeſtæ, ac religioſæ conuerſationis bona abſorbet. Sed cum de reuerentia cuique exhibenda ante hac diſſeruerimus, hìc tantum addere ſufficiat, ad irreuerentiæ vitium pertinere irriſiones, ſarcaſmos, verborum vulnera, importunas loquendum interpellationes intempeſtiuas, inter loquendum interrogationes, altercationes, animoſitates; [b] ſenioribus quoque non

[b] S. Bonau. ſpe. p. 1. c. 6

non deferre, æqualibus non cedere, inferiores contemnere, cum superioribus contendere, ac debitos cuique honoris titulos non reddere: ac denique aliquod verbis, aut nutibus erga cęteros contemptus signum declarare, irreuerētē animum indicant; quapropter inter cōuersandum omnes mutuæ reuerentiæ studeant, vt honorabilis conuersatio esse possit.

Postremò vt Religiosorum conuersatio ad Angelicā, ad Cęlestem conuersationem, quam profectò imitari debet, proximè accedat; id in primis curādum est, vt in ea nihil, nisi cœleste, ac diuinū agitetur, quo ædificari, & ad virtutes propelli animus queat. Idcircò pernicioſa, inepta, stulta, ac inutilia colloquia, quæ sæpè de Bellis Principum, de progressu Bellorum, de Regum vita, & praua Regnorum administratione, de vitijs quarundam nationum, atque aliarum laudibus, de rebus aliorum gestis, aut gerendis; de aliquorum ordinum inobseruantia, vel æmulatione; de Prælatorum, aut aliorum Fratrū excesibus, atque alijs huiusmodi rebus institui solent, procul à Religiosorum nostrorum conuersatione abigantur, neque enim ab ijs animus absque murmurationis, aut detractionis vulnere vnquam recedit. Vana porrò, secularia, leuia, iocosa, scurrilia verba, quæ, teste Apostolo, ad rem non pertinent, iampridè omnium ferè Sanctorum Patrum sententia damnata, à Monachorum conuersatione procul effuganda sunt.

a S. Ber. ser. 85. in Cāt. S. Bon. spec. p. 1. c. 31.

Restat igitur, vt in omni conuersatione sermo noster, vel de diuinis rebus sit, vel de ijs, quæ ad virtutem, & diuinam dilectionem accendunt; in quibus non disputatio, sed deuotio, ac profectus tantum quærenda sunt. Plura huiusmodi, de quibus sermo in domesticis colloquijs haberi potest, recenset b B. Laurētius Iustinianus ita scribens. *Studeant ergo Christi serui, cum in vnū*

b B. Laur. Iustin. de disc. & perfect. monac. conuer. c. 15.

Digitized by Google

congregantur, & inuicem reperiuntur, semper de rebus necessarijs, vel de animæ profectibus habere sermonem; maximam namque, & indeficientem loquendi materiam inuenient, si de miseria præsentis vitæ, de periculis huius peregrinationis, de varijs tentationum generibus, de Diaboli fraudibus, & de vitiorum deformitate: de virtutum ornamentis, & meritis, de mortis ineuitabili necessitate; de Pœnis Inferni, de Regno Dei, & præmio Paradisi: frequentius verò de Dei ineffabili Charitate humano generi per Christum, & in Christo exhibita. De huiusmodi autem tam pro Dei amore, & dilectione, quam pro audientium ædificatione, & suimet profectu Dei serui tractare non desinant spiritualibus spiritualia propinantes.

DE DISCIPLINA SERVANDA IN animi remissionibus.

CAP. XIII.

ANimi relaxationes, quas humana infirmitas omninò aspernari non patitur, tales apud nostros esse debent, vt nec frequentes sint, nec spiritus interitum moliantur, sed potiùs ad virtutum profectum prouocent. Eutrapelia enim, quæ maioribus curis animum exuit, & hominis mentem quotidianis laboribus fatigatam recreat, ea tantum ratione virtus existimatur, si Diuo[a] Thomæ æquum est credere, quod virtutum metam non excedens, hominem ad præclariora facinora obeunda parat, & quodammodo vires eidē suppeditat.

[a] D. Thom. 2. 2. q. 168. art. 2.

Quapropter animi remissiones apud nos sint raræ, vt aulteros pœnitentes decet, quorum vita lachrymis

Digitized by Google

potiùs, quàm oblectationibus respersa esse debet: nimirum tribus tantummodo anni temporibus, vt veteri consuetudine iam receptum est, quæ maiora tùm Aduẽtus, tũ Quadragesimæ, quę Benedicta à nobis nuncupatur, tũ Quadragesimę maioris ieiunia precedant. In his honestę recreationes per tres, aut quatuor circiter dies ea moderationis, ac temperantię virtute celebrentur, vt in his nihil, nisi virtute dignum conspici queat; quæ enim iure ipso prohibentur, nimirum aleas, aut cartbas pictas, aut aliud quid simul ludere, nec nominari debent in nobis.

At neque, qui religiosam vitam, ac perfectionis statum profitentur illiberale illud, petulans, flagitiosum, obscęnumque iocandi genus amplecti debent, quod à Patribus damnatur: nimirũ puerorum more saltare, aut vociferari, aut scurram agere, aut in scęnam Histrionum more prodire, aut cachinnis insultare, aut baculo, vel manu cum alijs iocari, aut quempiam sarcasmis sectari, aut mundanis, cantilenis delectari; denique se totũ animo, & corpore in exteriores oblectationes, ac dissolutiones diffundere, cum nulla in his animi virtus, sed vitium potiùs, quo honesta recreationis virtus perimitur, conspiciatur.

Sunt enim quidam ad omnem mentis dissolutionem adeo procliues, vt cum primùm honestis recreationibus fores aperiuntur, protinus totum religiosum hominem exuant, atq; ita animum relaxent, seù potiùs dissoluant, vt nullam animæ curam necessariam, nullam honesti mensuram seruandam, nullam virtutis regulam custodiendam esse putent. [a] At Ambrosium docentem audiant: *Caueamus* (inquit), *ne dum relaxare animum volumus, soluamus omnem armoniam, quasi concentum quendam bonorum operum.*

[a] Ambr. offic. 20.

Atque

Atque ij quidem ignorare non debent animi relaxationes adeò temperatas esse debere, vt grauioribus curis, non virtute animum exuant. Præterea à Religioso homine ita suscipiendas esse, vt ex ijs melior, & ad omne virtutis opus peragendum promptior efficiatur.

Denique sciant ita animum aliqua spiritualis rigoris remissione esse recreandum, vt nunquam à se ipso diffluat, sed intra religiosæ honestatis, ac virtutis septa se ipsum contineat. Quamobrem eam sibi recreationum genera eligant, in quibus religiosa potissimùm simplicitas, quæ nostrorum propria est, eluceat; quibusque animus ædificatur; neque his ad satietatem, sed sobriè, & parcè vtantur. In his vero Religiosus ita lætetur, ita animum laxet, vt religiosam grauitatem, honestatem, ac maturitatem nunquam dimittat, neque secùs in animi remissionibus segerat, quàm si secularium oculis expositus esset. Ac tandem ita à spiritualis vitæ curis, ac solicitudinibus paulisper respiret, vt tamen eas penitus non intermittat, sed auidi mercatoris instar ita ipsis animi oblectamentis, quæ aduentitias merces existimare debet, vtatur, vt ex his spirituales opes augeat.

DE DISCIPLINA IN NEGOTIIS IN VRBE gerendis necessaria.

CAP. XIV.

QVamquam Clericum negotiantem, vt pestem fugiendum esse [a] Hieronymus docet, Monachũ verò curialem fieri pleraque Ecclesiastica [b] decreta prohibent. Si tamen, quos Christi Charitas vrget, aut obedientiæ vis ad aliqua negotia in vrbe

[a] Hieron. epist. 2. ad epet.

[b] Concil. Calced. ar. 15. Can. 4.

Digitized by Google

tractanda impellit, eò prudentiores, ac circumspectiores esse debent, quòd in his gerendis animus varijs plerumque cogitationibus affectus, ac distractus, minus ea cogitat, quæ ad proximorum ædificationem spectãt: quo fit, vt nisi accuratissimam sibi custodiam adhibeãt, necesse sit religiosorum conuersationem nonnunquam de mundano puluere sordescere.

a Reg. Soc. Iesu Reg. 41. a Quapropter id Fratres in primis caueãt, ne vlla negotia apud Principes, Magistratus, aut seculares homines agẽda suscipiãt, quę vel à nostro instituto aliena, vel eidẽ minus consentanea sint, quæ enim vel virtuti detrimentum afferunt, aut Religiosę vitę officiunt, multo magis, quę Religionis splendorem minuunt, vel famã commaculant, angue, & Dęmone peius vitãda sũt. Ea verò, quę necessaria, quę honesta, quę Religioso nomine digna existimantur, non antea gerenda sumantur, quã à Superiore iniuncta fuerint, ad quẽ potissimũ spectat iudicare, an ea amplectenda sint, aut dimittẽda; nemo igitur subditorũ (vt aliàs dictũ fuit) ad quodcunq; negotium, tametsi pium in vrbe tractandum cuiquam se ipsum offerat, aut sui copiam faciat; sed Superioris iussum expectet.

Ibidem. Cler. Reg. S. Pauli Enchiridion q. 2. c. 1.

Parentũ, aut propinquorum negotia non vltrò, neq; facilè apud seculares Magistratus, aut Principes Superiores cuiquam agenda cõmittant nisi eius generis, sint, quod sine magno Charitatis, aut pietatis dãno prętermitti non possint; iã enim huiusmodi negotiorũ seges tã copiosè hodiè in Ordine excreuit, vt Principum Curię, Magistratuum Tribunalia, Nobiliũ Domus hisce negotiatoribus plena sint; quibus ad nauseam vsq; stomachantur. In his verò illud miserandum est, quod cũ huiusmodi negotiatione erga Parentes pij videri velint, in se ipsos crudeliores existunt, dum perfectionis spiritũ,

quę

quo Deo viuere cæperant, immaniter in ſe ipſis trucidant. Impius eſt, vt D. Bonauentura docet, qui animæ ſuæ pro Parentibus eſt crudelis. Horum miſeriam deplorat b Bernardus ſub nomine cuiusdam Monachi, qui ſuos parentes his verbis insectatur: Non ſufficit vobis, inquit, quod me in hanc ſeculi miſeriam miſeri miſerũ induxiſtis, quod in peccato veſtro, & peccatores peccatorem genuiſtis, quod in peccato natum de peccato nutriſtis: niſi etiam inuidendo mihi miſericordiam, quam conſequutus ſum ab eo, qui non vult mortem peccatoris, filium inſuper gehennæ faciatis? O durum Patrem? ò ſçuam matrem? ò parentes crudeles, & impios, imò non Parentes, ſed peremptores, quorum dolor ſalus pignoris, quorum conſolatio mors filij eſt? Qui me malunt perire cum eis, quàm regnare ſine eis; qui me rurſus ad naufragium, vnde tandem nudus euaſi, rurſus ad ignem, vnde vix ſemiuſtus exiui, rurſus ad latrones, à quibus ſemiuiuus relictus ſum, ſed miſerante Samaritano iam aliquantulum conualui; reuocare conantur; & militem Chriſti propè iam rapto cœlo triumphantem (quod non in me glorior, ſed in eo, qui vicit mũdum,) ab ipſo iam introitu gloriæ tanquam Canem ad vomitum, tanquam ſuem ad lutum, ad ſeculum reducere moliuntur.

a S. Bonau. ſpec. p. 1. c. 30.
b Bern. ep. 11.

Si porrò, quibus negotia in vrbe gerenda à Superioribus committuntur, primum negotia ipſa Deo precibus commendent: deinde vndique ſibi circumſpectionis oculos inſtar animalium, quæ apud Ezechielem plena oculis leguntur velut Cuſtodes adhibeant, mores componant, verba appendant; ne in aliquo labantur. Ita verò prium huiuſmodi Religionis, ſiuè Alterius tractent negotium, vt non hominum, ſed Dei negotium ſe gerere putent: in verbis ſint parci, in voce demiſſi, in reſ

Digitized by Google

ponsis prudentes, ac considerati, in vultu benigni, & affabiles, in incessu graues, mortificationem in oculis, & cæteris corporis sensibus præseferant, neque adeo totũ animum in negotio gerendo effundant, quin mentem in Deo suspensam semper gestent.

DE DISCIPLINA CVM EXTRANEIS seruanda.

CAP. XV.

QVoniam plerunque accidit, vt extranei, siuè seculares, siuè Alterius Ordinis Religiosi alicuius rei gratia ad nos confluant: nos contrà vel ad eos inuisendos, vel alia impellente causa ad ipsos accedamus. Si, quibus cum illis conuersatio necessaria est, Virginis honestatem imitari debent, cum primum, vel in publicum prodire, vel extraneum alloqui parant, vt totos se in honestissimam corporis formam, ac morum elegantiam componant. In vultu verecundiam, in oculis deiectionem, in facie hilaritatem, in manibus continentiam, in pedibus consistentiam, in verbis sobrietatem, in responsis prudentiam seruent. Hoc enim pacto religiosus, vir cui inter seculares nonnunquam conuersandum est ita moribus compositum, adeò præclaris virtutibus imbutum, atque omni ex parte disciplinatum, se omnium oculis præbere debet, vt qui Religiosorum vitam rigida censura perstringere solent, nihil non modo in ipso habeãt, quod reprehendant, verùm quamplurima reperiant, quæ magnopere commendent, suspiciant, imitentur, ita vt ex eorum conuersatione meliores fiant.

Vt igitur Fratrum conuersatio secularium disciplina sit, quædam regulæ obseruandæ sunt. Prima est, vt à nimia

Digitized by Google

mia ipsorum familiaritate caueant; Religiosum enim (vt aliàs dictum fuit) cum primis grauitas decet, quam in omnibus verbis, gestibus corporis, & actionibus seruare debet, præsertim cũ inter seculares versatur; ne in oppositum leuitatis, quæ nimię familiaritatis cognata est, vitium labatur. Porrò grauitas cum Religiosum animũm imbuerit, ita omnem vitiosam familiaritatem, fugat, vt tamen austeritati, aut nimiæ seueritati fores non aperiat, quæ seculares ab eorum conuersatione arceãt. Nam, vt monet [a] Bernardus ad Eugenium scribens: *Nec austeritatem* (inquit) *suadeo, sed grauitatem, illa Infirmiores fugat, hæc reprimit leuiores, illa, si adsit, odibilem; hæc, si desit, contemptibilem reddit: in omnibus tamen modus melior. Ego nec seueriùs velim, nec dissolutiùs.* Quid hac mediocritate gratius, vt nec de seueritate sis oneri, nec de familiaritate contemptui? Nimiam igitur cum secularibus viris familiaritatem vitet, quæ religiosi status apud ipsos existimationem ita minuit, honorem depascit, splendorem obnubilat, Candorem maculat, ac tandem eum contẽptum parit, vt quos ob sublimẽ Religiosi instituti rationem antea adeo suspiciebant, atque admirabantur, vt neque ad ipsos propè accedendum putarẽt, eosdem ob nimiam familiaritatem ita contemptibiles habeant, vt iam nihil inter mundanos, ac regulares homines discriminis interesse credant.

[a] S. Bern. lib. 4. de cõsid. c. 6.

Id egregiè explicat [a] Petrus Damiani ita scribens: *Apud quosdam* (inquit) *absentis Monachi auctoritas grauis est; si autem præsens adfuerit, nullius iudicatur esse momenti.* Quod eleganti similitudine illustrat, paulò post subdens: Apud seculares nempè Religiosus quisq; veluti pictura est; Pictura namque, si procul assistat, inhianter, & cum auiditate perspicitur; si iuxta sit, con-

[a] Petr. Damian. in Apolog. c. 26.

Digitized by Google

temptibilis iudicatur, & spiritualis quisque carnalibus absens quidem timori, præsens autem videtur esse despectui.

At verò cum primis mulierum, tametsi piarum, familiaritatem fugiant; nihil enim Religioso viro ijs pernicioſius esse potest. Audiant [b] Hieronymum monentem: *Si pudicitiam seruare quæris, fœminam, quam benè videris conuersantem, mente dilige, non corporali præsentia*; cuius rei rationem reddit, ita scribens: *Ianua enim Diaboli, via iniquitatis, Scorpionis percussio, nociuumque genus fœminarum est, cum proximat stipula incendit ignem.*

[b] Hieron. de vitâ Cler. ad Oceanũ.

Altera regula est, vt si nullum negotium vrget de rebus diuinis, vel de ijs, quæ ad salutem, ac ædificationẽ spectant, cum extraneis semper loquantur. Seruum enim Dei, vt [c] D. Bonauentura monet, de Deo loqui decet, vt fiat, quod scriptum est: si quis loquitur, quasi sermones Dei; an non turpe est Mundi contemptorem, & cœlestium contemplatorem de rebus mundanis, præsertim coram secularibus differere? quos à Mundanis potiùs ad Cęlestia pertrahere deberet. En quã grauiter monet B. [d] Petrus Damiani ad Marinum scribens: *Caue (inquit) fili Cariſſime, ne quando intra Claustra Monasterij constitutus de secularibus negotijs colloquia cum secularibus commiſceas; & ſicut referre, ita nihilominus & audire contemnas.* Tum quæ nam sint huiusmodi colloquia recensens subdit: *Et re vera, quid Monacho nanijs? quid mihi perstrepentium Iuridicorum fora, Tribunalia Iudicum. Aulas Regum intra Monasteriorum ſepta pertrahere? Quid mortuo homini narrare de prælijs, dotales tabulas, inter tales, diuortio interueniente, reſciſſas, illos titulis efferre natalium, infamare alios nouitate Cerdonum?* His itaque, & huiusmodi nugis inaniter occupari

[c] S. Bonav. ſpec. p. 1. c. 31.

[d] B. Pet. Damian. ad Marin. ep. 214.

Digitized by Google

pari quid, quæso, est, nisi à perspicuo fonte diuinæ laudis fauces auertere, & cœnosi luti spurcitias ore versare.

Postrema tandem regula est, vt cum extraneis breuiter agant: mirum enim est, quot bona longa cum secularibus conuersatio Religioso viro eripiat; quotuè mala, atque incommoda ferat. Primum namque [a] ex frequenti secularium congressu feruor, ac deuotio erga res spirituales tepescit, & retunditur, quarè non immeritò, qui eo delectantur, balneo, ac pixidi vnguenti plenæ apertis comparantur. Vnde calor, ac bonus odor euanescunt. Deinde mores graues, & optimi, teste [b] Climaco, quos multo tempore, atque ingenti labore comparauerant, momento temporis amittuntur. Præterea prolixæ cum secularibus confabulationes mentem à proposito vitæ spiritualis, ac cœlestibus desiderijs auocant, & omnem spiritualem lętitiam interimunt, vt animaduertit S. [c] Antiochus his verbis: *Laquei* (inquit) *& pedicæ sunt aspirantibus ad salutem secularium congressus, ac prolixæ eorum confabulationes mentem prorsus auocant à Dei glorificatione, & spirituali lætitia.*

[a] S. Antioch. hom. 102.

[b] Climac. gr. 8.

[c] S. Antioch. hom. 102.

Innumera verò mala, quæ frequens cum secularibus conuersatio gignit, non facilè enarrari possunt. Sicut enim, qui ollam, ac picem tetigerit, vt monet [a] sapiens, ab ijs inquinabitur; ita ex attactu, & affectu secularium, in eorum conuersatione semper aliquid fuliginis, ac mũ danarum sordium à Religioso contrahitur, quibus maculatur: atque id quidem ijs accidit, qui firmi, ac stabiles iudicantur. Nam infirmiores sępè numero frequenti secularium colloquio ad Aegyptum reuocãtur. Hinc enim B. [b] Laurentius Iustinianus plerosque Religiosos nimia hac seculariũ familiaritate irretitos deplorat his verbis: *O quot temporibus nostris fuerunt* (inquit) *qui tan-*

[a] Eccles. 13.

[b] B. Laur. Iustin. lib. de discip. c. 22.

Digitized by Google

tanquam ardentes lampades, & mundi luminaria lucebant coram hominibus: paulatim ex conuersatione secularium, & confabulatione tepefacti, ad pristina opera secularis vitæ mirabiliter redierunt. Huiusmodi casus, ac ruinæ, rationē reddit S. Ephrem ita scribens: *Qui conuersationibus gaudet mundanis, seculum nondum se odisse ostendit; nam sicut qui ignem excitat, flammam suscitat: ita & mundana colloquia passiones, & affectiones prauas in corde Monachi commouent.*

e S. Ephrem to. 2. p. 46.

Quis verò linguæ fluxum in prolixis colloquijs à malo cohibuit? quo plerunque ordinis arcana patefiunt, aliorum peccata deteguntur, bonis interdum detrahitur, Principum gesta sugillantur, Magistratuum Decreta ad priuatam censuram reuocantur; ac demum rerum omnium, quę in orbe fiunt, temeraria discussio agitatur.

His tandem accedat, quod extranei vel temporale, vel spirituale ex nostrorum conuersatione solatium expetunt: si temporale tantummodo quærant, profectò quàm citissimè rescindenda huiusmodi conuersatio est, imò & fugienda; cum nihil præterquam mundanum, & seculare sapiat. Quod si spirituale à nobis subsidium, ac ædificationem expectant, quid tam multa verborum copia, aut diuturnis colloquijs opus est? Cum spirituali viro sermo breuis, ac compendiosus sale conditus magis quàm prolixa oratio ad nauseam vsque interdum protracta, satisfaciat. Id docet S. Antiochus sic scribens: *Quod si propriùs adeunt nos de animæ salute consultari; cum istis licet texere sermonem cum verborum compendio, quæ alioquin diuino condita sint sale: illinc & nos actutum proripiamus.* Plus enim hac nostra breui loquentia ædificabuntur, quàm si longissimam orationē prorogemus de rebus seculi. Quapropter studeant fratres, vt iuxta Constitutionum nostrarum præscripta à

f S. Antioch. hom. 102.

g Const. c. 11.

fre-

frequenti cum secularibus conuersatione abstineant. Quod si interdum cum ipsis agendum sit, ita prudens, ac discreta eorum conuersatio sit, vt spiritualem profectum non impediat.

DE VISITATIONE, ET CVRA *Infirmorum Fratrum.*

CAP. XVI.

QVandoquidem Aegrotorum cura, ac visitatio vnũ est ex grauissimis, ac necessarijs Christianę pietatis officijs, non tam ex Diuinæ legis præscripto, quàm ex ipso naturæ fonte haustum, quo iubemur ea ergà cæteros præstare, quę ab alijs nobis pręstanda optamus. Id enim & Saluator docuit, cum ait: [c] *Prout vultis, vt faciant vobis homines, & vos facite illis similiter*. Hinc B.P.N. Franciscus accuratissimus vtriusque legis æmulator nostrorum Infirmorum curam adeo nobis instar præcepti in [a] Regula commendatum esse voluit, vt de ea scriptum reliquerit: Et si aliquis Fratrum in morbũ inciderit, reliqui fratres ita illi inseruire debent, quemadmodum alios omnes sibi ipsis inseruire vellent. quibus verbis non solum omne Charitatis officium ęgrotis fratribus exhibendum iubet; verum etiam modum præscribit, quo ęgrotorum cura, ac visitatio à nobis suscipienda sit, & exercenda.

Et quidem cum plura sacrarum [b] Scripturarum oracula, Plurima [c] Patrum testimonia, & cæterorum [d] Ordinum leges nos ad Infirmorum curam, ac visitationem compellant: vnum B. Patris pręceptum nobis instar omnium esse debet, quod præ oculis nobis semper versandum est, vt nihil à nobis officij prætermittatur, quod ergà

[c] Matth. 7.

[a] Reg. c. 6.

[b] Eccl. 7. Matth. 25.

[c] S. Io. Damascen. 2. parall. c. 99. S. Ephrem. tom. 2. in Doct. var. c. 35.

Digitized by Google

ga languentes fratres non impendatur.

Idcircò cum primùm aliquis malè se habere præter solitum senserit, id Infirmario, aut Superiori confestim aperiat, vt opportunè morbo obuiam iri possit, non solum per Medici consilium, ac curationem, sed etiam per Religiosæ austeritatis moderationem. Si quidem ęgrotis (vt monet [e] S. Bonauentura) opus est, præter medicamenta, relaxatione rigoris in victu, vigilijs, & huiusmodi; nec non exemptione laboris in officijs, seruitijs, discursibus, & similibus, quapropter qui morbo aliquo laborare incipiunt, ipsa initia morbi Superiori pandant, ne augeatur ægrotatio, vitæque periculum sequatur: Caueant tamen, ne inconsulto Superiore Medicum accersant, aut medicamentum aliquod pro libito sibi adhibeant; illud enim subdito interdictū est, qui totus à Superioris nutu, ac prouidentia debet pendere. Hoc verò frequentissimè ipsis ægrotis nocet, qui cum medicam artem ignorent, nec conuenientem, vel saltem minus opportuno tempore sibi ipsi medicinam adhibere norūt, quo fit, vt sumptum Pharmacum sępè illis mortiferum esse contingat. Accedat, [a] quod nulli nostrum, medicū agere licet; quod tum ecclesiastica, tum propria nostrarum Constitutionum lege illis vetitum est.

Neque satis est, si dicat ęgrotus: medicum consului. Nam Superioris quoque consensus, & approbatio necessaria est, vbi ad bonam gubernationem id spectare agnoscitur; quia Superiori ea omnia nota esse debent, quę circa ęgrotorum curam, ac valetudinem geruntur, vt omnium ferè [b] ordinum legibus approbatum habemus.

Superior verò id sui muneris esse sciat, cum primum aliquem Fratrum in febrim, aut alterius generis morbum incidisse agnouerit: vt sollicitam illius curā agat: ad

S. Gregor. Nanz. or. 16.
S. Bened. c. 36. reg.
S. Basil. in Reg. breu. 155.
d Cla. Reg. p. 2. const. c. 4.
Eremit. S. Aug. p. 2. const. c. 14.
Can. S. Salua. cap. 21. const. nu. 9.
Reg. Soc. Iesu. reg 29
e S. Bonau. de sex alis Seraph. c. 4.
a C. sententiam me. Mu. vel Monz.
b Carth. p. 1. stat. c. 12. nu. 9. & 11. Cœlest. cōstit. c. 18 p. 6. Præd. cōst. d. 1. c. 8. Reg. Soc. Iesu reg. 18

Digitized by Google

ad Nosocomium transferat: Præfecti Infirmorum custodiæ tradat, ac præter communem illius curam, quæ illi ab omnibus impendenda est, præsertim in minoribus domibus alterum ex fratribus eiusdem obsequijs iuxta Constitutionum nostrarum ritum deputet, qui ei in omnibus sedulò ministret, nisi tanta fuerit ægrotantium multitudo; vt singuli fratres singulis ęgrotis sufficere nequeant, quo in casu bini quique ægroti singulos fratres saltem sibi inseruientes accipiant.

Verùm in quibus morbis id fieri oporteat, obseruandum est ex D.[c] Bonauentura, tria genera Maleualentium distingui. Primum est ægrotorum decumbentium in lectis, veluti laborantium febri, podagra, ac similibus morbis secundum Infirmorum per domicilium: vt qui calculo, aut fistula, aut hemicrania, ac alijs huiusmodi malis afflictantur. Tertium est eorum, qui determinatam infirmitatem non habent; sed tamen sunt corpore, vel stomacho debiles, vel viribus exhausti, vt senes, ac Decrepiti: erga hos omnes, quamquam paterna Superioris cura, ac Fraterna Charitas se se extendere debet, singularis tamen illa Fratrum deputatio ad primũ tantum infirmorum genus contrahenda est; qui sibi ipsis opitulari nequeunt, quosque infirmitas, ingraueſcẽte morbo, ad aliquod vitæ periculum pertrahere potest.

[c] S. Bonau. de sex alis Seraph. c. 4

Horum itaque curationi Superior maiori studio, ac diligentia incũbat: Medicum maturè potiùs, quàm lente accersat; morbi enim in ipso ortu facilè intercipiuntur, ac interimuntur, qui dissimulatione ingraueſcunt, ac difficilius curantur. Notum quippè est Disticon.

Principijs obsta: serò Medicina paratur,
Cum mala per longas inualuere moras.

Porrò in Medico eligendo [a] Superior prudens, & cautus esse debet, ne scilicet Medicum, aut medicinę imperitum,

[a] Gerso. 2. de bulla Carth.

Digitized by Google

ritum, aut minus probũ ad Domesticam Fratrum visitationem eligat. Ille enim corpori, hic animo nocet; nam ex morbi, & curationis ignorantia, sæpè ęgroto pro curatione interitus propinatur: cum verò quorundam Medicorum improbitas ea sit, vt recuperandæ valetudinis gratia peccata ægrotis suadeant, quos [b] Innocentius III. Sub pœna anathematis à tanto scelere absterret; vel corporis potiùs, quàm animæ saluti consulentes habitus depositionem, lineas subuculas, linteaminum vsum, quæ omnia ab initio apud nos exulant; ac præterea horarum Canonicarum intermissionem, carnium esum in diebus vetitis absque magna necessitate præcipiunt. His omnino à Fratrum visitatione expulsis, Superior probum, pium, ac peritum tantum Medicum eligat, cui Regulæ, ac Ordinis austeritates nõ facilè dispensandas esse, persuadeat: Electum verò non facilè muret, aut alios Medicos, ipso incõsulto, ad ęgroti curationem accersat. Nam, teste [a] Seneca, nihil ęquè impedit sanitatem, sicut remediorum, & Medicorum crebra mutatio. Non conualescit planta, quæ sępè transfertur. Quod si morbi grauitas plura interdum medicorum consilia experat, id [b] non sine ordinarij Medici consensu fiat, ne is contemni se putet. Aegroti verò (vt par est) ordinario Medico sint contenti; vnus enim, ac ordinarius Medicus satis esse debet pauperi seruo Christi, qui morborum potiùs afflictiones, ac molestias pati, quàm Medicorum turma sepiri, optare debet.

[b] C. cũ infirmitas de pœnit. & remiss.

[a] Senec. ep. 2.

[b] Cle. Reg. p. 2. const. c. 4. Camald. li. 1. const. ca. 36.

Cæterum quæcunque Medici consilio pro ęgrotorũ curatione, aut victu constituta sunt, ea Superior diligẽtissimè conquisita; & si opus fuerit, per amicos spirituales nummis comparata, ijsdem congruo tempore ab Infirmario paranda curet: At neque ęgroris ea quoque denega-

Digitized by Google

denegari debent, quæ ad honestum, ac religiosum ipsorum solatium conferunt, veluti florum vasculis mensã ornare, foliis virentibus sternere, florum quoque fasciculos, vel mala punica, aut persica illis prę manibus gestanda prębere, odoramenta ex aromatibus in cella excitare, ac similia, quibus animus ęgrotantium plerũque exhilarari solet. Sępè etiam illos Superior suaui sermone, ac dulci colloquio solari debet; & quamquã prudens, ac deuotus ęgrotans aliorum stimulo ad Sacramenta percipienda non indigeat, superior tamen pro sui officij munere suauiter ęgrotantem moneat, vt tempora pœnitentiæ Sacramento à Constitutionibus præscripta non prætereat, & sicubi morbum ingrauescere animaduerterit, illum ad Sacrum viaticum, & si opus fuerit ad extremæ vnctionis Sacramentum percipiendum disponat: cauens, ne sub vllo omnino prætextu mortis periculum, cum imminet, laboranti tergiuersando celet; sed illud maturè potiùs eidem, dum sensus integri sunt, aperiat: ne imparatum illum hinc discedere contingat. Denique superior se vniuscuiusque ęgroti matrem se esse existimet, ac materno quemque amore prosequatur; eo enim fiet, vt nulli pietatis, ac charitatis officio desit, quo is iuuari queat. Hoc enim expressè argumento à carnali matre petito vsus est B. P. N. Franciscus in Regula cum ait: Nam si Mater filium suum carnalem amat, ac nutrit, quanto diligentiùs quilibet Fratrem suum spiritualem diligere, & alere debet. Quod si spiritualis fraternitas ampliorem, quàm carnis maternitas dilectionẽ poscit; quãto magis ipsa paternitas spiritus, quæ Superiori simul cum prælatione confertur, Charitatis viscera erga languentes subditos debet effundere.

Atque hæc quidem de Superiore satis dicta sint. Ad

cęte-

Digitized by Google

cęteros fratres venio, quos eadem S. Patris lex ęgrotis omni obsequiorum genere adesse, ac inseruire compellit; neque id tantum superficialiter, aut perfunctoriè, sed eodem prorsus modo, ac mensura, qua quisque sibi, ipsi ęgroto ab alijs obsequia impendi vellet. Quamobrẽ fratres omnes hortamur in Domino, vt in hoc grauissimum Patris nostri pręceptum seriò animum intendant, vt non ęgrè, aut segniter, sed omni studio, & diligentia se in ęgrotorum cura, ac visitatione exerceant.

Infirmarij quidem munus erit, vt alibi dictum fuit, cum de officio pręfecti Infirmorum ageremus, Cibos, & Pharmaca ęgrotis parare: Medicum consulere, eidẽ ęgrotum visitanti assistere, atque ipsius pręcepta tam circa victus rationem, quam Pharmacorum compositionem, siuè administrationem seruare: Demum ea omnia de mandato Superioris, ac Medici consilio agere, quæ ad ęgrotantium valetudinem conferunt.

Quę etiam Fratrum singulorum Infirmorum ministerio deputandorum partes sint, alibi explicauimus. Superest, vt de cęterorum fratrum visitatione pauca dicamus. Duo sanè in hac re grauissima perpendenda sunt: Primũ ęgrotorũ visitationem non tam ex regularis vitę pręcepto quã ex Diuini Iuris prescripto pendere. Quod Saluator noster testimonio confirmare voluit, cum ęternę vitę dexteram ijs se retributurum promisit, qui infirmos visitarent. Contra verò ijs damnationis sinistram statuit, qui ęgrotorum visitationem neglexerint: duplici illa tùm affirmatiua, tùm negatiua assertione in medium proposita. *Infirmus eram, & visitastis me.* Rursus *Infirmus eram, & non visitastis me.*

Alterum dum visitatur infirmus, non tam infirmum, quàm Christum ipsum in infirmo visitari. Nam vt passim

sim docent [a] S. Hilarius, [b] S. Hieronymus, [c] S. Isidorus, ac reliqui Patres: quemadmodum Christus est, qui in Fratre infirmo infirmatur; ita idem in fratre ægroto visitatur. Quid acrioribus stimulis nobis opus est, quibus ad nostrorum, ac aliorum ægrotantium visitationem prouocemur? nam si Christo obsequia præstantur, cum ægrotanti fratri exhibentur, quis iam ægrotis obsequi, inseruire, visitationis officium reddere refugiat? quis cunctetur? Id cogitare, atque alto animo fratres repetere debent, quoties hoc fraternæ Charitatis officium ægrotis impendunt, vt maiori spiritus alacritate, ac reuerentia illud præstent. Impigrè igitur fratres semel, vel bis in die ad ægrotos inuisendos accedant; indè enim & Charitas erga Deum, & Proximum augetur, & aucta charitas hominem in Dei dilectione stabilem reddit, id atteſtante [a] Scriptura his verbis: *non te pigeat visitare infirmum; ex his enim in dilectione firmaberis.*

[a] S. Hil. in Psal. 131.
[b] S. Hier. in Matth. c. 25
[c] S. Isid. in c. 4. Genes.
[a] Eccles. 7.

Veruntamen in hac ægrotorum visitatione quædam vitanda sunt, quædam alia præstanda. Cauenda sunt in primis quæcunque molestiam infirmis afferre possunt: Cum enim consolatio ægrotis necessaria sit propter membrorum cruciatus, quibus afflictantur, profectò molesti, ac onerosi cósolatores ij esse solent, qui immoderata voce, ac clamore non solum languentium, sed etiam beneuolentium aures offendunt, & caput lędũt; qui crebris, ac importunis interrogationibus ægrotum fatigant; qui prolixiùs, quàm ferat infirmitas, sermonem producunt: molestiores, qui disceptationes de rebus Philosophicis, aut Theologicis, vndè ægrotorum animus fatigatur, intempestiuè mouent; qui secularia negotia, aut res bellicas coram languente pertractant: molestissimi denique, qui de re aliqua cum ægrotis cõtendunt; qui illos obiurgant, reprehendunt, atq; ijs mor

Digitized by Google

borum causas exprobrant; qui mala ægroto ominantes,vel morbi diuturnitatem, vel mortem ante tempus prænunciant. Hi enim non tam infirmos consolantur, quàm molestia afficiunt,& cruciant; quandoquidem eorum vitio,& imprudentia sæpè languentium morbus ingrauescit.

a Cle. Reg. p.2.const.c. 4. Reg. Soc. Iesu Reg. 29.

a Qui igitur ægrotum consolari volunt,primùm quidem voce demissa loquantur,ac tanta moderatione,vt ei neque molesti,neque graues esse possint: tùm verò de ijs tantum rebus cum infirmo placidè colloquantur, quibus ipsius animus exhilarari, simulque in Domino ædificari queat. Nequè verò ea infirmis iucũditas propinanda est, quæ ex ridiculis dicterijs cachinnum mouentibus apud mundanos homines excitari solet,quam à Religiosa ipsorum quoque beneualentium fratrum conuersatione procul amandauimus; sed ea dumtaxat, quæ spiritualem lætitiam, qua ægrotus ad salutem ædificatur,in animo parit:quam b S.Ephrem tum ex sacrarum Scripturarum testimonijs opportunè commemoratis,quibus ad morbi tolerantiam animus accenditur, tum ex Passione Domini,tum etiam ex Sanctorum exẽplis petendam esse monet.

b S. Ephrẽ. c.2.in doct. var. c.35.

c Cle. Reg. S. Pauli Ench p.4.c.18

Denique qui ægrotos inuisunt, c caueant, nè ipsis hæc, & illa remedia proponant, quæ ægrotantis animũ ad eorum cupiditatem pelliciant; inde enim plerũque & valetudinis, damna, cum inconsulto Medico ea sibi interdum conferantur, ac vitæ pericula sunt sequuta; sed si quid eius generis cuipiam in mentem venerit, Præfecto Infirmorum aperiat, vt de eo, si opus fuerit, medicum consulat.

DE

Digitized by Google

DE DISCIPLINA IN VISITATIONE *secularium Infirmorum seruanda.*

CAP. XVII.

PIæ,ac fraternæ visitationis officium non solùm Domesticis, sed etiam extraneis in seculo ęgrotantibus à nobis studiosè exhibendum est, quotiès illud ipsi à nobis deposcunt, vt integra legis iustitia, quę ab hoc Christianę pietatis opere pendet,obtineri possit. Hinc enim B.P.N.Franciscus diuino spiritu afflatus inter ipsa Ordinis initia, quotidianis leprosorũ, atq; aliorũ contagioso morbo laborantiũ obsequijs dilectos filios destinare solitus erat, vt ab eo nos posteri addisceremus secularių quoquo morbo laborantiũ curã, ac visitationẽ, sicubi res postulauerit,ad nos quoq; pertinere,eamque summo studio,ac pietate à nobis peragendam esse.

Quę verò in ea disciplina obseruanda sit, passim explicant Patres. Augustinus integrum librum de visitatione Infirmorum conscripsit. Concilia Narnatense, Epaunẽse,& Oxonienſe multa de visitandorũ Infirmorum norma tradunt. Gregorius Nanzianzenus, Ioannes Damascenus, Dorotheus, & pleriq; alij patres plurima de ijs, quę in ęgrotorum visitatione, tum vitanda, tum pręstanda sunt, differunt: ex quibus nos summatim aliqua ad nostrorum institutionem perstringemus.

In primis qui ad consolandos ęgrotos accedit, antequã Domo exeat, ęgrotos, ac se ipsũ Deo fusis precibus cõmendet, deindè apud se pia aliqua loca tũ ex scriptu ris, tũ ex Patribus, tum ex Sanctorũ gestis hausta reuoluat, ad cõsolãdos ęgrotos idonea, quibus poltea oppor tunè vtatur. Cũ primũ verò ęgrotantis cubiculũ ingreditur, Euangelica, ac nobis cõsueta pacis deprecatione

a S. Aug. de visit. Infir. Conc Narnat. c. 4. Cõc. Epaun. c. 18. Cõc. oxon. c. 2. S. Gregor. Nanz. ar. 16 S. Io. Damasc. lib. 2. S. Doroth. Ser. 15.

Digitized by Google

[a] Concil. Narb. c. 4. infirmum adstãtesq; placidè salutet, dicens: [a] *Pax huic Domui*, vel *Dominus det vobis suã sanctã pacẽ*: si ibi sit vasculũ aquę benedictę, ea se ipsũ, ac infirmũ aspergat; tum ad lectum accedens, blandè, ac leniter ipsum alloquatur. Qualitatem, & causam morbi, si modò commodè loqui poterit ægrotus, ab eo scisciari poterit; eo enim & recreatur infirmus, & indè ansam prudẽs cõsolator arripiet, eum ad altiorem morbi causam, ac principium erigendi, nimirum ad ipsam Dei prouidentiam, cõsilium, ac benignitatem, quę supremæ sunt omnium ęgritudinum causæ, quas suauiter ad nostrum profectum disponit.

Sin Infirmus graui morbo laborat, primũ quidẽ alacri vultu laborantẽ salutet, eumq: ad spiritualẽ lætitiã animo cõcipiendã, vel ex aliquo scripturarum testimonio, vel S. Patris auctoritate prouocet; tùm verò ab eo leniter percunctetur, nũ pœnitentię Sacramento peccata expiauerit, quod si id nondum pręstitisse acceperit, verbis suauibus ad suorum peccatorũ confessionẽ alliciat; ac prudẽter periculi admoneat: nec nõ ad cętera quoq; tum sacrę Eucharistiæ, tùm extremę Vnctionis Sacramẽta, cum opus fuerit, poscenda, animum augeat.

Pleraq; ęgroto necessaria, ac vtilia suggerere poterit, prout Personę, ac temporis ratio postulauerit. Inter hęc vt omnem spem suam in Deo repositam habeat, vt morbi molestias pro Dei amore patienter sustineat: vt substantiam suam, dum adhuc integer sensus, & ratio in eo vigent rectè disponat; vt rectam fidem, quam sancta, ac Romana tradit Ecclesia constanter teneat: vt de Dei misericordia nunquã desperet; vt peccata sua Eleemosynis redimat: vt ijs, à quibus aliquid damni, aut molestię passus fuit, ex animo ignoscat, & è regione ab omnibus, media satisfactione, sibi ignosci poscat, quibus ali-

Digitized by Google

aliquod damnū intulerit: vt anteactę vitę iacturā, posterioris emēdatione resarcire promittat. Deniq; vt mortē, ac vitā ęquè de manu Domini se accepturū profiteatur.

In his tamen videat modestus consolator, ne lōgiori sermone, aut importunis interrogationibus (vt Superiori capite dictū fuit) ęgroto sit molestus. Cętera quoq; quę ibi cauēda monuimus, hic sibi vitāda proponat. Verum prętera id modis omnibus, caueant, ne tacitè, vel expressè, quouis colore quęsito, verbum aliquod insinuēt, quo monasterio aliquid ab ęgroto legari suadeāt: neque se vllo modo testamēti, aut legati executores offerant. Sed animę duntaxat saluti incūbentes, quę Christi sunt, quęrant, temporaliumque rerum dispensationem suis possessoribus relinquentes sinant mortuos, sepelire mortuos suos, quemadmodum nostris Constitutionibus cautum est.

DE DISCIPLINA IN SECVLARIVM mensis seruanda.

CAP. XVIII.

QVi regularem disciplinā profitentur, non modò à secularibus conuiuijs abhorrent, vt pote, quos luctus domum potiùs incolere, [a] quàm ad Cōuiuij locū properare decet. Verum nec cibum, aut potū absq; Superioris facultate vel intra Domum, vel extra Monasterij septa sumere debent, vt celeberrima omnium ferè sanctorum [b] Patrum doctrina receptum, ac nostris Cōstitutionibus sancitum est; Attamē, qui facultate interdū à Superiore sibi facta, vel iter agentes ad secularium mēsas accedūt, Religiosos se esse meminerint, ac propterea in his ita modestè, ac tēperatè se gerāt, vt honesta ip-

[a] D. 44. cō. vlt. & d. 93. c. Presbit.

[b] S. Bened. Reg. ca. 43. & 51. Cass. lib. 4. c. 18. S. August. in 2. Reg. c. 3.

Digitized by Google

S. Greg li. 2 dial. c. 12. sorum disciplina Conuiuę in Domino ædificentur.

S. Bonau. p. 2 spec. p. 3. c. 4 cõsi. c. Porrò quęnam illis disciplina obseruãda sit, fusè explicat a S. Bonauẽtura toto integro capite, ex quo placet priora tantũ verba decerpere: Præcipuè decet (inquit) vt cum extraneis comedentes, honestè se habeãt, vt nec in cibo, nec in modo comedẽdi, vel mora, aut in

a S. Bonan. spec. p. 2. c. 32. alijs, quę disconueniunt super mensam, vt est verborũ multiplicatio, aut exterior corporis, vel habitus dispositio inhonesta, possint de irreligiositate notari.

Tria igitur ex hac Seraphici Doctoris Doctrina seruanda commendantur. Primum temperantia in cibo, & potu. Secundum honestas in modo. Tertium prudentia, ac sobrietas in sermone.

Studeant ergo in primis Religiosi conuiuæ eam in cibo, & potu tẽperantiã seruare, quę omnis edacitatis vitiũ procul expellat; turpe enim est, abstinentiã profitentes, præsertim apud seculares homines, quos sua sobrietate ædificare debent, ventris ingluuiem præferre, quæ illorum tãtummodo esse solet, quorum Deus venter est. Nihil sanè magis Religiosi nominis apud seculares viros existimationem minuit, quàm nimia in

b S. Isid. de sum. bon. l. 8. c. 42. sẽt. 10. cibis effusio. Neque id frustra; nam teste b Isidoro, sicut omnes cupiditates carnis abstinentia reprimuntur, ita omnes virtutes edacitatis vitio destruuntur. Idcircò cum facilè paucis necessitati satisfacere valeant

a S. Bon. sp. p. 1. c. 32. (quamquam vt S. Bonauentura monet, & ipsa necessitas inter homines est arctanda) à multis escis abstinere debent, non solum vt gulę vitium compescant, & proximum sua temperantia ędificent, sed etiam vt proprię

b Ecclesiast. 37. valetudini consulant; in multis enim escis, vt docet b sapiens, erit infirmitas.

Veruntamen vt id faciliùs assequantur, à lautioribus ferculis, embãmatibus, synapijs, atq; alijs gulę incitamẽtis,

tis;atq; ab illis præſertim,quæ venerē excitant,quoad commodè fieri poteſt, prudenter abſtinentes, communiores tantum cibos ſibi eligant, quibus non ad ſatietatem,ſed ad neceſſitatem veſcantur: id præterea curātes,ne vnquam toto obſonio orbem expolient,aut reſiduum in paropſide ius abſorbeant,quæ in ſecularium menſis fieri,ab ijs indecorum iudicatur.

In potu verò cum primis tam parci,ac temperati eſſe debent,vt ſobriæ,& honeſtæ potationis metas non excedant: quid enim turpius illi eſſe poteſt,qui religionis inſignia præfert,quàm Meribibuli nomen,quod apud honeſtos quoq; viros turpe eſt,ignominiosè ſortiri? Religioſū conuiuā ita ſe ipſū à vino tēperari decet, vt & aquā,quæ meri virutē eneruet, petere non erubeſcat, & exæſtuantis ſitis ardorem compeſcere, non ſenſui indulgere appetat. Neminem propinando ad bibendum prouocet; nullum ad comedendum alliciat. Hæc enim conuiuantis Heri,non cōuiuæ officia ſunt, quæ Religioſo præſertim minimè conueniunt.

Morum quoq; honeſtas,quę ad Religioſos pertinet, tàm in comedendi,ac bibendi modo, quā in Corporis, ac membrorū actionibus obſeruanda eſt; nimirū vt nō auidè,aut voraciter, aut nimia cū feſtinatione,ſed modeſtè,ac religioſè cibum ſumant,neque vltrò paſſim cibos ſibi miniſtrent, ſed vel tandiù expectent, donec ab alijs ſibi miniſtratos accipiāt, vel ſi ad fercula in menſa appoſita manum extendere opus ſit, id tā parcò, ac honeſtè præſtent,vt neq; communes dapes commaculent, neque inanes, ac vacuas patinas relinquant. Inurbanū quoque eſt, ſuper menſam accubare, aut in ex cubitos edendo collocare, cum ſat illis ſit, manus ad propoſitā ſibi orbem extendere.

Ipſis quoq; ex a S.Bona uēturę doctrina conſultū eſt, a S. Bon. ſp. p. 1. ca. 32.

Digitized by Google

dũ cũ secularibus comedunt, vt vultũ caputio non contegant, sed aperto fronte mãducent; ne id ingluuiei, ac voracitati potiùs, quã mortificationi tribuatur: Pleraq; alia, quæ ad morum honestatem spectant, à religioso cõuiua exiguntur, quam ciuilis ipsa conuersatio, cum honestatis studio coniuncta docere poterit.

Venio ad postremum Disciplinæ caput à nostris cõuiuis obseruandum, quod est sermonis sobrietas, ac prudentia. Vetus Prouerbium est: *Parcè in conuiuio loquendum*. Causam reddit [b] Hugo ita scribens: *Taciturnitas* (inquit) *inter epulas idcircò necessaria est, quoniam lingua, quæ omni tempore ad peccatum prona labitur, periculosiùs tamen, cum per crapulam inflammata fuerit, ad loquendum relaxatur*. quapropter in secularium mensis præceps lingua cohibenda est, & modesto silentio premẽda, præsertim inter ipsa comestionis initia, ne sese in sermones effundat: in quo laudanda, & imitanda est, S. Ignatij Societatis Iesu Fundatoris prudẽtia, de quo [c] Nicolaus Orlandinus ita scribit: Inter cibũ modesto ferè silẽtio ad ea, quæ dicebantur, attentus studiosè obseruabat è conuiuarum colloquijs, quę opportuna suo negotio forent: ex hisque deinde extremam sub mensam captato ingressu, sermones de rebus inducebat diuinis, tàm appositè, tantaque dexteritate, ita ex animo, vt magnos in omnium animis motus efficeret.

[b] Hugo Vigo. tom. 2. Inst. mon. ad nouit. c. 18.

[c] Nic. Orland. par. 1. Hist. li. 1. §. 35.

Hac prudentia vti debet Religiosus cõuiua, vt si quãdo vana, ac inutilia, ac interdum pernicioſa colloquia inter cõuiuas misceri audiat, paulatim, ac velut insensibiliter ad proficuos, ac spirituales transferat, vel captata rerũ occasione, ijs antequã erũpant, obuiã eat; quanta enim, & quã grauis sit Religiosorũ culpa, qui vanis, ac mundanis aliorum inter edendum cõfabulationibus non modò delectantur, sed suam quoque ijs garrulitatem

tem interponunt. Sanctus ille Dionysius Monachus à Cassiodoro laudatus, olim declarauit, qui eodem teste, cum in conuiuijs audiret garrula verba lætitiæ, lachrymas fundebat, & sine exprobratione prandentium prorijs ieiunabat. [a] Cassiod. li. 1. de iust. dictū. scrip. c. 23.

Porrò si Christus quoties ad Conuiuium à Symone leproso, à Matthæo, à Zacchæo, à Principe, à Lazaro vocatus legitur, conuescentes diuinis sermonibus instruxit; [b] discant ab ipso Saluatore, qui ad secularium mensas vocantur, opportunum tempus loquendi nanciscì, & cœlestibus epulas condire colloquijs: non, vt pleriq; ciborum suauitatibus fallantur, sed ventre, ac palato superiores diuini sermonis escam opiparam sibi esse conuiuium, putent. Hinc enim candelabrum, quo Diuinus sermo significatur, in mensa panum in templo collocabatur, & tabulæ testamenti in arca, mannæ associabantur. [b] Vmb. in c. 7. Reg. S. Augu. c. 58

Denique [c] S. Hieronymus Nepotianum laudat, quod sermo eius per omne conuiuiū esset de scripturis aliquid proponere, libenter audire, respondere verecundè, recta suscipere, praua non acriter refutare, disputantem contra se magis docere, quàm vincere, & ingenuo pudore, qui ornabat ætatem, quid cuius esset simpliciter confiteri. [c] S. Hiero. epist. 3. ad Eliod.

DE RITV ERGA SECVLARES VIROS seruando, cum ad Refectorium nobiscum admittuntur.

CAP. XIX.

SApientissimè olim Maiorum nostrorum consilio, ac Constitutione sancitum fuit, ne seculares cuiusuis

Digitized by Google

gradus, ac conditionis homines ad Communem Fratrũ Refectionem, præterquam rarissimè, ac grauissimis causis id poscentibus, introducerentur; neque id maxima ratione vacat: Cum enim (vt [a] Nanzianzenus loquitur) quod facilè percipitur, facilè in contemptum veniat; Plerunque fit, vt mundani homines, qui extremũ interdum, ac pęnè Angelicum abstinentiæ genus nullo, aut perexiguo cibo contentum in nostris esse sibi persuadent, ac veluti sine esca ieiunantes admirantur, cum primum nos reliquorum Hominum more cibis, tametsi temperatè, vesci conspiciunt, illa opinione frustrati, paulatim cõuescentes despiciant. Ea enim mentis humanæ impudentia est (vt ait [b] Maximus Tyrius) vt quæ exposita sunt, minoris faciat, quę abstrusa, vehementer admiretur.

[a] Nãzian. orat. 16. nu. 44.

[b] Max. Tyr. serm. 29.

Hinc B. [c] Antiochus, & [d] Petrus Damiani Religiosos viros, cum puella, ac pictura comparant, quas si quis propiùs, ac curiosiùs spectet, vitia in his deprehendit, quæ absentes latebant. Hoc pacto, qui conuescendi familiaritate propius ad religiosos accedunt, in ijs quædã vitia animaduertunt, quę perfectionis studium nondum penitus abrasit, propter quæ in eorum despectum adducuntur.

[c] S. Antioc. hom. 102.

[d] B. Petr. Damian. in Apol. c. 16.

Quamobrem huic Maiorum nostrorum sanctioni, quam inuiolatam custodiri optamus fratres mordicùs inhæreant. Verum enim verò, si recta interdum postulante ratione, aliquem nobiscum Conuiuam in Refectorium admitti opus fuerit. Primum quidem Refectorium, ac aliæ officinæ diligenter emundentur, vniuersaque in his ita suo ordine sint dispositæ, vt nihil inordinatum appareat. Locus pro seculari Conuiua post Superiorem Domus paretur, nisi Princeps, aut Prælatus fuerit, cui superior Domus digniorem locum cedere debet.

Ca-

Digitized by Google

Caueant tamen Fratres, ne mappa aliqua oblonga Mensam sternant, sed duabus ad summum tantum mappulis locum parent, quarum vna Mensam tegat, altera ad os abstergendum inseruiat. Mundum quoque manutergium ad Aquarium pendens apponatur. Præter hæc nihil quotidiano Refectorij apparatui addatur, aut minuatur.

Fratres ad primum tegulæ sonitum maturè in Refectorium conueniant, vbi si dies accusationis fuerit, genuflexi superiorem expectent; superior verò opportuno tempore simul cum hospite Refectorium ingrediēs, postquam manus consueto loco lauerint, ante accusationem omnibus vnum Pater noster, & Aue Maria pro felicis hospitis aduentu dicenda iniungat: quo expleto, ac loco pro personæ dignitate Hospiti constituto. Hebdomadarius post signum Mensę benedictionem grauiter inchoet, quam Cæteri morosiùs, ac vniformi voce prosequantur. Si Episcopus Hospes fuerit, benedictio mensæ eidem reseruetur, qua absoluta, nullus ad mensam accedat, donec Hospes, ac superior locum acceperint: Pius, ac deuotus Liber per totum refectionis tempus legatur, neque sub vllo vnquam temporis, aut vrbanitatis prætextu silentium dispensetur, aut confabulationes à superiore permittantur: ne religiosorum conuiuia, quę sacris lectionibus decet esse impinguata, vanis, ac inutilibus colloquijs labefactentur.

Conuescentes Fratres eo præsertim tempore honestiùs, ac modestiùs cibos sumant, Regularem disciplinā arctiùs seruent, neque aliquid in mensa gerant, quod Hospitis Conuiuę oculos, aut animum offendere queat.

In ferculis, quę nostris Conuiuis è Monasterio exhibenda erunt, curet superior, nequid nimis; sed ea numero, & qualitate eiusmodi sint, qualia pauperes decēt,

vt

Digitized by Google

vt noſtra conuiua frugalitatem, & abſtinẽtiam potiùs, quàm luxum, aut gulam ſapiant.

Quod ad cætera ſpectat, quotidiani ritus apud nos conſueti ad refectionis vſque finem ſeruentur; qua expleta. ſi Conuiua Epiſcopus fuerit, aut Princeps, ſuperior facultatem humili reuerentia ab ipſo obtenta, de more leui menſæ percuſſione cibos exportare, ac menſas expurgari iubeat, quæ res tam grauiter, tam religiosè, tamque ordinatè, ac reuerenter à fratribus perfici debet, vt nemo per Refectorium curſitet, nullus tumultum, aut ſtrepitum edat; ſed diſpertitis inter ſe officijs, quisque demiſſis oculis, ac venuſta vultus grauitate ita ſuo muneri vacet, vt quoties ante conuiuam, & ſuperiorem ſua munera obeuntes tranſeunt, toties iteratis inclinationibus ipſos honorent.

Cunctis de more peractis gratiæ Deo agantur, hoſpitemque poſt aliqua ædificatoria verba ſuperior congruo tempore ſpiritu magis, quàm carne ædificatum dimittat. Pleraque pro Perſonarum, ac temporum ratione ſuperiorum prudentiæ relinquuntur, quibus modus, aut regula præſcribi non poteſt.

DE DILIGENTIA ADHIBENDA, vt præfati ritus integrè ſeruentur.

CAP. XX.

IAm tandem ad poſtremum huius appendicis caput Deo comitante ventum eſt, in quo de horum omnium Rituum obſeruantia, qui in his libris continentur, eſt diſſerendum; neque enim legem noſſe ſat eſt, ſed legem cuſtodiſſe hoc Perfectorum, & apud Deum, & homines glorioſum eſſe agnoſcitur. Nam (vt monet

Digitized by Google

net a Apoſtolus) *Non Auditores legis iuſti ſunt apud Deũ: ſed factores legis iuſtificabuntur*. Præmia olim non ludi ſpectatoribus, ſed ipſis currẽtibus, ac brauium comprehendentibus dabantur. Coronam non ij, qui Paleſtra periti eſſent, ſed qui in Paleſtra ad victoriã vſq; certaſſent, adipiſcebantur: finis denique omnium legum obſeruantia eſt. Qui igitur grandia meritorum prẽmia referre, qui perfectè Iuſtitiæ coronã à Deo cõſequi volũt, ſic currant, vt integrã horum ſacrorũ rituum obſeruãtiã comprehendant, ſic certent, vt in his cuſtodiendis omnem prorſus incuriam, ac negligentiam vincant: id alta ſibi mente reponentes, quod in cuſtodiendis illis retributio multa. a Roman. 2.

Quamobrẽ hic nõ incõgruè accomodari poteſt, quod Iacob. Apoſt. ſcribit: *Qui autẽ perſpexerit in legẽ perfectã libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit*. b Iacob. 1.

Tria ſunt, quæ noſtros Religioſos ab hac ſacrorũ rituũ obſeruãtia auocare poſſunt, quę Apoſtolus hoc teſtimonio amandat. Primũ eſt horũ rituũ ignorantia, ſimul cũ eorum paruipendio coniuncta, vtrũq; Apoſtolus primis propoſiti teſtimonij verbis ſublatum cupit, cum ait: *qui autem perſpexerit in legem perfectam libertatis*. Porrò & ſi, teſte a Caietano, hoc de lege Euangelica, quæ perfectiſſima eſt, & homines in libertatem filiorum Dei vendicat ab Apoſtolo, dicatur. Nos tamen accõmodè de horum ſacrorum rituum lege dicta idcircò intelligimus: quod ea quoque lex perfecta ſit, vt potè Religioſum virum in his, quæ ad perfectum Dei cultum pertinent, ſapientiſſimè inſtituens, quamque idcircò ab eo ignorari nullo modo decet. a Caiet. in c. 1. Iacob.

Primũ igitur Apoſtolus huius legis ignorantiã expellit, cum ait: qui autẽ perſpexerit. Etenim ne ignoretur, per-

Digitized by Google

perſpicienda & tam publicè, quàm priuatè ſępè legenda eſt. Publicè quidem, ſaltem ſingulo bimeſtri hic liber, de ſacris ritibus, in Refectorio legatur, voce tam clara, ac intelligibili, vt ab omnibus percipi poſſit. Magiſtri quoque Nouitiorum in his ſuos Nouitios inſtruāt, ne fortè per alienos ritus deuient. Priuatè verò ſinguli fratres ad huius Ritualis ſtudium apud ſe ſumma diligẽtia incumbant, quotidiè illud legant, reuoluant, ruminent, vt vniuerſos ritus ſibi familiares efficiant, neq; alio modo, quàm eo, quo conſcripti ſunt, intelligant. In id enim maximè laborauimus, vt vniuerſa abſq; ambagibus clara, ac perſpicua proponerentur.

Ne verò hos ritus velut legẽ imperfectã, & ex hominum arbitrio haustam paruipendant: ſciant profectò hanc eſſe legem perfectã libertatis, quæ omnẽ tũ maculæ imperfectionẽ, tum ſeruitutis aſperitatẽ explodit. Id enim in primis omnibus in Domino teſtamur, nihil nos in hoc volumine ex arbitrio noſtro cõſinxiſſe, ſed quęcunq; à Põtificibus, à Concilijs ab Eccl. legibus, à Patribus, à Maioribus accepimus, ea tantũmodo hoc allata cõſcripſiſſe, vt ex ipſa locorũ citatione, quæ in margine habetur, perſpicuum eſſe poteſt, quo fit, vt ſi nefas iure exiſtimatur, ijs næuum, aut errorem impingere, prorſus petulantis animi inditium ſit, noſtros hos quoque ritus ab ijs decerptos carpere.

Abſit verò, vt eo conſilio hi ritus à nobis præſcribãtur, vt maiori aliqua, quã antea ſeruitute animos præmant: quin potiùs ijs noſtrorum Religioſorum mentes, varijs ante hac diſcrepantium rituum diſſonantijs, ac erroribus implicatas liberare, atque in vniformem Dei cultum, in quo ſumma animi libertas eſt, adducere cõtendimus.

Secundum huius obſeruantię impedimentũ, eſt, oblũuio,

uio, quæ tunc indè potissimũ accidit, cum sacri ritus vel frequenter non leguntur, vel attento animo non considerantur. Pharisæis illud superstitiosum erat (vt obseruat a Hieronymus) quod Cathalogũ diuinorũ mandatorũ in mẽbranis descriptũ in capite ad modũ coronæ ligatũ gerebãt; ne vnquã legis Domini obliuiscerẽtur, sed illis sẽper ob oculos versaretur. Nobis verò nõ exterior superstitio, sed eorũ diligẽtia in proposita sacrorũ rituum obseruantia est imitãda, vt scilicet tã perpetuo hic sacratũ Cærem. liber ante nostrorũ omniũ oculos versetur, tamq; fixa consideratione die, noctuq; eorum animo inhæreat, vt nulla vnquã obliuione deleri possit.

a S. Hiero. ep. 14. ad Celant.

Neq; enim exiguum crimen est, si quę ad sacros ritus spectant, rarò perlegentes, aut quod crimẽ augeat negligẽtes, ex iis per obliuionem grauiora quędã omittãtur. Quamobrem caueant fratres ex Apostoli consilio, ne horum rituum obliuiosi Auditores fiant: sed assiduo studio in eis permaneant: vt illius frequentia facilitatẽ quãdã sibi comparent, qua ipsos in promptu sẽper habeãt, & quasi in numerato depositos; Adeo vt, cum res postulat, à memoria promptè, fideliterque reddantur.

Postremum tandem, quod hãc sacrorum rituum obseruantiã impedire potest, est mẽtis incuria, ac negligẽtia, quæ tũc præsertim oritur, cũ animus ęgrè circa illos afficitur, atq; ea perficere negligit, quę ad illorũ obseruationẽ spectãt. Id sanè certũ, & indubitatũ est, animũ nõ nisi amore, ac appetitu moueri: neq; arduum quidpiã inquam amplecti posse, quin ad illud priùs desiderio, ac appetitu feratur. Hinc enim vates totã diuinę legis obseruantiã eiusdem amori, ac dilectioni tribuit, cũ ait: Dilexi mãdata tua sper aurum, & topazion: propterea ad omnia mandata tua dirigebar. Quapropter vniuersos fratres nostros in Domino hortamur, ac rogamus,

Digitized by Google

mus,vt hanc ſacrorum rituum diſciplinam primum ſincerè ex animo diligant; tum omnem ab animo torporem,ac negligentiam excutientes,integram,ac perfectã illorum obſeruantiam amplectantur. Siquidem,teſte a Salomone, Cuſtodia diſciplinę dilectio eſt, & dilectio cuſtodia legum illius eſt. a Sap.6.

Qui ergo ſubditi ſunt,voluntariç obediẽtiæ ſtimulo, ac ingẽtium meritorũ ſpe allecti,ad ipsã moueãtur: qui verò alijs præſunt,ſuum quiſq; exactiſſimum diligentiæ munus prẽſtẽt,quo ſubditi integrè eorum obſeruationi incumbant.Guardiani nihil operis prętermittant, quo partim ſeueritate, partim ſuauitate à ſuis ſubditis hoc obſeruantię debitum exigant. Ipſi quoq; Prouinciales Miniſtri ſerius huic rei inuigilent,grauiſſimumq; hoc ſibi negotium imminere exiſtimẽt,atque adeo Guardianos ſtrenuè in hoc opere laborantes, ſua auctoritate fulciant;quos verò ignauos, atq; in horum rituũ obſeruantia ſocordes, vel inobſeruantibus plus ęquo indulgentes offenderint,ſeueris correptionibus,ac pęnitẽtijs premant. Deniq; Generalis Miniſter in his ardentiori ſtudio incumbat,atq; in Prouinciarum viſitatione,Prouinciales Miniſtros,Guardianos, ſubditos quoſcunque opportunè, importunè exhortationibus, correptionibus,verbis,factis ad eorum obſeruantiã compellant, vt Seraphicus Ordo hac ſancta rerum vniformitate tandẽ frui poſſit. Et ſi quidem opus fuerit, viſitatores hac de cauſa ad Prouincias deſtinet,qui hos ſacros ritus in toto ordine obſeruari inſiſtant,contemptores, aut transgreſſores grauibus pœnis inſequantur.

Neq; Pijs horum ſacrorum rituum obſeruatoribus Deus remunerator deerit,quandoquidem,vt concludit Apoſtolus, qui in ipſorum cuſtodia ſe obſeruantiſſimũ exhibuerit, Beatus procul dubio in facto ſuo erit.

Hac

Digitized by Google

Hac igitur Cœlestis Beatitudinis spe allecti Fratres, has sacrarum Cæremoniarum leges, quoad fieri poterit, perfectè custodiant, in id præcipuè (vt Dei filios Charissimos decet) animum intendentes, vt ex integra eorum obseruantia Deum, & Patrem Domini nostri Iesu Christi cum primis glorificent, eo enim fiet, vt & perfectam Iustitiæ metam attingant, & Dei Optimi Maximi amicitiam sibi concilient: Perpetuæ incorruptionis præmium, ac demum Regnum cœleste assequantur. Custoditio enim legum, teste a Salomone, consummatio incorruptionis est: incorruptio autem facit esse proximum Deo. a Sap. 6.

Deo Optimo Maximo Gloria.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA

Digitized by Google

Sacrorum hanc Rituum explicationem Fratrum Min. Cappucinorum vsui accommodatam vna cum Appendice, in qua familiares eiusdem Religionis ritus præscribuntur diligenti solertia, elegantique stylo optimo ordine dispositam perlegi, nihil in ea â bonis moribus alienum, nihil à Catholicę & Orthodoxæ fidei sensu dissonum, sed omni pietate cuncta referta inueni, ac propterea, vt eiusdem Ordinis vsui ac commodo typis mandetur concedi poterit.

D. Andr. Pisc[illegible] Saltaldus C.R. Dep.

Imprimatur
Aloysius Riccius Vic. Gen.

Andreas Lettereſius C. Dep. vidit.

Digitized by Google

Errata.			*Correctio.*
Pag. 25.	lin. 17.	facto	pacto
Pag. 25.	lin. 30.	Sacriſtæ	Sacriſtiæ
Pag. 28.	lin. 16.	prouidendum	prȩcidendum
Pag. 29.	lin. 8.	perfractas	præfactas
Pag. 29.	lin. 18.	ferro	ferreo
Pag. 34.	lin. 1.	depomat	depromat
Pag. 35.	lin. 27.	erant	ferant
Pag. 41.	lin. 9.	dictu	dictum
Pag. 41.	lin. 16.	incenſat	incenſet
Pag. 41.	lin. 18.	reddit	reddat
Pag. 42.	lin. 16.	inclinationem	inclinatione
Pag. 42.	lin. 18.	cui	qui
Pag. 43.	lin. 33.	renerentem	reuerentem
Pag. 44.	lin. 15.	muditia	munditia
Pag. 46.	lin. 18.	Capuccij	Caputij
Pag. 52.	lin. 11.	adorationes	ad Orationes
Pag. 53.	lin. 15.	incenſu	incenſum
Pag. 54.	lin. 33.	per interceſſio	per interceſſionem
Pag. 55.	lin. 6.	ſilicet	ſcilicet
Pag. 55.	lin. 18.	aſcendat	accendat
Pag. 56.	lin. 33.	decatetur	decantetur
Pag. 59.	lin. 13.	ipſu	ipſum
Pag. 60.	lin. 17.	eximiæ	eximere
Pag. 60.	lin. 27.	officij	officium
Pag. 61.	lin. 30.	quoque	quodque
Pag. 83.	lin. 28.	mandandantes	mandantes
Pag. 84.	lin. 11.	deceat	doceat
Pag. 96.	lin. 30.	Natiuitatis	Natiuitas
Pag. 134.	lin. 26.	maris	maioris
Pag. 145.	lin. 22.	modis	modus
Pag. 152.	lin. 2.	miſſali	miſſalis
Pag. 178.	lin. 24.	cereris	cereri
Pag. 204.	lin. 30.	aſſigetur	aſſignetur
Pag. 234.	lin. 27.	ebſtinere	abſtinere
Pag. 242.	lin. 15.	icenſum	incenſum
Pag. 279.	lin. 27.	priſtino	priſtinum
Pag. 319.	lin. 19.	repatatur	repetatur
Pag. 320.	lin. 15.	voçacnit	vocauit
Pag. 320.	lin. 21.	Laicis	Laicus
Pag. 323.	lin. 20.	cicumiens	circumiens
Pag. 341.	lin. 1.	paratum	paratam
Pag. 352.	lin. 26.	corrigendas	corrigendos
Pag. 413.	lin. 16.	veſtros	veſtes
Pag. 415.	lin. 6.	indinguam	indignam
Pag. 437.	lin. 8.	primum	primo
Pag. 457.	lin. 16.	vigliarum	vigiliarum
Pag. 471.	lin. 19.	nonnullam	nonnulla
Pag. 482.	lin. 22.	noſtri	noſtris
Pag. 519.	lin. 27.	Damiani	Damianus
Pag. 534.	lin. 27.	ebſtinere	abſtinere

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google